Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTRINAE

JESUITARUM.

4

oll. Ser[illegible]
[illegible]st[illegible]rm. S.J.
A[illegible] He[illegible]
Jps
121
1589.

Universidad de Deusto
Biblioteca
Archiv Prov Germ.
COLL. SCRIPT.
HIST. GERM. S. J.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTRINÆ

IESVITICAE PRAECIPVA CAPITA.

Tomus Quartus,

NONNVLLA SCRIPTA continens, in quibus tum ex scripto Dei verbo, tum ex veteris Ecclesiæ suffragiis, varia Christianæ Religionis Dogmata à fallaciis & corruptelis Iesuiticæ sectæ vindicantur.

Libros, qui hoc quarto tomo continentur, pagina sequens ostendit.

15866

Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.

RVPELLÆ,
APVD THEOPHILVM REGIVM.

M. D. LXXXVI.

COLL. SCRIPT. HIST. GERM. S. J.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Io. Serrani qvartvs anti-Iesvita, siue pro Verbo scripto & verè Catholica Ecclesia, aduersus Ioannis Hayi monachi Iesuitæ commenta & conuicia, Responsionis pars prior. pag. 1.

2. Gratianvs anti-Iesvita, id est, Canonum ex scriptis veterum Theologorum à Gratiano in illud volumen (quod Decretum appellatur) collectorum, & doctrinæ Iesuiticæ ex variis istius nuperæ sectæ Matæologorum scriptis excerptæ, Collatio: à quodam studioso veritatis instituta & nunc primùm in lucem edita. 403.

3. Defensionis veræ orthodoxæ, veterisque in Ecclesia sententiæ de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, veráque eius in Cœna sua præsentia, contra nouum & commentitium Transubstantiationis dogma, aliósque errores ex illo natos: Libri tres, ad Petrum Scargam Iesuitam Vilnensem, vanissimi huius commenti propugnatorem. Autore Andrea Volano. Respõdetur hîc quoque obiter Francisco Turriano, ex eadem factione monacho, qui duobus libris Scargam sibi susceptum contra Volanum, defendendum. 745.

4. Charactervm Iesvitic orvm. Centuria quarta. 1116

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI CHRISTIANO, Salutem.

SCRIBENDORVM & excudendorum librorum nullum finem sperandum esse, multi, non immeritò fortasse, conqueruntur. Quum enim Dei beneficio tot veterum & neotericorum de omnibus disciplinis scripta nostro hoc seculo in lucem emissa sint, superuacaneum & inutile prorsus videri possit, millies scripta & edita edere: quum nihil dici possit quod non dictum sit prius. Præcipuè autem si de disputationibus Theologicis agitur, id ægrè ferunt nõnulli, quòd veritas altercando aut inuoluitur, aut tandem amittitur penitus. Contrà, nostrorum temporum ea est conditio, vt non paucos reperias qui nouitatis amantes, veterum monumẽta aut fastidiunt, aut penitus abijciũt, vt dissentientium in varios de rebus fidei articulos scripta perlegant. Alij autem famo-

sis libellis conscribendis vel euoluendis assuefacti, nihil curãt nisi quod putrido palato sapit. Nulli autem magis infames libri in lucem prodeunt, quàm qui Dei veritatem sophisticis cauillis in mendacium conuertere conantur: grauissimáque sit temporis & salutis iactura, si talium lectione animus legentis ita detineatur, vt tandem mendacio addictas aures commodet. Dum his cogitationibus frequenter distrahor, etiamsi Theologorum studiis iuuãdis operam meam iamdudum consecrauerim, tamen sæpius tot controuersiis & polemicis scriptis finem legitima aliqua ratione imponi mens mea percupiit: tunc enim alacrius in veterum scriptis excudendis, quantum facultates nostræ ferre possent, totus incumberem. Quandoquidem verò hostium veritatis malus animus Christianarum Ecclesiarum pastores & doctores nouis disputationibus, tum in Gallia tum in Germania, & alibi editis, superbè adoritur, & necesse sit istorum furiosos clamores compescere, oblatas à Theologiæ studiosis viris lucubrationes, quib. veritas conseruaretur, typis nostris excudi lubens passus sum. Et quum inter tot sectas, à spiritu mendacij in aciem eductas, noua Iesuitica, velutà

veluti cohors equitum leuis armaturæ, sophisticis lanceis instructa, ex variis stationibus quotidie erumpat ad oppugnandam Dei veritatem: militum Christianorum aduersus istos decertantium pugnas describere non recusaui. Nunc verò, tibi exibemus certaminum istorum spiritualium nouum exẽplar, quartum videlicet tomum, seu examen aliquot dogmatum Iesuiticorũ, in quo multa continentur, quæ te manu ducent ad veteris Ecclesiæ sensum & consensum de plerisque fidei articulis percipiendum. Quod autem pars prior responsionis à Io. Serrano ad Hayum scriptæ, separatim à nobis editur, id temporum iniuria factum esse scito. Quũ enim posterior pars ad prelum parata sit, tamen ex auctoris manu ad nostras, propter viarum obsessarum pericula, peruenire adhuc nõ potuit. hanc quamprimùm accepero, typis nostris editam tibi offeremus. Porrò, quartus Antiiesuitæ respõsio hæc Serrani inscribitur, quoniam primo tomo nostrorũ collectaneorum, priores duo Antiiesuitæ, sub nomine Academiæ Nemausensis editi sunt. Tertius verò gallica lingua editus, responsionem complectitur ad Scoticas Hayi Iesuitæ interrogationes. Gratianus Antiiesuita, ca-

pita quinque continet de rebus grauissimis, videlicet De verbo Dei scripto: De ecclesiasticis scriptoribus: De primatu in Ecclesia: De vocationib. electionib. & ordinationib. Ecclesiasticis: De Cœna Dom. Reliqua autem videlicet de disciplina ministrorũ Eccles. de pœnitẽtia, &c. in aliud volumẽ auctor digessit, quod si necessitas postulat, volente Deo, excudetur. Andreæ Volani eruditus liber quum ad nos peruenisset, nec facilè sit exemplaria in Poloniæ vltimis partibus edita, Germanis, Anglis, Gallis, Theologiæ studiosis adferre, huic tomo adiungere volui, vt studiis tuis pro virili mea inseruirem. Vtinam verò ex tot disputationibus veritatem magis ac magis, elicias & agnoscas, agnitam colas & ames donec ad illum qui via, veritas, & vita est, colligamur: cui cum patre & Spiritu S. vnico vero Deo omnipotenti & optimo, sit laus & gloria in omnem æternitatem. Amen.

SERIES

SERIES PRÆCIPVORVM capitum quæ prior pars responsionis Io. Serrani complectitur.

SCORIA disputationis, id est, generalis responsio ad importunas Hayi reprehensiones & conuitia. pag. 1.

Ad sycophanticam Hayi præfationem peculiaris responsio. 11.

Occasio, summa, & œconomia vniuersæ disputationis, & prioris & posterioris. 28.

Hayanæ disputationis vestibula, seu de quæstionis terminis. 32.

Prima pars quæstionis, eáque ἀναστευαστικὴ, Quid non sit Ecclesia: cuius primaria complexio hæc est, Ecclesiam Romanam seu Papatũ non esse Ecclesiam Catholicam de cuius agetur autoritate. 50.

Verbi Dei & Ecclesiæ vocábula distinguuntur. 54.

De Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ appellationibus. 78.

De Primatu siue principatu Ecclesiæ Romanæ. 90.

Testimoniorum orthodoxæ antiquitatis defensio aduersus Hayi calumnias. 149.

Secunda pars primę quęstionis, eáque κατασκευαστικὴ, Quid sit Ecclesia. 179.

Summa & œconomia huius disputationis. 180.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primum demonstrationis axioma,ad Ecclesiæ definitionem constituendam, Verbum Dei esse primariã Ecclesiæ Catholicæ notam. 186.

Testimoniorum tum ex Scriptura, tum ex orthodoxis Ecclesię patribus desumptorum, quibus priori libro probatum est, Verbum Dei esse Ecclesiæ notam,Hayi oppugnatio,& Serrani defensio. 193.

Illustres Augustini loci,in quibus tota hęc de Ecclesia quæstio inter nos & Põtificios hodie controuersa luculenter tractatur & definitur. 204.

Secundum Axioma, Verbum Dei nullum aliud esse quàm Prophetarum & Apostolorum doctrina scripto ab eis commendata,quæ scriptura proprio vocabulo appellatur. 213.

Testimoniorum tum è Scriptura, tum ex orthodoxis Ecclesiæ patribus desumptorum, quibus priori libello demonstratum est, Verbum Dei esse Scripturam Sãctam, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam, Hayi oppugnatio,& Serrani defensio. 234.

Tertium Axioma,Omnia fidei nostræ dogmata ad salutem nostram necessaria, in Scripto Dei verbo planè & perfectè cõtineri.259.

Testimoniorum tum è Scriptura, tum ex orthodoxis Ecclesię patribus desumptorum, quibus priori libello probatum est, omnia fidei dogmata ad salutem necessaria in scripto Dei verbo contineri,Hayi oppugnatio,& Serrani defensio. 267.

Demonstrationis πόρισμα, necessariam circũstantiam complectens ad primariam Ecclesię notam illustrandam. 314.

Testimonia Scripturę & Antiquitatis à Serrano rectè allata,ab Hayo perperam reprehensa. 332.

Vera Ecclesiæ Catholicę definitio,ex superiori demõstratione nata, ab Hayo oppugnatur,à Serrano defenditur. 344.

Cõplexio vniuersæ disputationis de Ecclesia,διασκευαστικῶς collecta:Papatum non esse Ecclesiam Catholicam, sicut in priore disputationis parte demonstratum est: ac proinde de illius autoritate hîc minimè agi. 369.

Testimonia orthodoxorum patrum ad superiorem definitionem allata, oppugnantur ab Hayo, à Serrano defenduntur, vt fideliter citata. 375.

CAPITA ET SECTIONES Gratiani Anti-Iesuitæ.

CAP. 1. De Verbo Dei scripto in libris Veteris & Noui Testamenti. 403.

Scripturę S.necessitas & autoritas. 403.

Eiusdem perspicuitas & autoritas omnium Patrum & Doctorum consensui & scriptis prędferenda. 407.

Canonicis scripturis non aliis inseruiendũ. 408.

Scriptura seipsam interpretatur. 409.
Scripturę sensus vnde eruendus. 411.
Scriptura est Canon & norma omnium Ecclesiasticarum legum, consuetudinum, & traditionum, &c. 412.
CAP. II. De scriptoribus Ecclesiasticis, Patribus & Conciliis. 426.
De Traditionibus. 430.
De Patribus. 432.
De Conciliis. 438.
Aduersus Concilij Tridentini bruta fulmina, seu anathemata iniusta, quorum patrocinium Iesuitę suscipiunt 443.
CAP. III. De primatu in Ecclesia. Origo hierarchiæ seu anarchiæ papisticæ, teste Gratiano. 447.
Aduersus primatus affectationem. 450.
De Personali successione. 459.
De Apostolorum inęquali potestate. 461.
De verbis Christi, Tu es Petrus, & super hanc petrā ędificabo Ecclesiam meā. 470.
Consideratio testimoniorum quę ex Patribus à Iesuitis depromūtur vt Petri primatū in Ecclesia stabiliant. 477.
De Presbyterorum & Episcoporum æqualitate. 513.
An Episcopi Romani & aliorum Episcoporum sit æqualis potestas. 529.
CAP. IIII. De vocationibus, electionibus & ordinationibus Ecclesiasticis. De ordinatione Romani Episcopi 543.
De ordinatione Episcoporum. 550.
De vita, doctrina, electione & ordinatione eorum, quibus Ecclesiæ Dei cura committitur. 557.
De papisticis ordinibus (quos vocant) tum maioribus, tum minoribus. 568.
De ordinis sacramento, vt vocant, disputatio. 574.
CAP. V. De Cœnę Dominicæ, seu Eucharistię sacramento. quinque continet autem sectiones. 595
1. De re & voce Sacramenti. 595
2. Expositio verborum, Hoc est corpus meum, &c. 599
3. Signum signati nomen obtinere. 606
4. Signorum & rei signatæ coniunctio & distinctio. 619
5. Aduersus Transubstantiationem. 625

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEFENSIONIS ANDREÆ *Volani partes præcipuæ.*

CALVMNIARVM Iesuiticarum refutatio 747.
De autoritate Scripturæ Augustini sententia. 753.
De Ecclesiæ fundamento. 755.
De Scriptura sacra & scriptoribus Ecclesiasticis patrum sententiæ. 757.
De Transubstantiatione. 774.791.
Bertrami presbyteri liber aduersus transubstiationem. 778.996.
De missa papistica. 785.
De communione sub altera specie. 790.
Expositio verborum, Hoc est corpus meum. 793.
De Iustificatione per fidem absque operibus. 799.
De sacramento & re sacramenti. 818.
Infideles quomodo corpore Christi vescantur. 841.
Status controuersiæ inter Papistas & Euangelicos, de Cœna Domini. 853.
Argumenta Iesuuitica pro Trãsubstantiatione. 857.877.
Sacramentorum proprium quod sit. 897.
Scholasticæ Theologiæ consideratio. 901.
Augustini sententia de Transsubstantiatione. 913.
Veterum Theologorum de Cœna Domini dicta quomodo accipienda. 920.
De antiqui fœderis sacramentis. 928.
Berengarij & Lombardi sententia explicatur. 933.935.
Irenæi, Ambrosij, Cypriani, Chrysostomi, Gelasij, Theodoreti, Emisseni, Hieronymi, Cyrilli, Macarij. Sententia de Cœna Domini. 940. 942. 946. 950. 958. 958. 959. 962. 963. 967.
Veterum testimonia pro transubstantiatione, à Iesuuitis deprauata, explicantur. 976.
De conciliis papisticis. 995.
De Monachatu. 1004.
De natura Sacramentorum & de nominibus Sacramenti Eucharistici. 1007.
De communione sub vtraque specie. 1009.
De præsentia Christi in S. Cœna. 1015.
De manducatione carnis Christi. 1019.
Qualis sit vnio signorum & signatorum 1026.
Sententiæ veterum de præsentia Christi in Cœna expenduntur. 1029.
Artolatriæ papisticæ detestatio. 1035.
De panis Eucharistici asseruatione. 1037.
Christus quomodo adorandus. 1046.
De idololatria papistica. 1048.
Infideles corporis & sanguinis Christi mini-

Veterum

mè fieri participes, tametsi Sacramentis communicent. 1065.
Iesuitica argumenta in gratiam impiorum, quos volunt carnis Christi fieri participes. 1066.
De fide, & qualis fides impiis tribuatur. 1069.
Reproborum & electorum discrimen. 1074.
Scripturæ & Patrum testimonia à Iesuitis detorta vt impios probent fieri carnis Christi participes, explicantur. 1077.
De sacrificio missatico. 1097.
Antichristianæ tyrannidis oppugnatio. 1101.
Ecclesiæ Christi in Polonia status & conditio. 1110.

A V G V-

AVGVSTINVS.

Hæreticus est, vt mea refert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatúsque sui gratia, falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur.

Ex eiusdem libro contra epistolam fundamenti, ad Iesuitas disputantes admonitio.

NEMO nostrûm dicat iam se inuenisse veritatem: sic eam queramus quasi ab vtrisque nesciatur. Ita enim diligenter & concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumptione inuẽta & cognita esse credatur. Aut si & hoc à vobis impetrare nõ possumus, saltem illud concedite, vt vos tanquam incognitos nunc primùm audiam, nunc primùm discutiam. Iustum puto esse quod postulo, hac sanè lege seruata, vt vobiscum non orem, non conuenticula celebrem, non Manichæi (*Iesuitæ, & Monachi, papistæ*) nomen accipiam, si nõ mihi de omnibus rebus ad salutem pertinentibus sine vlla caligine rationem perspicuam dederitis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHRYSOSTOMI LOCVS, *ex præfatione in Epist. ad Romanos, aduersus Iesuitarum cauillationes.*

SIQVIDEM hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsa videlicet sacrarum Scripturarũ ignoratione: hinc multa hæreseωn lues pullulauit, hinc vitæ in multis neglectus, hinc inutiles ac lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis huius vsurâ sunt priuati, nequaquam rectà ingredi possunt: ita qui ad diuinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessariò in multa frequentes errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis ambularent.

IO. SERRANI QVARTVS ANTI-IESVITA, siue,

PRO VERBO DEI SCRIPTO ET VERE' CATHOLICA ECCLESIA, aduersus Ioannis Hayi Monachi Iesuitæ commenta & conuitia:

RESPONSIONIS PARS PRIOR.

Matth. 15.

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.

M. D. LXXXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVGVSTINI in Donatistarum causa, de Iesuitarum Turnoniorum disputationibus à Ioanne Hayo effusis, verum germanúmque iudicium. *In præfatione Operis breuiculi collationum.*

Qui causam bonam se non habere sciebant, id egerunt primùm (quantum potuerunt) vt ne ipsa collatio fieret, & vt prorsus causa ipsa non ageretur. Sed quia hoc obtinere minimè potuerunt, id effecerunt multiplicitate gestorum, vt quod actum est, non facilè legeretur.

IOAN-

IOANNIS SERRANI,
ADVERSVS IOANNIS HAYI commẽta, quibus puram simplicémque de verbi scripti & Ecclesiæ Catholicæ autoritate veritatem euertere, & Iesuiticam vanitatem stabilire conatur : RESPONSIONIS PARS PRIOR.

HOC igitur, à vobis tandem, Iesuitæ, extorsimus, vt vos è diuturni silentij latebris in publicarum disputationũ theatrum lucémque educeremus, atque è nouæ iurisdictionis, quam nullo iure in nos affectabatis, solio deturbaremus. Neque enim æquum erat vos vt in vestra causa, ita in Academia iudices & partes sedere : idque in huiusmodi rerum iudicio quæ ad communem Ecclesiæ autoritatem vtilitatémque pertinerent. De rebus igitur suis ipsa deinceps è publicis actis Ecclesia iudicabit. Equidem vt eius verum rectúmque iudicium esse arbitror, sic ei me meáque tam libenter submitto quàm de-

Huius disputationis cũ secundo Anti-Iesuita (quẽ ex postulatione appellauimus) nexus. Tertiusenim Anti-Iesuita Gallicus est, respõsionẽ complectens ad Scoticas Hayi interrogationes.

center imperij vestri iugum hactenus detr
Etaui. Proximum est, vt quandoquidem è so-
dalibus vestris vnum mihi propriè opposui-
stis, qui & vestra tueretur, & nostra oppu-
gnaret, ad illius quoque exceptiones ego nũ
explicato nomine respondeam. Antea enim
communi societatis vestræ nomine veritа-
tem per Academiæ nostræ latus adoriebа-
mini: quum verò respondendi partes mihi
ipsa imposuisset, cõmuni quoq; Academiæ no-
mine, non meo propriè, debebã vobis respon-
dere. Atqui nunc cum Ioanne Hayo singu-
latim mihi congrediendum erit: cui, ne post-
hàc Anonymus sim, Dei beneficio, prouide-
bo vt piis veritatisque studiosis meũ labo-
rem aduersus mendacium mendaciique pa-
tronos probem. Nam quòd constans perfer
fama complures Cyclopas, vt hoc nouum o-
pus contra veritatem excuderent, in vestris
officinis dies complures certatim desudasse,
nihil mea refert. Certo homini quum hanc
aduersus veritatẽ disputandi personam tri-
bueritis, huius quoque scripti autorem illum
esse arbitrabor.

INSTITVTVM itaque mihi est, Ioã-
nes Hayi, veritatem certis solidisque ratio-
nib. asserere aduersus eas exceptiones quas
nuper

nuper responsioni meæ opposuisti. Hæc no-
ua commenta tua quibus veritatem oppu-
gnas, vt falsa & importuna esse, Dei, cuius
causam ago, numine atque præsidio fretus,
me demonstraturum credo: ita piis sobriisq;
lectoribus, quorum oculos prolixo illo am-
pullatóque scripto tuo perstringere voluisti,
præstigias sic me proditurum confido, vt Ie-
suiticam vanitatem à Catholica veritate
norint posthac distinguere: ac proinde ne-
que tuorum aut sermonum aut scriptorum
ambagibus & decipulis amplius permoueã-
tur. De re enim ipsa, quæ ad veritatis defen-
sionem pertinet, sic agere constitui, ad Eccle-
siæ, de cuius autoritate agitur, vtilitatem:
vt & veritatis & Eccleſiæ causa, totum
hunc laborem me suscepisse, piis & cordatis
testatum faciam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. AVGVSTINI DE DI
sputationibus & vsu Dialectices Iudi
cium, ex lib. primo aduers. Cresconium
cap. 15. & 20.

QVI disputat, verum discernit à falso. Quod qui non possunt, & tamen Dialectici videri volunt, per insidiosas interrogationes captant incautorum assensiones, vt ex eorum responsionibus concludant vnde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, quam plerunque etiam ipsi existimant veritatem. Qui autem verus disputator est, id est, veritatis à falsitate discretor est, primò id apud se ipsum agit, ne non rectè discernens ipse fallatur, quod nisi diuinitus adiutus peragere non potest, deinde quum id quod apud se egit ad alios docendos profert, intuetur primitus quid iam certi nouerint, vt ex his eos adducat ad ea quæ non nouerant, vel credere nolebant, ostendens de consequentia his quę vel scientia vel fide retinebant, vt per ea vera de quibus se perspiciunt consentire, cogantur alia vera quæ negauerant approbare, & sic verum quod falsum antea putabatur discernatur à falso, cum inuenitur consentaneum illi vero quod iam antea tenebatur falsum.

Hanc artem quam Dialecticam vocant, quę nihil aliud docet quàm consequentia demonstrare, seu vera veris vel falsa falsis, nunquam doctrina Christiana formidat, sicut eam in Stoicis non formidabat Apostolus, quos secũ volentes conferre non respuit. Et ipsa enim fatetur & verum est, neminem à disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis in quibus eadem conclusio velit nolit efficitur: ac per hoc qui cauet ne se loquente consequantur falsa quæ non vult, volens falsa caueat quæ præcedunt. Si autem præcedentibus verbis inhęserit, quęcunque consequentia perspexerit quæ falsa existimabat, vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritatis est pacatissimæ amicior, quàm contentiosissimæ vanitati.

EX ORATIONE XXXIII.
Nazianzeni, quæ disputationis adu.
Eunomianos est veluti præludium.

Iesuitici genij & ingenij delineatio.

SVNT quidam, quibus non aures duntaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus quoque ipsæ, vt video, ad sermones nostros pruriunt, quíque prophanis vocum nouitatibus & contentionibus falsò nominatæ scientię, ac disputationum pugnis, quę nullam

vtilitatem afferunt, oblectãtur. Vtinam verò, quemadmodum linguam volubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus verbis insectandis acrem & vehementem, sic etiam in agendo nonnihil saltem, aut etiam æquè, operam collocarent. Id quod si facerent, minus vtique cauillatores essent, nec tam absurdè atque insolenter in verbis, perinde atque in aleę ludo, versarentur. Licear enim mihi ridiculè de re ridicula loqui. Omni autem pietatis via sublata & deleta, hoc vnum sibi proponunt, vt quęstiones vel stringant, vel soluãt (quemadmodum qui in theatris certamina peruulgant, & quidem eiusmodi certaminum genera, quę nõ iuxta palestrę leges victoriam comparant, sed imperitorum duntaxat oculos perstringunt, & laudem à spectatoribus captant) & res huc redit, vt horum disputationibus forum omne circumstrepat, & conuiuia omnia huiusmodi nugarum obstrepantur, adeóque intoleranda est vis huius mali, vt periculum sitne magnum fidei nostrę mysterium exigua & leuicula quædam ars esse videatur.

SCORIA DISPVTATIONIS, ID EST GENERALIS RESPONSIO AD IMportunas Hayi reprehensiones, & conuitia.

VERVM in ipso disputationis primordio dabit mihi veniã æquus Lector, vt antequàm de re ipsa dicam, ad ea respondeam quæ licet præter rem maximè dicantur, ita tamen tractãtur ab Hayo, quasi rei vniuersæ cardo in iis penitus versetur. Illis enim initio secretis atque semotis, & me & Lectorem exhaurienda identidem sentinæ molestia deinceps leuabo: itaque disputationi iter certius liberiúsque expedietur.

Nomen tu quidem meum, Hay, crasso dolo sub Anonymi Ministri persona modò dissimulans, idémque modò veteratoriè prodens, atque nouis subinde conuitiis me lacessens, animi tui impotentiam nimium prodis. Mihi profectò pro minimo est vt à te iudicer: imò te, tuique similes mihi infensos esse, maximam laudem esse duco: quum Veritatis testimonium aduersus tuos tuorúmque latratus mihi sit satis. Notæ enim sunt mihi gentiles vestræ technæ. Personæ enim meæ ἐξουθενισμὸν (vt vestro vocabulo vtar) atque contemptu, rei ipsi præiudicium moliris vt ex mea

persona veritatis luminibus obstruas. Quòd si conuitia tua nouis recriminationibus vellem diluere & scriptũ illud tuum, animi tui character, & ingenii tui morúmque tuorum explorata notitia amplissimum argumentum, non conuitiandi quidem, sed vitia tua natiuis coloribus depingendi, mihi profectò suppeditaret. At mihi crede, vt à toto illo scribendi genere animus meus semper abhorruit, ita mihi certũ est in hac Responsione mea sic me temperare, vt quum de re ipsa dicam, tibi Iesuitæ, id est magno conuitiorũ artifici, id quod tuum vernaculúmque est, mentiendi nimirum & cõuitiandi victoriam, hac lege relinquam vt tecum aut cum alio quoquam in hoc certaminis genere sim nunquam decertaturus. Ad hæc tamẽ in quibus proram & puppim collocas, consentaneum est me aliquid respondere: ne silentio meo tibi sapiens esse videâre.

Prouocati fueramus à vobis ad necessariam defensionem doctrinæ nostræ, quam nulla causa infami libello traduxeratis. Quanta in respondendo modestia fuerim vsus, libelli mei lectio docet. Certè, prudentissimi viri perscriptis ad me literis testantur, in ipso etiam disputationis æstu mihi nihil excidisse quod modestiæ Christianæ limites excederet. non enim veritatis libertatem qua ego necessariis in locis sum vsus, immodestam importunámque esse existimarunt. Horum ego iudicia, Hay, bili tuæ supercilióque tuo constanter oppono: omnémque dabo posthac operam, dum in spinis tuis versabor, ne vel in defendenda veritate refellendóue mendacio candor modestiáque in me desideretur. Noui enim neque his artibus veritatem defendi, (qui susceptí laboris vnicus est finis) neque apud bonos laudabiléque viros (quibus ego placere studeo)

deo) tuis illis importunissimis cõuitiis quicquam decessurum æstimationi meæ. Quídnam verò boni prudẽtéque viri de te sint iudicaturi, tum demum perspicies quum fugatis imaginariæ illius gloriolæ fumis quos tibi inter tuos polliceris, cogitaueris te doctissimorum liberrimorúmque virorum iudicia manere, quæ ex rerum ipsarum examine hauddubiè constituentur. Verùm ecquænam illæ sint tuæ aduersus me criminationes quas in dentatas chartas effudisti, sanè videamus.

Accusationis tuæ caput in eo est vt inscitiæ inuidiam mihi confles, tibi verò exquisitæ cuiusdã eruditionis triumphos adipiscâre. Hoc profectò crimen, Hay, tanti apud me est, vt si mihi tecum res esse vno, ne vllum quidem, mihi crede, verbum hac de re facturus essem vnquam: tibíque adeò lubentissimè concessurus vt tuo tu iudicio fruâre: quum tu ipse qualis sis te tuo indicio eruditis prodas. At quàm hisce præstigiis imperitorum oculis animísque illudas, cogor nonnulla ad hæc respondere, vt non modò omnem rationem, sed omnem quoque sensum communem tibi ademisse, cæcum illud aduersus veritatem odium perspicuo argumẽto intelligatur. Væ grandem libri molem emendicatis tessellis assutam atque conferruminatam sic mihi obtrudis, vt quum rationum sententiarúmque pondere non possis, verborũ vocúmque numero me superares: quum veritatis simplicitas te maximopere vreret, Sophisticen excitasti quæ clamosa proteruia, ampullata loquacitate, Thrasonica eruditionis specie fucum imperitis faciens, me adobrueret. Hoc quidem genti vestræ (sic enim societatis illius vestræ numerosa examina magnifico vocabulo, etiam te inuito, lubet appellare) vernaculum propriúmque est; verùm à te sic vsurpatum vt ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terum fallaciarum decipulas nouis nodis intricaueris: ac proinde noui Elenchi veteribus Aristoteleis sint adiungendi, vt nouæ illæ strophæ diiudicari refutaríque possint. Typographicos enim errores vndiquaque collegisti, vt inde Soloœcismos, indecoræ videlicet inscitiæ probrum, mihi impingeres. Hæc machina, Hay, ante te maioribus tuis olim fuit incognita, & à te vno hodie vsurpata. Quòd si id non putabas condonandum nostræ Typographiolæ quod prouectioribus Typographiis indulgendum est, at cogitare saltem debueras nefas esse alienam culpam aduersus immerentem deriuare, téque postmodum etiam in eodem luto hæsurum. Quid enim si vellem talionis lege tecum agere, id est tecum ineptire, Typographi mei lapsus tui erroribus non facilè compensarem? te etiam iudice, quum non modò mendorum aliquot tuorum cõmentarium ediderís, sed illorum quoque culpã duabus præfationibus sis deprecatus. Verumenimuerò totũ hoc peregrinæ reprehensionis genus non modò vt puerile & inscitum eruditi irrident, sed te à veritate victum esse inde constare aiunt, quòd quum nihil haberes quod ei opponeres, in leuiculis obseruatiunculis Iesuiticè sis immoratus. Nouam igitur insolentémque reprehensionem tuam è Typographicorum errorum obseruatione (quos tu meos soloœcismos vocas) natam dum cordati iudices expendent, ego hæc tibi respondebo. Primùm, te sermonis mei soloœcismos sæpissimè somniare, quum tuum cerebrum soloœcizet, quemadmodum ex ipsis locis constabit. Deinde, Latini sermonis soloœcismos me minimè vereri, quum aduersus veritatem, nõ aduersus Prisciani regulas peccatum, mihi grauissimus sit soloœcismus. Denique in ridicula obtrectatione nominis

nominis mei omnium me hominum aduersus te iudicia appellare, vt eis persuadeas me nescire emendatè loqui. Quod vtvt maximè euiceris, nõ tamen idcirco veritatem viceris, quæ tuam hauddubiè vanitatem vel latinè vel græcè vel hebraicè loquentem, omniúmque exquisitiorum literarum ampullis tumentem, mendacii & impudentiæ coarguet.

At me venustè & eleganter loqui negas: idque singulis penè versibus, tanquam id vnum tibi esset pensi, vt magnum opprobrium mihi obiectas. Bona verba quæso, mi homo. Ecquis te docuit cum laruis dimicare? Egóne eleganter venustéque dicendi laudem affectaui vnquam? Idné etiã agitur vter nostrûm elegantiùs loquatur? Se quidem τῷ λόγῳ ἰδιώτην fatetur esse Apostolus: λόγου σοφίαν Pseudapostolis tribuit. Ego verò illam dicendi peritiam in vobis hactenus agnouerim, vt vos non tam solidam humaniorum literarum notitiam quàm illius vmbram imaginémque habere affirmem. Sed quicquid est istiusce generis, totum vobis lubenter condono, patiórque me ad seueriorum Musarum ruditatem simplicitatémque reuocari. Orationis phaleras, ampullas, calamistros, fucos, cothurnos, vobis sophistis & in verbis & in rebus relinquo. Græci item sermonis quisquilias à te leuiculo Attico patiar euerri, etiam hac lege vt illud tuum, *Græcum est, non intelligitur*: mihi quoque opponi finam. Hæc enim scilicet ad primarium disputationis finem maximè pertinebant. 2. Cor. 11. 6. 1. Cor. 1 17

Quid plura? Logices quoque imperitiam Scotus σκοτεινὸς & ἄλογος mihi exprobrat. Tuæ quidem Logices me imperitum esse, magne Demonstrator, palàm profiteor: quæ si vera est, Peripatus & Academia bene disserendi leges perpe-

ram nobis dictarunt. Hoc quàm verè dicant & candidè, tuæ loquentiæ ambages passim demonstrant, vt ex teipso tuipse possis commodè ἀποδειγματίζειν, vt magnum Logicum decebat, qui ex regularum suarum præscripto sapit.

Restat grauissimum crimen, eóque homine dignum qui ne nihil dicat, ea dicit maximè quæ à sobrio sanóque nefas erat dici : Me videlicet, dum eruditæ orthodoxæque Ecclesiæ autoritatem, prolatis Patrum sententiis, in medium affero, sanctissimos doctissimósque Patres ne à limine quidem salutasse vnquam. Cedò ecquibus argumentis? *Quòd Minister Anonymus Patrum testimonia ab aliis citata citat, locorum illorum notationem ab aliis mutuò accepit. Quòd locorum notationes prætermittit, dum peruulgatissimas affert Patrum sententias, librum eum, cuius tamen disertà verba commemorat, nunquam legit aut vidit: sed ex Rapsodi cuiusdam centonibus locos illos desumpsit.* Obsecro te, mi Hay, quidnam est nugari, si hoc non est? quid enim Sophista dignius excogitari potest quàm in his tricis immorari, quæ vel ieiunum infantémque tyronem planè dedecerent. Quærebas nimirum crassam illam libri molem quam libelli mei breuitati opponeres, ideóque vel leuissima quæque vndique corrasisti vt librũ tuum quòquo modo infarcires atque expleres, & Κυμινοπρίστου nomen inter Sophistas etiam ipsos καθ' ἑξοχὴν cõsequerêre. Res enim omittis in quibus & certamẽ & victoria est: in notularum apicibus vt in senticetis quæris effugium. Hoccine est de veritate seriò disputare, an ventosè de lana caprina digladiari? Neque eruditorum emunctæ naris virorum iudicia pertimescis. Patrum testimonia à doctissimis viris in eodem argumento olim citata nũc ego cito. Esto. Idcircóne in eiusdem veritatis defensione si eadem proferam testimonia, minùs erit verum quod dico? Hoc enim quæritur, Verúmne dicam ego an tu falsum: non autem, egóne imperitus sim, tu contrà peritus sis Antiquitatis. Tuáne agitur persona an mea, ipsáne Veritas? Nihil profectò iam dictum est quod non dictum sit prius. Eadem Veritas eadem suis tela suppeditat. Quum obiicis citari à me perperam & præter autoris sententiam, quendam locum, id tibi certis argumentis est demonstrandum: meæ contrà sunt partes tuam reprehensionem certioribus argumentis refellere, aut errorem confiteri. At dicere, *Minister anonymus locum illum citauit à Caluino citatum, Ergo imperitus est antiquitatis*, hísque cuniculis sic elabi vt res ipsa primaria prætermittatur, quàm vecordis proteruæque insaniæ est. Hoc quidem vestrum est & planè domesticum, id est verè Iesuiticum. Sic enim à vestris hominibus disputationes his machinis circumsapiri solent: sed à te nunc aduersus me ita adhibitum vt omnium vel audacissimorum Sophistarum petulantiam superaueris. Verùmenimuerò malesicis his artibus victoria haudquaquam comparatur. Patrúmne ego libros legerim si quæstio habenda esset, Prætor adito exploratóque Museolo meo cognosceret, ex ipsis codicibus mea manu variè exaratis, (vt ocularem probationem afferam); an intellexerim, solisue aliorum commentariis sapiam, præstò iudex est, ex illorum locorum, quos profero, examine. Equidem veram commodámque rationem qua in sanctæ Antiquitatis latifundiis tutò vtiliterque versari possim me à doctissimis præceptoribus meis didicisse, palàm profiteor. Tu verò, Hay, si saperes, præceptorem tibi eum optares qui tibi viam in tibi incognito solo commonstrarer, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo dum tibi vni sapis, non modò incertus vagaris, sed toto etiam cœlo aberras: quemadmodum ex ipsa disputatione perspicietur. Si igitur in communi argumento à doctissimis viris sæpe tractato illustriores locos seligo ab illis laudatos, ideóne minus verè loquor? Locos, si potes, eos quos cito, Hay, oppugnato, aut nugari desine: tèque crassæ maledicentiæ tandem pudeat.

Nam quòd ais me eius Patris librum, cuius notationem prætermisi, non legisse, est planè Iesuiticum, id est & importunũ & ridiculum. Christum & Apostolos, si sanus es, reprehende qui veteris Testamenti libros ita citant, vt eos vel nunquam vel rarò notent, quorum tamen diserta verba proferunt. quem morem eruditi Scriptores & veteres & noui ita sunt sequuti, vt in nobis discipulis hæc consuetudo longo vsu inoleta sit meritò condonanda. Locorum notatio quæ adscribi solet, librariorum industriæ relinquitur. Siquid igitur minus commodè in eo genere notatum fuerit, ratio & æquitas postulat vt librarii non autoris culpa esse censeatur.

Itaque quid attinebat, Hay, te in istarum tricarum diuerticulis ita hærere, vt rei effugia vestigabundus quæritans, quum nihil diceres, istisque laruis magni illius tui codicis opimam crassitudinem molireris, meo opprobrio inanes gloriolæ fumos Thraso captares? Puderet me sanè pigerétque in his nugacissimis commentis, quæ vel tantùm indicata per se cóncidunt, refellendis immorari: nisi hac scoria in his primordiis semel excreta, & me & lectorem maximo posthac labore leuari sentirem. Quærendis enim rebus & quæ ad res probandas adhibentur, argumentis quum in tua illa multiloqua farragine sit opus lucerna, vt in tot verborum tinnitu aliquod ἔπος inueniatur: omnino continget vt semotis amputatísque his quisquiliis, in quibus tu rei inops maximam sermonis tui partem occupasti, certum ad veritatis defensionem iter mihi sternatur: ac proinde breuitati perspicuitatíque consulatur, quibus duabus machinis veritatem nunc defendere constituisti: sicuti tu contrariis, id est loquaci prolixitate & peregrinorum sermonum obscuritate, eandem veritatem oppugnas. Librum meum in tuum ita transuasisti vt dum meis exceptionem paras, non solidas rationes, sed meras identidem negationes opponas: dum singulos vocum apices exagitas, veram germanámque rerum sententiam tuis obseruatiunculis eludas: dum importunis digressionibus subinde excurris, cõuitiorum occasionem vndiquaque captas, describendis è Patribus paginis totis quæ vel nihil ad rem vel contra te faciant, tui libri spissitudinem moliaris, qua simpliciorum oculos perstringas. Hoc quidem Iesuiticæ Logices præcepta efflagitabant: tuúmque adeò hactenus erat, malam causam tuendo, omnia vndique corradere quæ ad mendacii patrocinium quoquo modo pertinere tibi videbantur. Inter has tamen caducæ causæ operas, meminisse cumprimis debebas, Scote attice, veteris illius dicti, Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ ἐ, ἀλλ' ἐν τῷ ἐ τὸ μέγα: ac proinde cogitare, Non quàm multum, sed quàm bene scriberes. Meum contrà erit in hac responsione mea, nudam simplicémque veritatem sic repræsentare vt & breuitate & perspicuitate tecum certem.

Hayanæ methodi vera descriptio.

Itaque in ipsa quidem disputatione, dum in rebus ipsis versabor, ne Lector à me expectet longam responsionem: ad hæc autẽ tibi trita & peruulgata ἐνθυμήματα, *Minister nugatur, delirat, ineptit, scurra, bardus, stupidus est: barbarè, insciter, in-*

congruè loquitur: Grammatices, Logices rudimenta ignorat, Græca nescit: Theologiæ est penitus imperitus, Patres nunquam legit, sed ne illorum quidem libros, quos citat, vidit vnquam: In scholasticorum scriptis est planè peregrinus, A Caluino & Beza hæc & illa mutuatus est: & cætera id genus, prorsus nullam.

Neque verò in Caluino, Beza, cæterísque præstantissimis Dei seruis defendendis posthac immorabor. Ipsorum siquidem doctrina luculentis scriptis superstes, à tuis, Monache, calumniis eos non modò vindicabit, sed eo te nomine summæ vanitatis reum péraget, quòd eos accusaueris. Mihi verò perhonorificum duco, quòd cum illis à te inuoluar. Cum illis volo esse & haberi idiota & rerum imperitus: quemadmodum tu homo scilicet ἐπιστημονικώτατος illos audes appellare.

Atque hæc quidem hactenus ad tua in me conuitia vniuersè dicta sunto. Proximum est vt ad ea quæ Præfationi meæ opposuisti, nonnulla singulatim respondeam, vt ex tuis verbis quale sit Iesuiticum ingenium ad mendacia & virulentam maledicentiam tam ferax quàm in rebus ipsis planè siccum & nullum, habito examine Lector intelligat.

AD SY-

AD SYCOPHANTICAM

Hayi Præfationem peculiaris Responsio.

Cur prior Antilesui ta Turnoniarũ Assertionũ refutationem cõplectens, *Responsio* appellatus fuerit

IBELLI mei inscriptionem, quòd eam RESPONSIONEM appellauerim, reprehendis, quàm rectè ex his viderint eruditi. Nobis quidem idcirco hîc placuit titulus vt in ipsa libri fronte instituti nostri ratio perspiceretur. A vobis enim contumeliosis verbis prouocati vobis respondimus, neque aduersus vos, ad vestrarum personarum ignominiam, sed ad vestras Assertiones responsionem parauimus: eo consilio vt veritatem defenderemus. At vos iam vestræ audaciæ pudet, qua nos dormientes excitasti non facilè in posterum, mihi crede, obdormituros. Quid verò mihi mittendarũ ad vicina loca Theseôn morem excusas, Hay? quum palàm sit, tuos non modò hãc Ecclesiam, sed me propriè ipsum prouocasse: eo consilio vt si siluissemus, silentio hoc nostro, aspectantibus nobis, hîc trophæum molirentur.

Quòd verò Aristotelem tuæ reprehensionis patronum aduersus me adoptas, te tibi ipsi aduersari non vides? Sic quidem ille Respondentis partes definit, τὸ μὴ δι' αὐτὸ συμβαίνειν τὸ ἀδύνατον ἢ τὸ ψεῦδος ἔξειν, ἀλλὰ διὰ δόσιν: id est eum vult ita respondere ne vi & necessitate consequutionis absurdum quidpiam fateri cogatur: sed in ipsum interrogãtem retorquere eam absurditatem qua ipsum implicare moliebatur interrogãdo: ídque docere ex subiectæ rei natura. Hæc enim plana & perspicua est (ne nescias) verborum Aristoteleo- Topicorũ lib. 8. ca. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum sententia. Ecquid verò aliud ego feci in mea Responsione? Theses illas vestras sic adornaueratis vt positis doctrinæ vestræ fundamentis, nostram falsi & absurdi conuinceretis. Quidnam igitur hîc nobis præstandum erat? Docendum nimirum διὰ θέσιν, id est ex vestris assertionibus, doctrinam vestram esse falsam, nostram autem veram: pro eo quòd eò nos deducere conabamini vt ἐκ τῆς διὰ τὴν θέσιν ἀναστροφῆς nostram doctrinam esse falsam & absurdā fateremur. Proponentibus igitur atque lacessentibus nos vobis quum respondeamus, quídni librum in eum finem scriptum, RESPONSIONEM commodè appellamus? Certè iis thesibus respondetur quæ contrariam veritati doctrinam astruunt: illarúmque refutatio proprio & modesto vocabulo, Responsio vocatur. Modestiam cum veritate docet nos Ecclesia Dei. Quòd si modestum vocabulum vos offendit, Refutationem Thesēon vestrarum posthac siue Antilesuitam appellabo. Et sanè, si verum est quod alibi ait Aristoteles, Θέσιν esse κατὰ λογικὴν ἀντίφασιν, vestræ illæ Assertiones eo nomine sunt bellè dignæ: quippe quæ noua sint commenta aduersus eruditæ vetustatis fidem nata: & hactenus paradoxa, vt partim supplicio sint digna, quum aduersus Dei & Ecclesiæ autoritatem debacchentur, partim opus habeant sensu, quale est infœlix Idololatriæ, quod instituisti, patrocinium.

Topicorū lib. 1. ca. 9

Porrò, Galliam hactenus, quod scias, Academiam Nemausensem minimè agnouisse affirmas: eam tamen Regia magnificentia sustentari fateris, denique Academiam esse pernegas. Scotus, Galliæ Academias & instituta ignorare potuit: vir bonus & sapiens, rem sibi incognitam audacter negare non potuit. Extat Regium diploma de Academiæ Nemausensis institutione publicis etiam

Iesuitici ingenii, ex ipsis Hayi verbis, vera & germana descriptio.

etiam sumptibus Regii Magistratus autoritate excusum & editum: vt Christianissimi Regis tam luculenta voxte sit temeritatis & impudentiæ grauiter accusatura, qui non modò rem omnibus cognitam exploratámque tam securè neges, sed etiam vanitatem tuam publicis tabulis ausus sis consignare. VNIVERSITATEM artium FRANCISCVS Rex Christianiss. felicissimæ augustissimæque memoriæ Princeps, bonarum literarum in Gallia instaurator, huic Ciuitati tribuit, Vniuersitatis priuilegiis ornauit, eámque eodem planè iure vti frui voluit, quo Parisina Academia cęteræque omnes Regni Vniuersitates vtuntur fruuntur. Itaque & temeritatis, de re sibi incomperta loquendo, & malignitatis, rem omnibus solenniter notam impudenter negando, publicum monumentum reliquisti: vt hæc prima Iesuitici ingenii nota à tuis verbis describatur.

Tum diriora moliris. Vt enim odium inuidiámque nobis confles apud generosum illustremque Comitem D. Iustum Turnonium, nos ipsius familiam & Academiā deridere criminaris. Hanc enim vocem bilis tua effutiit. Apage tam virulentam procacis Sophistæ κακοήθειαν. Turnoniam familiam primariæ nobilitatis in hoc Regno familiam, magnis virtutibus iam olim illustrem, omnes quidem nostri reuerentur, ego verò cum primis, communis patriæ charitate & officio non modò ad debitam reuerentiam concitatior, sed acceptis etiam ab ea beneficiis propriè obligatus. Meorum enim studiorum qualecunque tyrocinium Turnoniæ Academiæ me debere agnosco, eíque adeò opportuno quodam officio ἀντιπελαργῆσαι peroptarem. Florebat nimirum Academia Turnonia antequàm societatis vestræ locustæ in eam conuolassent, cuius temporis mihi iu-

cundior eò recordatio est quòd præceptorum quibus tunc vtebantur, fœlix mihi sit memoria Ioannis Pelissonis, Quintini, Mahotii, Medardi, summorum instituendæ iuuentutis artificum: cæterorúmque doctissimorum virorum, qui non pupis & nugis iuuentutem fascinabant. Cardinalis Turnonii in Academia constituenda liberalitatem sempiterna laude dignam commendamus: vt importuna sit ὑστερότερος illa tua extra primarium sermonem digressio. Nobilitatis autem ordinem in hac Monarchia quàm reuerenter ego colam: populares ἀταξίας quantopere sim non modò detestatus, sed quantulus sum, in iis comprimendis quàm & fideliter & feliciter, Dei beneficio, elaborauerim, testis est mihi Patria, aduersus tuam virulentam, Monache, audáciam. Num verò Gallica Nobilitas tuæ mobilitatis, Iesuita, patrocinio indigebit, vt nobis nouis hominibus auos atauósque tuos peregrinus ἀλαζὼν recenseas; nobísque adeò persuadeas te esse Regis Scotiæ consobrinum? Sic igitur, Hay, habeto, ne te ludicra lactes imagine; Non de nobilissimis Turnoniæ familiæ stemmatis, sed de ridiculis societatis vestræ laruis loquebamur: quarũ mystica illa quam adhibes explicatio, mustaceo sanè ingenio vestro digna est, vt meliores interpretes non requirant. Illis igitur siue clauibus siue enstibus vestris hanc κακοηθειαν vestram filiis mendacii apprimè dignam relinquimus: vt hic secundus Iesuitici ingenii character è tuis verbis designetur.

Idem autem mendacii & impudentiæ spiritus te docuit nullo pudore id affirmare quod vel planè falsum esse nosti, vel quod aliena fide temerè affirmas: ratus nimirum fore vt apud eos qui nec te nec nos bene norunt, fidem faciat mendacii

mendacii. Multiplicísne enim mendacii opprobria, ex ipsis rebus conuictus, Hay, tandem non confitebere, vt imprudentiæ saltem culpam deprecéris? Dum societatis tuæ victorias deprædicas, complures nostrûm nominatim appellas, qui sint in ipsa disputatione à vestris plurimarum palmarum hominibus superati, méque singulatim. Nunquid te tuæ impudentiæ, Iesuita, pudet? Quales quantíque viri sint & pietate & eruditione præstantes ii quos nominas, Combanus, Casbonus, Pisa, Mercerius, Galiardus, Cherrerius, vniuersa Patria nouit: vt vel præsentissimæ frontis Iesuita publico testimonio conuincatur. Equidem sanctè testor me hîc Iesuitam ne alloquutum quidem fuisse vnquam, quòd sciam. Vniuersam de me verò Ciuitatem id testaturam scio, me cum quoquam Iesuita in publicam disputationem nunquam veniisse, nedum in disputatione occubuerim.

Eiusdem planè fidei est quod nos à vobis ad certamen prouocatos fuisse negas. In celeberrimo enim huius non modò Ciuitatis, sed Prouinciæ quoque cœtu, apud illustrissimum Prouinciæ Præsidem Ducem Monmorencium, Episcopo ipso Nemausensi clarissimóque Magistratu Consulibúsque præsentibus, Ecclesiæ nostræ mandato, conquestus sum vos publico scripto nos prouocasse: quo non doctrina tantùm nostra notaretur, sed celeberrimæ quoque personæ in vestris Assertionibus, nominatim traducerentur, contra diserta Regii Edicti verba. Respondit illustrissimus Præses, Non impedire quominus vobis responderemus. Huius veritatis testes adsunt omni exceptione maiores. Cur ergo impudenter affirmas, Hay, Nomophylacas Nemausi nobis maximè instantibus vt dies vobis ob id diceretur, re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpondiſſe nihil eſſe cauſæ: quum ne verbum quidem apud illos vnquam fecerimus,& infamis veſtri libelli exemplar proſtiterit, quod penes nos adhuc extat.

Cur quoque præfractè negas, in veſtris Theſibus nihil ſcriptum reperiri quod de vllius fama detrahat? Bezam enim hoſtium pietatis ſiue hæreticorum Anteſignanum, eos Hæreticos appellare quos Caluini aſſeclas vocas, non eſt detrahere de vllius fama. Nullum autem verbum de Caluinianis,quos vocas,vos in Theſibus illis feciſſe cur audes affirmare & ſcribere? Chriſtiani quidem ſumus, non aut Caluiniani aut Bezani. Quin verò illorum miniſterio Eccleſiæ noſtræ fructuoſè & vſæ ſint & vtantur,non te latet. Nos igitur Caluini aſſeclæ, Theodori Bezæ milites ſub illius ſignis hæretici & pietatis hoſtes militabimus:neque tamen de nobis, ſi Diis Ieſuiticis placet, Ieſuitica ſimplicitas cogitarit vnquam, nóſque adeò ſimus grauiſſimè accuſandi qui de accepta à vobis iniuria conqueri audeamus: neque ſicarios, perditos, pietatis hoſtes à Ieſuitis publico ſcripto appellari, erit conuitium. Vos igitur qui populi barbaram hanc inſanámque maledicentiam veſtrum iam paſſim deteſtantis odium verebamini, Dei aduerſus lupinã veſtram perfidiam inſenſi iram non pertimeſcetis, neque iam in manifeſto mendacio deprehenſi culpam confitebimini? At hæc profectò Logices Ieſuiticæ ſunt argumenta, quæ quouis modo cauſam ſuam tueatur, & in ſimplicium oculos cineres inſpergat,nihil habet penſi.

Iam verò Thraſonica illa iactatio qua nobis identidem ſcholaſticarum diſputationum paleſtram minitaris, rurſus perſtrepit, licet ad eam iam centies reſponderimus. Age igitur, magne Quin-

Quinquertio, tandem in arenam deſcendamus, ídque ex legibus ſobriæ diſputationis. Túne nobis meritò ſuccenſes, quum æquos iudices legitimúmque diſputandi modum quærimus. Nunquid potius iuſtam amplámque de te conquerendi occaſionem nobis præbes, qui auditorum iudicio Ariſtoteleíſque legibus ſummam de fidei Chriſtianæ rebus diiudicãdi poteſtatem tribuis, íiſque terminis veras diſputandi leges definis atque circumſcribis.Hæc enim tua ſunt verba, *Tu dum æquos iudices & legitimum diſputandi modum quæris, inertiæ & ignauiæ tuæ non obſcuram nobis iniicis ſuſpicionem. Iudicent Auditores, ſeruentur perſcriptæ ab Ariſtotele & in Chriſtianis Academiis longo iam vſu approbatæ diſputationum leges.* Ergo erit inertia & ignauia, ſi Hayo credimus, æquos iudices legitimúmque diſputandi modum poſtulare. Auditorum multitudo de veritate iudicabit, & quod ei bonum fuerit viſum, ſummo iudicio conſtituet. Iudicii illius lex & norma erit Ariſtotelis Organon. Satin' ſanus es, mi homo? Nos profectò à te his in rebus planè diſſidemus. Nobis recti iudicii recta regula eſt, Verbum Dei ſcripturis ſolis definitum:veri iudices,ii qui ex illo Dei Verbo iudicant:vt non Scripturæ tantùm à Scripturis intelligantur, ſed Eccleſiæ Doctoribus tum demum credatur ſeu teſtibus,ſi cum Verbo illo conſenſerint. Quo iure autem Ariſtoteleum Organon recti iudicii legem normámque ſtatuis? Ariſtotelis quidem & in bene diſſerendo & in bene diſſerendi præſcribendis legibus ſolertiam ſubtilitatémque admiramur,& vnicè probamus. At Theologiæ res Ariſtoteleis legibus terminare, Theologicámque demonſtratione illarum autoritate ſtabilire velle,eſt planè & ἀλόγου & ἀφιλοσόφου.quum enim

Quis ſit Hayo legitimus Theologicarum diſputationum arbiter & iudex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnaquæque scientia siue ars à suis principiis tractari debeat, omnino aduersus illam ipsam rectè demonstrãdi rationem quam Aristoteles posuit, grauissimè peccatur, quum genera rerum commiscentur. quod est Μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Philosophia igitur suis quidem & vernaculis, id est philosophicis principiis tractari intelligíque debet: Theologia, Theologicis. vtvt autem recta illa differendi ratio omnium scientiarum & artium sit ξωύφιδ & ministra, non tamen inuadit in illarum fines. Cur igitur Philosophum Theologiæ tanquam antistitem præficis, vt ex illius regulis Theologica demonstratio firmetur atque concludatur: sicuti in vestris Academiis factitari videmus? Limpidi profectò Theologiæ fontes vanæ philosophiæ luto haudquaquã sunt contaminandi? Alii iudices, aliæ iudicandi leges à sanis & Christianis hominibus sunt postulandæ. Verbum Dei & orthodoxæ Ecclesiæ Patres sine controuersia omnes probamus atque amplectimur, seruato tamen illo ordine & decoro, vt Verbum Dei summo loco sedeat, Patrum testimonia accedant secundo. His legibus non modò non recusamus vobiscum conferre de veritate, sed vt id propediem fiat, etiam atque etiam postulamus. Conuolabimus, mihi crede, tanta alacritate, quanto studio rem optatissimam nos tandem aliquando consequi peroptamus. Quid ergo iuuat, Hay, millies repositam cramben miserè disperdere? Verba in rem conferamus. Alioqui memineris inanem hanc gloriationem tuam in tuum caput redundaturam, quasi nullo conueniendi disputandique studio eminus allatres.

Quòd de effosso à vobis Balæi cadauere, Iesuita, non tantùm confiteris sed prolixè etiam gloriaris, tanquam re bene gesta: ecquis non videt te in

te in mentem reprobam traditum, vt omnem impudentiam superares: eóque etiam quòd cum ratione velis insanire? Si ratio est, Verbo Dei abuti, legésque Antichristi opponere veritati, & veritatis nomen ad nefariam audaciam prætexere. Quòd de proiecto enim cadauere negas, non te pudet arbitrari publicorum actorum fidem impudẽtia eludi posse? At facinus vestrum acta ipsa prodent. De iure videamus. Augustum enim sempiternúmque Naturæ ius, vel potius illius iuris autor vindéxque Deus, sepulchrorum asyla sacrosancta esse voluerunt: mortem vt quietem, mortuorum quoque ossa quiescere; neque cuiusquam libidini quouis modo esse obnoxia sanctissimis decretis cauerunt: vt si liuor aut odium inter viuos vixisset, cum mortuis quoque moreretur: ac proinde si minus bene inter eos conueniret quorum inæqualis conditio æqualis Naturæ leges quasi peruerteret, vt homines se esse obliuiscerentur: mors saltem quæ in omnes summum peræquè imperium habet, variarum conditionũ diuortia non modò æquaret, hominúmque dissensionibus clausulam imponeret, sed communem etiam omnium ordinum hominibus concordiam pacémque imperaret. Reine omnibus confessæ quærenda sunt argumenta? Omnes quantumlibet barbaræ nationes id palàm testantur: & si qui minus reuerenter de sepulchris constituerint, ii aduersus inuiolabiles Naturæ leges peccasse, semper sunt iudicati. Diogenem Cynicum detestantur omnes, quòd vt vitam veluti canis traduxisset, pudore eo sublato quem sapiens Natura nascentibus hominibus inseuit, & quem humanæ societatis continendæ vinculum esse voluit: ita inhumanam & beluinam vitam fœdæ sepulturæ contemptu impudenter clausisset, dari sibi bacu-

Homicidæ Iesuitarũ Spiritus ex imanis sceleris defensione, monumẽtum hic agnoscat Lector.

Sacrosancta sepulchrorum iura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum postulans ad canes abigendos, canem se esse nimirum memor, & in vita & in morte. Vnde Cynici nomen inuenit. Hostium quos in prælio interemissent cadauera hostes etiam vt ipsi defunctorum amicis redderent, Leges belli edixerunt: & ita ab omnibus populis post homines natos obseruatam fuisse, historiæ testantur. Certè, Phocylides antiquissimus scriptor sempiternâ illam Naturæ legem aureis verbis descripsit, firmis argumentis docens ab omni ratione prorsus esse alienum, sepulchra erui, Deique iram tanto scelere inflammari.

Μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ' ἀθέατα
δείξῃς ἠελίῳ, κῆρ δαιμόνιον χόλον ὀρσῃς.

Gen. 23. 2. 19. & 25. 29. & 49. 23. &c. Abrahami, Isaaci, Iacobi, Dauidis cæterorúmque illustrium Patrum, non in suorum modò sed in hostium quoque sepulturis curam reuerentiámque videmus. Lex Dei de sepulturis disertè cauit, vt & legis præcepto, illustrissimámque personarum exemplis de officio moneremur: neque verò existimaremus esse superstitionem, in mortuorum cadaueribus humo deponendis curam operámque adhibere. Idcirco enim vetus Ecclesia loca sepulchris destinata commodissimo vocabulo Cœmeteria nominauit, vt nostra corpora non morte extingui aut aboleri, sed ad vltimum beatæ resurrectionis diem dormire intelligeremus. Impiorum quoque corpora in mortem resurrectura dormire etiam constituendum est. Quod Deus per Naturam, quod per legem scriptã edixit, omniúmque animis insculpsit: quódque adeò ab omnibus hominibus & in Ecclesia & extra Ecclesiam post humanum genus natum sanctè obseruatum fuit, id Pontifex Romanus conuellet atque peruertet: eiúsque Leges aduersus Dei & Naturæ decreta perlatæ pro canon icis habebun-

habebuntur? Hæreticos quidem maximis supplicíis dignos esse arbitramur, sed & quandiu & quomodo nocere possunt. Primum omnium quínam sint hæretici constituendum est. neque enim Christus & Apostoli idcirco erũt hæretici, quòd à primoribus Iudaicæ Ecclesiæ & hæretici haberentur & tanquam hæretici infamibus suppliciis tractarentur, vt vix ipsis sepulturæ ius tribueretur mortuis. Deinde, vtvt hac de re maximè constaret, in statuendo tamen supplicio & æquitas & honestas debet adhiberi. Hæretici viui puniendi, etiam de medio tollendi, siquidem è re Ecclesiæ ita videatur. Omnia pestilentis doctrinæ monumenta siue scripto siue alio quouis modo prodita, quantùm fieri poterit, omnibus quidem modis abolenda: at ex animis ratione cumprimis extirpanda atque eradicanda sunt. In mortuorum cineres cur sæuiatur? Quum summus Iudex summam mortis supplicio sententiam tulerit, nefas est inferiori Iudici eam nouo decreto augere. Iniusta est & insolens seueritas, Dei iustitiam seueriorem postulare. Deus quidem vt maximum supplicium præfractis hostibus suis inflixit, quòd insepulti iacerent. Iezabelis impiam crudelitatem sic vltus est. Sedechiæ obstinato hypocritæ 2. Reg. 9. 35 Ier. 22. 19. minitatus est futurum vt asini sepultura sepeliretur. Hæc verò Dei fuerunt decreta, semper quidé iusta, at huiusmodi vt hominibus non magis sit fas ea ad animorum suorum impotentiam præterire, quàm summi Iudicis nomen autoritatémque vsurpare. Verùm hæc fuit Pontificis Romani audacia vt se tanquam Deum efferret. id est vt summi illius imperii quod vnius Dei est, vsurpatione, se Antichristum esse profiteretur. Erat etiã lege constitutum ne eius qui supplicio capitali de medio sublatus erat cadauer, in patibulo vel Deut. 21. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnum diem totum remaneret. in ipsorum enim suppliciorum horrore voluit Deus homines humanitatis meminisse, ne ferarum instar alii in alios sæuirent. Homicidæ igitur Diaboli spiritus verè κακόνους hos Canones dictauit Pontifici Romano, vt sub hæreticorum ementito nomine, suos aduersus viua Ecclesiæ membra lupina feritate armaret, in quos etiam mortuos decerneret esse sæuiendum. Ita conqueruntur Fideles in Psalmo, suorum cadauera feris fuisse proiecta. Apage igitur immania Pseudosynodorum vestrarum statuta, quæ immutabiles Dei & Naturæ leges violare minimè potuerunt: vt àte, Hay, illis opponi sine summo scelere nequeant.

2. Reg. 23. 16. Neque item Iosiæ pii Regis exemplum quod prætexis, sceleratæ audaciæ vestræ crudelitatisque vllo modo fauet. Hoc factum Iosiæ fuit planè extraordinarium extraordinario Dei mandato innixum: sicuti disertis verbis dicitur in ipsa historia, *Iuxta verbum Iehouæ quod prædicauerat vir Dei qui hanc rem futuram prædixerat Ieroboamo Regi impio.* Alioqui cadauerum contrectatio fuisset contra legem Dei, quæ pollutum dicebat eum qui cadauer tetigisset. Ne igitur id temerè fecisse Iosias videretur, testatur sacra historia peculiare Dei mãdatum intercessisse, quod eum à Legis violatione vindicaret. Factum quoque illud fuisse extraordinarium ostendit seriei vniuersæ historiæ, Quòd in aliena ditione altaria non modò euerterit, sed & cunctos Excelsorum sacerdotes super altaria mactauerit. Fuit enim iustum & ἀντίμισθον quidem Dei iudicium aduersus profanos Idolorum sacerdotes, vt talionis pœna ipsorum scelera punirentur. Mactabant hostias Idolis, & ipsi mactantur. Viuos homines igni cremabant, vt Molocho seruirẽt. Ipsis super altare

Leuit 5.2. Num. 19. 16 Leuit. 21. 1.

Insignis Scripturæ depravatio è Iosiæ exemplo extraordinario.

altare mactatis mortuorum ossa fuerunt combusta. Purum Dei cultum sua idololatria perfœdauerant, Idolorum altaria ipsorum ossibus fuerunt polluta. Quid igitur? Quod Deus iubet ipso iure iustum & bonum est. Diuinæ iussionis regula est lex Dei, omnibus vniuersè perscribens quid facere aut fugere debeamus. Si quid Deus piis viris præter illum suæ legis ordinem mandauit, id quidem iustum est, non tamen in exemplum est trahendum. Exempli causa. Testatur sacra historia, populum Dei paulò antequàm ex Ægypto egrederetur, vasa aurea & argentea omnisque generis vestimenta ab Ægyptiis mutuò accepisse, atque hoc pacto Ægyptios spoliasse. Id sanè Exod. 11. 2
Israelitarum factum fuisset hauddubiè furtum ex Legis præscripto, in eo genere censendum quo mutui siue depositi interuersio, nisi peculiare Dei mandatum interceßisset. Ecquis verò inde colligat, hospitem mutuò spoliandum? nisi vos fortasse, Iesuitæ, quibus id vnicè pensi est, vt non modò eorum puerorum qui fidei vestræ concreduntur, hereditates, sed ipsos etiam pueros, quantumlibet inuitis parẽtibus, interuertatis. Siccine etiam in allato à te, Hay, Iosiæ exemplo concludes? Probandum tibi anteà fuerat nos esse hæreticos. Licet autem nos pro hæreticis millies habeatis, nihilominus tamen (priusquàm simile quidpiam de nobis etiam mortuis statuere possetis) Iosiæ exemplo, probandum vobis erat vos peculiare Dei mandatum habere, quemadmodum de Iosia iam probauimus. Num vobis ergo, Iesuitæ, peculiariter mandatum est à Deo, vt nos & viuos mactetis, & mortuorum cadauera effodiatis? Hæc nimirũ est Iesuiticæ Logices ἰρμήνεια, hæc consequutio, Hayo interprete, vt Regium Edictum quo de sepulchrorum iure nobis cau-

tum est, furoribusque Iesuiticis præclusus aditus, aduersus Dei & Naturæ sempiternam legem armet. Regi nostro Christianissimo vt optimam mentem, ita commodiores Edicti sui interpretes quàm Iesuitas, largita est Dei misericordia: à qua etiam nouum hoc beneficium speramus, vt quale sit Iesuitici erroris virus omnibus patefaciat. Certè, si Iesuitis fides adhiberetur, hac publicæ pacis tranquillitate haudquaquā vteremur, sed in suos & viuos & mortuos Gallia sæuiret. Pacificus Regis nostri animus communi Patriæ iure vult nos vti, & dum viuimus & dum morimur: vt idem quod ipsius Maiestati obsequium superstites præstamus & præstare est animus, idem liberis nostris hereditarium relinquamus.

Tu igitur, Scote, quò vis vt abeam? Mihi quidē & viuo & mortuo dulcissima Patria sit sedes. Quin tu potius cum hac infausta tua Regii Edicti interpretatione in vltimam Iaponiam abito: hócque sceleratæ audaciæ publico monumento negat cuilibet sano esse manifestum, vos non modò Academiæ Turnoniæ, sed Turnoniorum Herôum nobilissimæ familiæ, ipsíque cumprimis illustri herôi Iusto Turnonio (quem honoris causa nomino) maximam feciſse iniuriam, quòd eius nomen autoritatémque ad vestra scelera prætexatis: vt non modò impunitatis illecebris ad noua flagitia paratiores sitis, sed cum ratione etiam ipsa insanire vobis videamini. Quòd autem non modò priuatorum hominum sepulchra, sed Regum Mansolea fuisse effossa ais, si quid huiusmodi accidit, (quod tamen ne fieret illustrissimorum Principum prouidentia tunc diligenter cauit) furor fuit bellorum ciuilium, quem cum cæteris miserrimi temporis insaniis penitùs detestamur. Túne igitur Canonum Pontificiorum patrocinium

nium aduocabis, Iesuita, vt tuos doceas aduersus nos impotentiùs furere? Vósne Regum & Principum Mansolea non violatis? At Reges ipsos & Principes mactatis. Quid enim in Anglia moliti fueritis, quid in Belgio aduersus illustrissimum Principem Orengianum immani perfidia per emissarium tandem perpetraueritis, qualis fuerit consiliorum vestrorum in Lusitania exitus, quis nescit? vt his luculentis exemplis discant Reges & Principes quantùm sit Iesuitis tribuendum, qui & amicis & inimicis lethale venenum propinent.

Iam verò, Hay, rerum Nemausensium maximè perite, écquos Nemausi μετοίκους nosti qui pacem impediant? Omnes quidem Ecclesiæ huius primores indigenas & ciues nouimus. Ego & collegæ mei non sumus peregrini neque ex quercu nati. Municipii ius patres nostri Nemausi nobis reliquerunt: vt quemadmodum Paulus Philippensibus Præfectis patriæ ius opposuit, ita nos tibi Patriæ ius charitatémque opponamus. Quantùm verò pacis simus amantes, in eáque retinenda pro virili elaboremus, non modò aut conciones nostræ aut priuatæ publicæque actiones, sed vniuersa quoque indiscriminatim Ciuitas testabitur, iis etiam quos tu tuos vocas, tibi idcirco indignantibus quod in re seria tam inciuiliter nugeris. Egóne etiā dum de Regni pace loquor, de re aliena loquor, vt me mea curare meritò iubeas. Res Ecclesiæ & Patriæ pro quibus viuo, & pro quibus mortem obire sum paratus, mea profectò res est. Bellum, Ecclesiæ summum detrimentum, Patriæ incendium, omnis officii pestem arbitror, totóque pectore detestor. At tu, Monache, cui peregrino paratum est bonum in Academia Turnonia penu, quem Patriæ nostræ mala non

tangunt, calamitatibus nostris sic insultas, quasi ægrotanti morbo delectari suo exprobres. Apage igitur ridiculam obtrectationem tuam, hominum sapientissime, mendacii spiritu planè indignam.

Hayanæ Logices acumen.

Quantum verò sit argumentorum tuorum acumen, licétne expauculis iudicare, vt cætera à tuo crasso Codice lector recognoscat? *Minister*, ais, *picturata Iesuitarum stemmata obiter perstrinxit. Ergo nomen Iesu Turnonieque familiæ stemmata irridet, Nobilitatem exagitat, Plebis factionibus fauet.* &, *Minister affirmat sibi terrorem omnem euanuisse, assertionibus nostris perlectis. Atqui terror adhuc percellitur: quum scribat. ex quo constat eum non ausum fuisse nobiscum disputare. Ergo calumniatur.* Exquire formam & figuram in tuis cumulatis syllogismis. &, *Minister in acie non confligit. Ergo non est amator pacis:* vt cætera argumenta prætermittam. quid enim attinet tot vocum & verborũ λαμπακισμους commemorare? quum hac indicatione Lector de cæteris moneatur: ego verò diuerticulis tuis in Regiam viam reducendis si immorarer, tecum extra rem digrederer. Duodecim enim folia illa quid complectuntur? Satis igitur Beza, satis Hussitæ se tuentur, vt me patrono minimè indigeãt, quum in Hayano multiloquio permulta peccari qui vel obiter librum cognouerit, animaduertat: vt illi me magnam facturum iniuriam putem, si in nugis tuis refellendis longo sermone & eum & me fatigarem.

Quid verò tantoperè indignaris quòd verè & candidè fuerimus loquuti? aliorum enim de vobis sententiam verè retulimus, nostram non interposuimus. In eo quod in vobis reprehendimus, haudquaquam peccauimus. Quid igitur iuuat tam impotenter in me excandescere, cæcoque pu-

que pudore vobis indulgere? *Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.* Ab amicis vestris ea recognoscite quæ à nobis quos pro hostibus habetis, non potestis æquis animis audire. Iam diriora de vobis percrebrescunt: quæ pudor meus non patitur me hîc commemorare. Verùm de his hactenus.

Inepta typographici erroris reprehensio, ex quo de cæteris iudicandũ est.

Typographiolæ autẽ nostræ lapsum quid opus erat tot diris in meum caput hîc expiare? *Iesustimagas* inuersis literis scriptum erat pro *Iesumastigas.* at eodem in loco eodem lapsu peccauit Typographia tua, literarum nimirum transpositione. nam in illis verbis tuis, *Quum hæc in me emoueres.* scriptum est, *emoueres*, pro *euomeres.* Hoc vnum exemplum pro multis quæ passim occurrunt, τεμμάχιον & index esto Hayanæ prouidentiæ. Quid si, Hay, vt παιδίον pro παιδιον dixerat Ammonius Sacerdos Alexandrum alloquens, (vnde omẽ accepit Alexander, quasi ille παῖ Διὸς, fausto nomine se compellasset:) ita meus Typographus corruptè Iesustimagas scripserit, vt vos Iesustigmatias, id est à Iesu (cuius nomen ementimini) familia fugitiuos siue transfugas esse significaret.

At de his quidem satis supérque, ne tecum ineptiam. Sic verò ad virulentam maledicámque responsionem tuam responsum esto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

OCCASIO, SVMMA, ET œconomia vniuersæ disputationis, & prioris & posterioris.

Disputationis capita.

IESVITÆ Turnonii tres assertiones ediderant, De autoritate Ecclesiæ, De imaginibus, De corporis Christi præsentia eiusdémque communicatione in Cœna Domini: publicúmque scriptum ad Academiam Nemausensem nihil huiusmodi expectantem miserant, vt eam vel ad disputationem prouocarent, vel de ea prouocata, nisi responderet, quasi per silentium victores, suo more triumpharent.

Præfationis causa.

2. Quòd priuatæ publicæque pro religione decertationes Edicto Regio sint vetitæ, prouidendum erat initio ne Academia violati Edicti rea perageretur: neque tamen necessariam veritatis defensionem prætermitteret. Quum igitur respondendi partes mihi essent tributæ, præfatione erat mihi opus qua susceptæ scriptionis causam sic demõstrarem, vt in rerum grauissimarum explicatione, (quæ ab aliis sæpe essent aliàs tractatæ,) & breuitatem & perspicuitatem in ipso libello meo adhiberem.

Disputationis ordo.

3. Vt autem disputatio ordine progrederetur, primum omnium necesse fuit Assertionum illarum Analysin substerni, nostrámque doctrinam, quam veram esse contendimus, doctrinæ in Assertionibus illis comprehensæ opponi: quò ex illa comparatione sine contentione cõtrariarum sententiarum siue veritas siue falsitas certiùs dilucidiúsque diiudicaretur.

4. Pri-

Prima quæstio.

4. Prima quæstio est De autoritate Ecclesiæ Dei: quam quòd Iesuitæ Verbi Dei autoritati anteponerent, geminam feci quæstionem, De Verbi scripti & Ecclesiæ autoritate, vt vtriusque naturam distinctiùs repræsentarem autoritatémque inde compararem.

Quæstionis summa è Iesuitarum assertionibus, &

5. Ponebant Iesuitæ, Ecclesiam Christianam conseruasse Verbum Dei, verámque illius sententiam omnibus explicare: ac proinde Scripturas sacras ex Ecclesiæ arbitrio & autoritate pendere.

6. Deinde, Omnes res fidei ad scriptum Dei Verbum minimè esse reuocandas, sed Traditionũ sine Verbi non-scripti supplemento indigere.

7. Grauissima autem absurda, nisi ita crederetur, consequi affirmabant, & nonnulla in suis illis Assertionibus notabant.

Nostra sententia descripta.

8. Nos contrà opponebamus, Ecclesiam quidem Christianam esse columnam & firmamentum, id est custodem & interpretem veritatis: hactenus tamen vt ipsa Verbo Dei scripto tota innitatur.

9. Vnico autem Dei Verbo omnes res fidei contineri: vnicúmque Dei verbum, quo salutaris illa doctrina definitur, veteris & noui Testamenti libris comprehendi affirmabamus.

10. Nulla verò esse illa absurda quę nobis opponerentur: grauissima contrà ex nouis illis commentis nasci asserebamus.

Disputationis œconomia & series.

11. Disputationis autem ipsius hæc fuit œconomia & series. Quòd in Verbi & Ecclesiæ Christianæ nominibus laterent insidiæ, quum Verbi appellatione, Romani Pontificis traditiones: Ecclesiæ autem Christianæ nomine, Romanam Ecclesiam cuius caput est Pontifex Romanus, intelligerent: rectè demonstrandi leges postulabant

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt vocabulorum homonymiæ in ipso disputationis primordio tollerentur, atque adeò quæstionis termini exponerentur.

Termino rum quæstionis explicatio.

12. Ipsa igitur & Verbi & Ecclesiæ nomina erant explicanda. id est docendum Ecclesiæ Christianæ nomine non intelligi Romanã Ecclesiam, quæ in Catholicam Ecclesiam imperium vsurpet: neque Verbi Dei appellatione, non-scriptas illas Pontificis siue Concilii Romani traditiones: ac proinde Romanam Ecclesiam Catholicæ nomen faciémque ementiri.

13. Contrà demonstrandum erat quænam illa esset Ecclesia, de cuius autoritate agebatur, atque adeò ex veris germanisque notis suis definienda erat: quæ quum Verbi Dei terminis circumscriberentur, Verbi ipsius & Ecclesiæ autoritas è suis gradibus expendenda erat: vt cuinam prior cúinam secundus deberetur gradus, intelligeretur.

Explicatio quæstionis.

14. His ita substratis, primaria quæstio explicanda erat, Ecclesiam Dei videlicet fundatam esse super doctrina Prophetarum atque Apostolorum: ac proinde non Verbum ab Ecclesia, sed à Verbo Ecclesiam pendere.

15. Deinde, omnia ad fidem salutémque nostram necessaria Prophetarum & Apostolorum scriptis contineri: ac proinde Ecclesiæ doctores illius veritatis testes atque interpretes esse hactenus idoneos, si veritatis illius fundamento veritati illi consentaneum doctrinam superstruxerint.

16. Quòd autem nonnulli Scripturæ & Patrum orthodoxorum loci soleant huic doctrinæ à Iesuitis opponi: germana quoque illorum locorum sententia ostendenda erat.

17. Tum accuratior disertiórque eiúsdem doctrinæ

doctrinæ explicatio adhibenda erat, quò illius vsus commodiùs perspiceretur.

Denique, singulis incommodis siue absurdis, quæ Ecclesiarum nostrarum doctrinæ opponebantur, respondendum erat, vt ab his calumniis illæ vindicarentur. Respõsio ad obiectiones.

18. Probationum autem ratio, è Scriptura primùm, è Patribus deinde instituenda fuit: vt quidem non tam me quàm ipsam Veritatem loqui constaret.

19. Hæc fuit igitur prioris disputationis conformatio & series: quam Ioannes Hayius Iesuita magno volumine exagitauit: non quidem vt nostram doctrinam solidis rationibus refutaret, nouisque argumentis suam confirmaret: sed vt tinnulis quibusdam reprehensiunculis singula penè verba mea grammaticè carpens, in rebus sic se ieiunum demonstraret, vt semotis criminationibus & conuitiis, nihil tota disputatione, quantumlibet prolixa, penè comperiatur: quemadmodum ex ipsa disputatione cuilibet erit perspicuum.

20. Itaque, quod tamen maximè optabam ad disputationis formam rectè constituendam, efficere non potui vt primarios quosdam syllogismos veluti vniuersæ disputationis fulcra, Responsionis istius meæ primordio collocarem: quum sint disiecta dissipatáque Hayanæ orationis frusta, nulla partium textura conformata, vt in vnum corpus contexi nullo modo queant.

Sic mihi igitur agendum cum Hayo est, (quò solidi iudicii ratio constare Lectori ex hac disputatione possit) vt singulas eius obiectiones singulatim insequar atque refellam: ipsúmque adeò mecum suis verbis disputantem, méque mea defendentem introducam. Non, sicuti ille mecum

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit, vt opimum ipsius codicem in meum deri-
uem: sed vt ex profusa Iesuiticæ ἀθυροστομίας farra-
gine primarii sermonis, Et ex ipsius quidem di-
sertis verbis summam excerpam. Itaque disputa-
tionis excrementis initio semotis, in ipsius rei
examine totus posthac versabor: causam cum
causa, rem cum re, rationes cum rationibus, argu-
menta cum argumentis, testes cũ testibus, (quan-
tùm Hayus patietur) cõferam. Quum autem hoc
vnum ille moliatur vt quod in meo libello iam
docui, euertat: id quoque in hac Responsione mi-
hi institutum est vt ostendam nullas esse & plane
irritas illius exceptiones. Itaque meum libellum
vt autographum & firmamentum disputationis
is habere debet qui de his controuersiis recte
vult iudicare: eadémque opera Hayi codicẽ con-
ferre. Sic enim fiet vt ex mutua contrariarum sen-
tentiarum collatione quid ab vtrisque nostrũm
dicatur, certiùs vtiliúsque perspiciatur, neque
alienæ fidei credat.

HAYANÆ DISPVTATIONIS

*Vestibula, quibus vt respondeam Lector pe-
tietur, & ista leget vt necessaria. Sunt enim*

De Qvæstionis Terminis.

Proximum erat vt ad ipsam rem continuò ag-
grederer: sed tua me, Hay, vestibula decem pag-
nis effusa remorantur: quæ priùs sunt à me per-
currenda quàm ad ipsius disputationis penetra-
lia accedam.

HAYVS.

*Itáne Regiorum Edictorum autoritatem con-
temnis?*

Societatis nostræ homines Christianissimi Regis patrocinio, in Galliarum Regno dum afflictis Ecclesiæ rebus opitulantur, subtilissimis disputationum laqueis, vel prudentissimorum solertiam, te autore, conãtur circumuenire? &c. pag. 2.

SERRANVS.

Si Iesuiticum ingenium prodere, esset Regia Edicta contemnere, quàm multi boni & prudentes viri in vniuerso hoc Regno, & in ipsis quidem Parlamentis & Academiis essent Maiestatis rei. At certè Regis nostri Christianissimi Edictum quod docendæ veritatis facultatem nobis tribuit, idem conuincendi mendacii potestatem dedit. Neque enim Reg. Edictorum Maiestas contemnitur, dum mendacium sub vestræ artis insidiis latens, à nobis conuincitur.

Velitationes Iesuiticæ, rei primariæ effugia.

HAYVS.

Sed dic quæso, qui Aristoteleos fontes exhausisse præ te fers, quænam sit hæc ars, cuius præstantiam nobis vendicamus? &c. pag. 2.

SERRANVS.

Dicam, Non ab Aristotele sed à meliore præceptore didici, vestram artem esse Alcam hominum, veteratoriam ad insidiosè fallendum versutiam: vt nimirum discatis fallere, & scientes-volentes fallamini, semper discentes & docentes, neque ad veritatis agnitionem peruenientes ipsi, neque ad eam alios adducentes. Vestræ illius ἀλλοτρίου γνώσεως (vt ait Apostolus) ἀπηθέσεις

Ephes. 4. 14.

Ars Iesuitica ab Apostolo descripta.

1. Tim. 6. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erroris efficacitas hactenus quidem comitata est, iusto Dei iudicio: at mementote vobis esse man-
Apoc.9.4 datum ne gramen terræ aut viride quicquam, neque vllam arborem læderetis: sed tantùm homines qui nõ habent signum Dei in frontibus suis: vestrámque illam nocendi potestatem mensium quinque spatio fuisse circumscriptam. Itaque scitote nihil esse causæ cur de discipulorum vestrorum numero triumphetis, quum Deus non modò suos è vestris laqueis sit suo tempore extracturus, sed fallaciis etiam vestris, ne vlterius euagentur, modum propediem impositurus. Arida quippe ligna Deus (cuius iusta semper sunt iudicia,) penitus nouit, & suo tempore comburet.

HAYVS.

Si tuo iudicio nullus ex hac, quam suscepisti, disputatione fructus possit existere, quid te ad scribendum impulit? pag. 3.

SERRANVS.

Hoc nimirum, vt præfractis & obstinatis in hac veritatis necessaria defensione omnem excusationis ansam præciderem: ac proinde vt quum veritati contra conscientiam reluctantur, ipsi ἀυτοκατάκριτοι certo iudicio condemnentur. Ne-
2 Cor.2. 15. que tamen minus veritas triumphabit, quum sit odor mortis in mortem iis qui pereunt, vt odor vitæ in vitam iis qui seruantur; atque adeò operam oleúmque nõ perdo. At percupio hanc propriè salutarem doctrinam tuæ tuorúmque saluti cedere.

HAYVS.

HAYVS.

Ea est ingenij mei tarditas vt quid his verbis tibi velis assequi nequeam. Redi in gratiam cum tua Logica, quæ te dum hæc scriberes, videtur deseruisse. pag. 3.

SERRANVS.

Dixeram non inutile de veritate certamen existimandum esse, ex quo veritatis aduersarius obstinatior atque insolentior excedat: quorum verborum tam plana & perspicua est sanis hominibus sententia vt tu meritò ingenii tui culpam confiteâre, quum in re ipsa obscuritas haudquaquam insit. Licet enim hæretici repugnent veritati, gigantúmque in morem petant cœlum petulanti stultitia, nihilominus tamen sua veritati victoria constabit, quæ victricem Dei manum exerit, dum sua virga illa ferrea Filius Dei obsti- Psal 2.
natorum hostium capita, sicuti vas figuli conterit. Exempli causa. Concionatus erat Christus Ca- Ioan. 6.
pernaitis perfectissimè de vera carnis suæ man- 50.
ducatione. Eius tamen sermonem illi clamant esse durum, complures etiam secedunt. Eidem aliàs quisnam ipse esset perspicuè testato insultant Iudæi, eúmque conantur reprehendere. Illum tandem apprehendt, damnant, supplicio sæuissimo multant. Idcircóne minus vicit Christus, etiamsi Pharisæorum plebisque insanæ audacia aduersus ipsum ipsiusque doctrinam omnibus insolentiæ ac crudelitatis generibus fuerit debacchata: imò eum viderunt quem punxerant, in Euangelio suo per Apostolos suos triumphantem, vt iudicem summum in extremo tandem die experiantur.

Veritas in præfractis etiã hostibus suis victrix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc esse Tertulliani sentẽtiam in libro de præscriptio. aduersus hæret. ex ipsius loci lectione constat. Tibi verò, Hay, vtinam ne ista sic conueniant vt duritiæ tuæ in apostasia tua (si veritati pergas aduersari) ἀμεταμόητα pœnas grauissimas feras, ab eo cuius modò patientiam iocabundus irrides. Quin potius tu redi ad verè λογικὴν λατρείαν Dei: neque idcirco existimato me à mea Logica desertum fuisse quòd tu puram religionem, in qua puer in Scotia innutritus fuisti, non modò deserueris sed euomueris, & aurem ad Dei vocem sicuti aspis surda, modò obtures. Veritatis triumphos ne somniato, etiamsi præfractissimo animo bellum veritati sempiternum indixeris. Te tamen in eorum numero esse percupio qui cognitæ veritati tandem cedant. Quòd autem complures vestrûm naufragium fidei fecerint, & exploratæque veritati bellum inferant, alii peccent ignorantia, causa fuit cur duplex vestrorum hominum genus constituerim.

Rom. 12. 1.

HAYVS.

Virum te prouidum ostendis qui memor illius Homerici ξυνὸς ἐνυάλιος, *ante conflictum de hostibus & sanguine tam diligenter cogitas. &c.*

SERRANVS.

Illepidus est & importunus hic tuus iocus Hay, te tamen Iesuita bellè dignus, neque enim impropriè loquebatur Apostolus quum doctrinam suam *Gladium ancipitem* vocabat, & *arma militiæ suæ* prædicabat: neque Propheta regnum Christi describens, *Vulnerabit in die furoris sui Reges, & replebit loca cadaueribus*: & zelum fidelium

Heb. 4. 12. 2. Cor. 10. 3. Psal. 110. 6. 149. 6.

lium in Verbi propagatione, *Et gladius anceps in manu eorum ad faciendam vindictam de gentibus*: &, *Pedes suos lauabit in sanguine impij*, &c. vt sexcenta huiusmodi dicendi genera prætermittam, quibus spirituale Christi regnum nõ gladio quidem temporali (quem vt sibi proprium arripuit Antichristus) non corporum sanguine (quem vt effundit idem Antichristus, ita purpureum colorem, magnæ Meretricis insigne, sui Senatus insigne esse voluit:) sed veritatis victoria, & mendacii ac Pseudoprophetarum clade & ignominia illustre esse significatur.

58. 11. &c.

Gladius, arma, militia, sanguis, sumuntur figuratè pro ipsius doctrinæ certamine.

Tui quoque Attici dicunt ἀναιμωτὶ siue ἀναιμαχὶ de doctrinæ ipsius palestra & conatu: quemadmodum & Latini, sine sanguine & sudore pro eodem. Ita dicendi genus quo sum vsus de incruentis nostris disputationibus loquens, debebat à te commodè intelligi, neque tuis auribus potuit esse peregrinum quin te à communi loquendi vsu, ipsáque adeò ratione peregrinum esse ostenderes.

Aliena porrò non curo, quum ab hostibus veritatis prouocatus, veritatem defendo, armis illis spiritualibus quæ neque Regni politiam neque Patriæ tranquillitatem interturbabunt: dum ego tibi thrasonicè victoriam ante certamen pollicenti arma paro & sanguinem.

HAYVS.

Si animum ad mansuetiores Musas ἀπ' ἀνυδρῶν ἀνύχων, Minister, adiecisses, nihil cõtra Logices præcepta in Thesibus nostris peccatum inuenisses. Verùm meo consilio Mathematicorum scripta euolues. &c. pag. 5. tota.

SERRANVS.

Inepta analyseôs reprehensio.

Nimium es tibi Suffenus, Monache. non enim sentis teneros illos tuos vngues, siquos habebas puer, in Iesuitismo obduruisse. Quisnam verò πυδ εἰμς τρόπου apud Mathematicos sit vsus sine te nouimus. Omni scientiæ, non solis Mathematicis disciplinis, suam Analysin constare, didicerámus in Academia & Peripato. Est enim Analysis, Quid sit ἀνάλυσις. ἕρεσις πρὸς τὰ ὑποθέσεων δι' ὧν συνάγεται τὸ ἀληθὲς συμπέρασμα. Methodum ergo illam siue rationem qua propositiones ex quibus fit complexio, ad sua principia reuocantur, Analysin, quasi retexionem complexionis, propriè veteres appellarunt. Est enim prima Analyseôs opera, Ἐ ὑποθέσεων θέσεις, quæ deinde ipsæ per syllogismum scienter exædificantur. Quòd si vel summo iudicio perscriptæ Theses analysin postulãt, num tuæ meritò indignabuntur si ad Analyseôs leges reuocentur? Ex illis igitur propositiones bona fide eduxi, vt & vestra sententia intelligeretur, & disputationi via opportunior sterneretur, earundem connexionem consequutionémque suo loco ostensurus.

Inepta solœcismi indicatio.

Id quidem quàm rectè præstiterim, iudicabit eruditi: te verò, perspicacissime Aristarche, solœcismum in illis meis verbis imaginari, *Rés ipsa adeò nullis inuolucris & fucis ipsa, simplex & vera perspiciatur: cuius hæc est plana & perspicua analysis*, pueri ipsi pronuntiabũt: quum, nisi res aliter egisses, illud *cuius*, ad *Rei* referri, perspicuè animaduertisses; neque cerebrum tuum, in quo primaria erat solœcismi causa, magna exclamatione continuò exenterasses. Gentem verò Iesuiticæ Logices formam ex loco consideret Lector. Rei primariæ examen variis effugiis eludixerim, suprà ostendi; & rem simplicem veramque me

que me appellare eam quæ à fallaciis vestris sit euoluta, quis non videt?

dit verborum obseruatiunculis. Res planè confessas initio negat, quas postea affirmat.

HAYVS.

Somniare videris, Minister, In nostris Thesibus nihil de Verbi Dei (si Dei Verbi nomine τὸ ἄγραφον intelligas) autoritate scriptum reperisti. &c. pag. 6.

SERRANVS.

Non somnio, Iesuita; sed tu pergis res alias agere. Tua verba recognosce, antequàm efferuescas. Hæc autem ipsissima sunt, *Sacrarum rerum monumenta literis consignata.* Ecquid aliud est Verbum Dei, quàm *rerum sacrarum monumenta*: & τὸ ἄγραφον, quàm *literis consignata*? Ad cætera autem huius paginæ verba iam respondi. id est conuitiosæ loquacitatis quisquilias euerri, vt hîc scopa non sit opus.

Fœda Hayi impudentia, sua verba negantis.

HAYVS.

Non potuisti sine calumnia præclara hæc tua arma expedire: memorem mendacem esse oportet. Vbi in Thesibus nostris hæc verba legisti, Verbum Dei partim scriptis, partim traditionibus continetur. &c.

SERRANVS.

Hæc ipsissima sunt primæ assertionis vestræ verba partim literis consignata, partim sine scripto tradita. Deinde, illorum verborum identitatem,

Aliud Hayi mendacium

propriis verbis cõpictum.

vt ita loquar, tu ipse hîc agnoscis, his verbis, *Sententiam verborum non negamus.* Certè, ea sunt ταυτὰ & συωώνυμα, ὧν ταὐτος ὅζην ὐσίας λόσ☉, ac proinde verè eadem, etiamsi eædem non extent literæ & syllabæ. sicuti quum Hominem dicimus, & Animal rationis particeps, idem planè dicimus. At *Literis consignari, & Scriptis contineri: sine scripto tradi, & traditionibus contineri,* tu ipse fateris esse συωώνυμα. Cur ergo negas totidem verbis illud à vobis scriptũ fuisse, quum & ipsum illud *Partim*, in quo sita est controuersia, sit in tuis thesibus, & illorum verborum sententiam fatearis ipse. Quomodo igitur calumniam sine calumnia mihi potes infligere? Est crassa Elenchi ignoratio: & non modò memoriæ lapsus, sed summa vel impudentia vel vecordia, Iesuitica quidem fronte bene digna, à bono & sobrio viro penitus aliena. Perinde enim est ac si dicas me calumniari, quum dicerem idem esse, Petrus est homo: & , Petrus est animal rationis particeps.

HAYVS.

Cum tuo commento miserabilem coniunxisti differendi insciti am. perinde enim tibi est affirmare, Verbum Dei esse vel scriptum vel non-scriptum, & asserere, Verbum Dei partim scriptis partim traditionibus contineri. At tu negare non audes, Verbum Dei esse vel scriptum vel non scriptum. &c. pag. 7.

SERRANVS.

Satis pro imperio, & in re quidem ea quæ clamat me à te perperam reprehendi. Equidem scio non

non idem esse, *Verbum Dei est vel scriptum vel non-scriptum*: & , *Partim scriptum & partim non scriptum*: neque tu me, Hay, cõtradicentium propositionum leges docebis: quarum hanc esse naturam puer didici, vt nihil in illis medium comperiatur: cuiusmodi etiam τὸ ἄμεσον in verè ἀντιδιπροθέσεως speciebus eodem genere comprehensis elucet: vt, Homo Rationis particeps, & Rationis expers, quarum quidem specierum commune genus ità inuestigandũ est, vt in genere illo animalis, id est inter λοσικὸν & ἄλοσον, nihil sit tertiũ. Huiusmodi nunc inter nos controuersia agitatur: quam à te, Hay, (si Assertionum illarum autor es) sic proponi animaduerti, vt (sicuti aliâs etiã ostendam) à communi Romanæ Ecclesiæ doctrina & sententia dissideres. Cui insidiosæ fallaciæ in ipso disputationis primordio sensim obrepenti volui Analyseõs opera prouidere. quorsum enim Analysis nisi ex principiis suis veluti è Lydio lapide veritas intelligeretur? Idcircò disertis verbis subdolam vestri Iesuitismi elegantiam volui eruere & explicare, vt vos ad receptam Romanæ Ecclesiæ sententiam autoritatémque reuocarem: à qua noui scilicet homines, dissentire pro arbitrio soletis; vt aliquid exquisitius elegantiúsque afferre videamini.

Fuga Iesuitica, ne ad rem ipsam continuò veniatur.

Nunc enim persic negat Hayus quod postea affirmabit, Verbum scriptum & non scriptum esse Verbum Dei.

Affirmat Ecclesia Romana hanc esse suam Pontificisque Romani autoritatem vt decreta de religione conscientiis præscribat, & hactenus quidem vt illis perægrè ac ipsius Dei scripto Verbo sit obtemperandum. Ita Dei & Ecclesiæ mandata accuratè distinxit Ecclesia Romana, vt qui hanc distinctionem sustulerit, omnem ipsius autoritatem planè sustulerit. Illas leges à Verbo Dei scripto distinctas, Traditiones Ecclesiæ siue Verbum Dei Non-scriptum appellari qui negat, Romanæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ doctrinam ex ipsis fundamentis con-
uellit, quum hac ferendorum decretorum autori-
tate omnes cæteræ leges inuitantur.

Et ne in re non dubia probanda adhibeam te-
stes non-necessarios, & rei peruulgatæ probatio-
nem aliunde quàm ex vobis Iesuitis petam, nam
vestri Catechismi conceptam formulam tibi li-
cebit negare: cuius hæc sunt diserta. *Quid est fi-*
Parui Ca-tech. cap. 3. *des? Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo fi-*
miter assentitur omnibus quæ Deus reuelauit, &
nobis per Ecclesiam credenda proposuit: SIVE
SCRIPTA illa sint, SIVE NON SINT.
Extant autem distincti tituli, De Decalogo siue
mandatis Dei, & De præceptis Ecclesiæ siue de
Traditionibus. Traditionum autem æquam esse
cum Verbo Dei autoritatem potestatémque la-
culentis verbis Catechismus docet. Sed quid ego
in re per se perspicua immoror, & aliunde testi-
monia exquiro, quum tu id ipse tandem fatear
pag. 10.

Est nimirũ τὸ θύρας ἀμαρτάνειν, in ipso disputa-
tionis limine id negare quod caput est contro-
uersiæ: & nimium cæca Elenchi ignoratio, omni-
bus modis peccans, dum id euertit quod vniuer-
sæ disputationis est firmamentum. Quid enim in-
ter nos & vos controuertitur? Nos, vnico Dei
verbo scripto omnem salutarem doctrinam con-
tineri affirmamus: vos, scripto illi verbo Non-scri-
ptum adiungitis, cuius autoritate varia dogmata
in Ecclesia constituantur. An rectè, suo loco vi-
derimus: hoc certè constat, hac in re totam ca-
sitam controuersiam, Verbúmne Dei sit duplex
Scriptum & Non-scriptum: an vnicum, Scriptum.
Itaque tuo illo *Partim*, eas nobis insidias nec-
bas quæ nos in totum à primario disputationis
fine abduceret. Logices nimirum illius tuæ, Ha-
ἄλογος est λόγος, ex quo nouum quoddam com-

mentitii cuiusdam Verbi partim scripti partim non-scripti Idolum introducatur. Si enim idem est Verbum scriptum & Non-scriptum, cur disputamus? Si ex vestra doctrina duplex est Dei verbum cur de re perspicua nunc controuertis? Non enim hoc quæritur vtrum vestræ Leges sint scriptæ, sed hoc quæritur, An sit aliud quodpiam Dei Verbum præter illud Verbum Dei, quod à Prophetis & Apostolis commendatum literis, *Scriptura* κατ' ἐξοχήν appellatur.

HAYVS.

Nondum ratiocinationem logices didicisti con-
stringere: nulla est hîc partium copulatio quam se-
ueræ illæ tuæ logices leges præscribunt. &c. pag. 7.

SERRANVS.

Non hîc disputamus, sed id tantùm proponi-
mus de quo futura est disputatio. At tua Logica
vt leges bene differendi ignorat, ita omnẽ com-
modæ orationis ἀναλογίαν aspernatur. Hîc simpli-
cem nudámque propositionum, è quibus asser-
tiones illæ vestræ constabant, συναφείαν & conne-
xionem, nos (vt debebamus) ostendisse, iudicabit
bonus differendi artifex: & in hac τὸ ὅτι indica-
tione nihil opus fuisse syllogismo, cuius in hac
disputatione vsus suo loco perspicietur. Verùm
Iesuitas omnia ὑστεροπροτέρων, nõ debet esse mirũ;
quippe qui vt veritatis, ita ordinis sunt hostes.

Cõfundit Hayus πρὸ τοῦ πεῖ-σεως.

HAYVS.

Quod de iure ciuili adiecisti, quorsum spectet,
ignoro. &c. pag. 7.

SERRANVS.

Disce igitur. Eò nimirum spectat vt perspicuo argumento constet te cœlum terra permiscere dum verbum Dei in tua commenta transformas: & quemadmodum Ius ciuile constat aut scripto aut sine scripto, ac proinde aliud est ἔγγραφον, aliud ἄγραφον: & illud quidem Non-scriptum Ius vel in more maiorum est positum, vel in rebus iudicatis, vel in Iurisconsultorum interpretatione: sic vos Ecclesiam ex imperiorum humanorum modulis terminantes, varias Verbi formas comminiscimini: vt quidem vnum sit Dei Verbum seruorum suorum literis consignatum: alterum verò totum sit in hominum arbitrio positum, & sine scripto à maioribus ad posteritatem transmittatur: ex quo deinde sic iudicato fiant in cæteris rebus noua præiudicia: denique, vestrorum Doctorum variis interpretationibus in varias sententias distrahatur, vt tot sint sententiæ quot sunt Doctorum capita. Eò quoque accedit, quòd vt temporum, sic & Maiorum & Doctorum, & Iudiciorum variæ vicissitudines ac commutationes existant. Non enim primos maiores omni exceptione maiores, id est Prophetas & Apostolos non Doctores, id est primæ & verè aureæ Ecclesiæ orthodoxos Patres: non denique vera ex illorum doctrina horum sententiis constituta iudicia agnoscitis: sed nouos Maiores, nouos Doctores, noua iudicia ex Verbi illius vestri non-scripti arbitratu stabilitis. Hoc nimirum est, Hay, quod volebam. Verùm hac de re suo loco agam copiosiùs.

Scriptũ & non-scriptũ Verbum Dei Iesuitis, sicuti Lex scripta & non-scripta Iurisperitis.

Tricæ Hayanæ.

Ad tua autem illa quæ hîc inciuiliter effundis, dum ciuilium legum cognitionem mihi ob-

iectas, conuitia, nónne vides me de industria non respondere?

De sacro ministerio exclamabat sanctus Apostolus, Quis idoneus ad hæc? sibi tamẽ necessariò euangelizandum esse statuebat quòd ea sibi esset à Deo imposita necessitas. Ego verò miser peccator, omnium hominum minimus quid dicam? Me quidem legitimè vocatum à Deo meo ad hoc sacrum Verbi sui ministerium scio: de meis infirmitatibus ingemisco, & cum bona conscientia in eo munere pro modulo meo versans, peto à Domino meo ἱκανότητα. Hoc vnum tibi pro conuitiis rependo.

Iam verò Ecclesiæ autoritatem & re & verbo agnoscimus. at Idumæo linguam Chenaan esse incognitam, nil est mirum.

Cæteris verè tuis ineptulis reprehensiunculis, virulenta tamen κακοηθείᾳ refertis, quibus tres sequentes paginas commaculasti, in præfatione responsum est satis.

HAYVS.

De simili potestate nihil in Thesibus scriptum esse scio. hîc tuam bonam fidem requiro. &c. à pag. 8. vsque ad pag. 10.

SERRANVS.

Túne igitur illam potestatem Romanæ Ecclesiæ damnas, Hay. id est negásne hanc traditionum condendarum potestatem esse penes Eccleſiam Romanam? Hæc nimirum mea fides est vt quod hîc à vobis dicitur, verè & candidè exponam. Romanæ profectò Ecclesiæ scitum est, Penes te Pontificémque Romanum legum illarum con-

Aliud effugiũ de Ecclesiæ Romanæ potestate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dendarum esse potestatem. Si hoc negas, es transfuga: quòd dissimulanter hac de re loqueris, vt meam fidē eleues, écquid de te iudicaturos probos & prudentes viros arbitraris?

Eiusdem candoris est, quòd ais me fallacem orationem meam tuis thesibus agglutinasse. Sunt enim hæc tua verba, *Nam scripturam ipsam quæ traditiones non-scriptas commendat.* &c. Ego verò scripseram, *Non-scriptarum traditionum autoritas à scripto Verbo commendatur.* Ideóne igitur fallacem orationem meam appellas, quia actiuam (vt grammatici loquuntur) vocem in passiuam commutaui? sicuti tibi mentirer si quum diceres, Iesuitæ Turnonii amant Serranum: ego dicerem Non credo Serranum amari à Iesuitis Turnonii?

Tricæ.

Simile est quòd de hæreticis vos quidem loquutos esse fateris, & hæresiarcharum errores notasse: at nos, si Diis tuis placet, à vobis non fuisse designatos. Nos tamen neque idcirco sumus hæretici, neque vos orthodoxi.

Quòd enim me ad Logicos plebeios reuocas, quoniam μέσου dixerim Demonstrationis, est plane tuum. Quasi verò vniuersæ demonstrationis ὁλομέρειαι non plures habeat syllogismos vt singulares demonstrationes, quarum quidem vnicuique sit suum μέσον: ac proinde vniuersæ Demonstrationis è variis syllogismis constitutæ non sint hactenus plura μέσα.

Cedò autem quî ego *sententiam* cum *quæstione* confuderim, quòd dicam quæstione constituta me Ecclesiarum nostrarum sententiā relaturum? Ex vestris enim verbis quæstionem cōstituerant vestra sententia explicata, cui nostram opponere debebam vt ἀντίθεσιν sententiæ intelligerentur. Ecquid igitur est κύμινον πρίζειν, & ὄντα & μὴ ὄντα nugis totas paginas explere, si hoc non est?

Omnino

Omnino de vestra Babele cogitabas, quum me ad lacus Lemani gigantes amandasti. At quales sint illi Christi fortissimi athletæ, Antichristus vester iampridem nouit, vt non sine maxima causa vos illorum manus nunc reformidetis. Neque enim vobis dubium esse debet quin post has meas velitationes grauioris armaturæ militum cuneos qui vos planè adobruant, tandem sitis experturi.

HAYVS.

Quas Ecclesias intelligas, difficile est vel coniectura assequi. &c. Peculiaris hæc est tua, Ministeri, sententia, quam in Gebenuensi synagoga non in Christi schola didicisti. &c. pag. 10.

SERRANVS.

Certis & necessariis argumentis nouit Antichristus quænam sint illæ Ecclesiæ quæ ex ipsius tyrannide se extricarunt, vt Christi sponsi vocem audirent, peregrini blasphemias auersarentur. Peculiarem autem non esse hanc meam sententiam, primigeniæ Veritatis autoritas, ex qua vna nostram hanc esse doctrinam constabit, abundè docebit id est & te hîc crassè dissimulare, & illic impudenter conuitiari.

HAYVS.

Ecclesiarum vestrarum antiquitatem antiqua loquendi formula explicare non potuisti. Docebāte Grammatici rectum vsum vocum pòst & antè. *Tuum erat proferre confessionem vel vnam,*

post & ante annos illos tuos editam, aut vnum certè ex omnibus vestris scriptis. &c. pag. 11.

SERRANVS.

Ecclesiarum nostrarum antiquitas non hîc erat à me explicanda, quippe quæ è suis matricibus, id est Apostolorum prototypis sit iis omnibus nota qui oculos habent, & in veritatis luce versantur. De vobis mihi erat cogitandum, non modò nouis sed nouissimis hominibus qui ex vltimo abysso nuperrimè prodiistis. Atqui non erat exigui laboris commodum expressúmque vocabulum comperire, quo vestra illa nouissima nouitas repræsentaretur. Itaque dabunt mihi veniã Grammatici quòd in noua re nouum adhibuerim vocabulum, è probatissimi tamẽ autoris fonte parcè depromptum, quemadmodum scio illos nobis indulgere: & fortasse in re Iesuitica erit in honore hoc vocabulum, si volet Vsus, quum tot hostes aduersus Iesuitas hodie vndiquaque confluent quibus est apparandus vocabulorum commeatus. Nouè igitur dixi, Nostrarum Ecclesiarum confessionem *post annos complures* fuisse editam *antequàm* vix ac ne vix quidem auditum esset in Gallia Iesuitarum nomen. sicuti enim Cicero (quo vno teretes Iesuitarum aures delectari noram) quum antiquissimæ rei memoriam vult significare, his dicendi formulis vtitur, *Post omnem memoriam*, *Post homines natos*, *Post natum siue editum genus humanum*: sic ego volebam ἐμφατικῶς innuere. Editam olim fuisse Ecclesiarum nostrarum confessionem complurésque post illam editam annos effluxisse antequàm Iesuitæ in Galliam nostram conuolassent. vt verissimum esse omnes Gallicarum rerum periti norunt. Quicquid sit, tan-

Importunæ reprehensionis insulsitas ter ab Hayo repetita.

sit, tantíne fuerit vnius voculæ momentum vt Hayo triumphus idcirco decernatur, æquúmque sit tantam victoriam quatuor in locis (sicuti fecit Hayus) & latinè & gallicè notari: quasi vniuersæ disputationis cardo in eo verteretur? sic & *Recensere sententiam* quum dicat Cicero & probati quique latinæ linguæ autores, in Hayi cerebro illud ἄκυρον quod mihi obiicit, hauddubiè comperietur, quum ineptiarum suarum phantasmata non possit recensere. Quòd verò tam auidè exquirit Hayus rem vniuersò Gallię orbi cognitam, nouo quidem & peregrino homini aliquid condonandum esset, si discendi causa rem sibi incognitam percontaretur: at in malefico consilio, ecquis non impudentis animi vecordiam detestetur: in re inutili, ridiculam dementiam non fideat? Disce igitur, Hay, de rebus tibi incompertis aut silere aut modestè loqui. istis enim ἀπειροκάλοις ἀναιδείας totus & in scriptis & in vita scates. at nihil est in homine turpius quàm mendacium & impudentia.

Quid igitur, Lector? Me quidem tot & extra rem & sine re verborum pudet pigétque. Verùm quomodo aliter cum Iesuita agam, cui obseruatiuncularum istarum (in quibus causæ vniuersæ proram puppímque locat, & ex quibus apud imperitos triumphat) silentium summa disputationis esset victoria? Sic igitur longa Hayanæ orationis vestibula permeauero, vt ad ipsa tandem sanctiorum illius mysteriorum adyta accedam. De re autem ipsa modò dicturus, operæpretium est vt prioris huius partis summam & œconomiam initio substernam. Atque sic quidem De Qvæstionis Terminis dictum esto.

PRIMA PARS QVÆSTIONIS, EAQVE ἀναπαστικὴ, QVID NON SIT ECCLESIA.

Huius partis hæc erat primaria complexio, *Ecclesiam Romanam siue Papatum non esse Ecclesiam Catholicam de cuius agitur autoritate.* Complexionis autem istius hoc erat primarium argumentum.

QVOD Naturæ & Verbo Dei repugnat, planè est repudiandum.
Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ principatus, id est Papatus, Naturæ & Verbo Dei repugnat.
Ergo planè est repudiandus: & ex vi consequentis, non est Ecclesia Catholica, in qua sola est salus quam omnes seriò amplecti debent.

Argumenti huius probatio quatuor his syllogismis conficiebatur.

1. Partem vt totum definire, Orbem in Vrbe includere, Naturæ repugnat.
Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ principatus, id est Papatus, partem vt totum definit, Orbem in Vrbe includit.
Naturæ igitur repugnat.

2. Vni corpori duo capita affingere, Naturæ repugnat.
Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ principatus, siue Papatus vni corpori duo capita affingit.
Naturæ igitur repugnat.

3. Christo vnius Ecclesiæ capiti visibile caput adiungere, Verbo Dei repugnat.
Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ principatus siue Papatus, visibile caput, ipsum nimirum Pontificem Romanum, Christo adiungit.
Verbo Dei igitur repugnat.

4. Omnis doctrina quæ indebitum honorem hominibus affingit, Filium Dei proprio honore spoliat, & Antichristum in Ecclesia stabilit, planè repugnat Verbo Dei.
Catholicæ-Romanæ principatus siue Papatus, indebitum honorem hominibus affingit, Filium Dei proprio honore spoliat, & Antichristum in Ecclesia stabilit.
Verbo Dei igitur repugnat: atque ex vi consequentis vt Catholicæ communioni planè aduersarius & erroris mortísque via, detestandus est.

Argumenti autem illius ἐπιχειρησις sic breuiter à nobis instituebatur.

Catholicæ-Romanæ principatus siue Papatus duabus hypothesibus innitebatur. Vna quidem, quòd Petrus Romanæ sedis Episcopus principatum Ecclesiæ Catholicæ sibi suísque successoribus hereditarium à Christo acceperit. Altera verò, Quòd Romana Ecclesia illius principatus sit heres: ac proinde ipsius Episcopus sit caput siue summus-Pastor Ecclesiæ Catholicæ.

Hoc argumentũ planè esse nullum, ideò ostendebamus quòd falsæ sint hypotheses quibus innititur. Vtvt enim verum sit Petrum Romanæ sedis Episcopum & docuisse & mortuum fuisse Romæ: falsum tamen est, illum à Christo principatum in Ecclesiam Catholicam sibi & suis hereditarium accepisse: quum neque illud ius Petro vllíue creaturæ competere vllo modo possit, ne-

Universidad de Deusto Biblioteca
Biblioteca Facultad de Filosofía Provincia Cast. Orientalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ad ſucceſſores ſuos tranſfundi queat, quandoquidem non perſonarum ſed doctrinæ ſucceſſio agatur. Deinde, licet vetus Eccleſia Romana doctrinæ integritate maximíſque aliis donis inter cæteras Eccleſias olim illuſtris, hoc iure eſſet vſa: non tamen conſequitur hodiernam Romanam Eccleſiam hoc ius ſibi arrogare poſſe, quum è caſta Chriſti ſponſa ſit facta ſpurca meretrix & fœdum Antichriſti proſtibulum: ac proinde è Catholicæ Eccleſiæ communione ab eo tempore ſe ſeiunxerit, quo tyrannicum Antichriſti iugum accepit, & adultero tota adhæſit.

Hæc ferè eſt analyſis prioris meæ aduerſus Ieſuitarum Turnoniorum primam aſſertionem Reſponſionis, quam idcirco breuiter ſum complexus quòd & inſtitutæ ſcriptionis ratio id poſtularet, quum hac de re librorum plauſtra iam extent: & obiter de hoc argumẽto tractarem, quum Eccleſiæ Chriſtianæ vocabulum, ne ὁμωνυμίᾳ falleret, prius eſſet explicandum quàm de illius autoritate ageremus. Hanc neceſſariam breuitatem meam Hayus incuriam & inſcitiam vocat: an rectè, ex ipſis rebus Lector eruditus iudicabit.

Argumenti autem mei probationem ſic inſtruere ſum conatus, vt ipſis illis teſtibus quibus aduerſarii contra nos vtuntur, tota perficeretur. Petrum vnum iuris illius hereditarii parentem & ſtipitem appellant: Catholicæ Eccleſiæ Patres iuris illius interpretes & fideiuſſores nobis opponunt. Petrum igitur illius iuris vindicem, & è Patribus quidem eos qui Eccleſiæ Romanæ dignitati magis fauerunt, & fauere debuerunt, patronos in hac cauſa adoptaui, vt bona fide res ipſa ageretur.

E Petro quod affero teſtimonium ſingulas controuerſiæ partes notat, vt ſit ὁλοκληρος. i. omnibus partibus

partibus perfecta abſolutáque probatio, ex vno eodémque Petri locupletiſſimi teſtis loco. Teſtatur enim Petrus ſe eſſe συμπρεσβύτερον, id eſt cæterorum Presbyterorum collegam, ac proinde importunum illum commentitiúmque primatum à ſe amolitur. Vnum ἀρχιποίμενα Chriſtum diſertè agnoſcit, ac proinde alium ἀρχιποίμενα id eſt ſummum Paſtorem in terris, caput viſibile ſiue miniſteriale Catholicæ Eccleſiæ, ſuum ſucceſſorem deteſtatur. Denique, vetans ne quis κατακυριεύειν τῶν κλήρων, id eſt Eccleſiis Dei dominetur, diſertè vetat nequa Eccleſia omnibus omniũ donorum generibus quantumlibet illuſtris, in cæteras Eccleſias dominatum ſiue principatum vſurpet.

E Patribus Cyprianus, antiquiſſimus ſcriptor, & Romanæ Eccleſiæ dignitati maximè fauens, è primigenia & verè antiqua Apoſtolorum doctrina, diſertè docet, Vnam eſſe Catholicam Eccleſiam nõ vnius Vrbis mœnibus circumſcriptam, ſed per totius Orbis ſpatia perfuſam: vnúmque Eccleſiæ Catholicæ caput, Ieſum Chriſtum.

Hieronymus, Romanæ Eccleſiæ presbyter, palàm edicit nefas eſſe, Orbem in Vrbe includere, atque adeò Eccleſiam Romanam, particularem videlicet Eccleſiam, Catholicæ Eccleſiæ autoritatem ſibi vendicare.

Gregorius verò, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Vniuerſalis Epiſcopi principatum noménque diſertis verbis deteſtatur, & illud vocabulum appellat ſceleſtum: nouæque iſtius Romæ, quæ viſibile in terris Catholicæ Eccleſiæ caput ſibi hodie vendicat, & ſummam in omnes Eccleſias autoritatem vſurpat, tyrannidem tam luculenter deſcribit, vt tum propinqua Antichriſti tempora fuiſſe teſtetur cùm hoc vniuerſalis Epiſcopi no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men ambiebatur : omnino decet nunc regnare Antichristum in Ecclesia, quandoquidem hoc nomen his temporibus inualuit, atque adeò vos Antichristi esse mancipia qui hoc Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ in cæteras Ecclesias sub vno capite visibili Pontifice imperium tueamini, non obscurè significet.

Hæc ego quidem, quanta potui & breuitate & perspicuitate, exposueram in libello meo. Quidnam verò ad illa responderit Hayus, proximum est vt videamus.

VERBI-DEI ET ECCLESIÆ VOCABVLA DISTINGVVNTVR.

HAYVS.

EX nominibus nomen facis. Cur verò omnia ea confundis quæ distinguenda sunt ? Logica tua fort assis nimis inops te subitò ὁνομαδέτλω creans, tibi potestatem facit noua rebus etiam antiquis imponendi nomina. Vis Verbi & Ecclesiæ Dei nomen ab vtrisque nostrûm peræquè accipi. quod tuum de nobis iudicium æquis animis accipere non possumus. pag. 11.

SERRANVS.

Nouum Hayi diuortiũ in verborũ strophis.

Andabatarum in morem, Hay, cum laruis dimicas, & volens-sciens claræ veritati tenebras offundis. Nihil ego cõfundo. Plana est verborum meorum

meorum sententia : neque noua rebus vocabula impono. Verbi Dei & Ecclesiæ nomina non sum commentus. Quin autẽ vos & nos peræquè illas voces, *Verbum Dei* & *Ecclesia*, in ore habeamus, quis nescit ? Vos enim dicitis, *Verbum Dei habemus : Nostra est Ecclesia*. Nos quoque idem dicimus. Commune est igitur & vobis & nobis idẽ VERBI-DEI & ECCLESIÆ nomen. De re ipsa controuertimus. Id ego disertis verbis significaueram, eóque consilio dixeram Verbi & Ecclesiæ vocabula esse distinguenda, ne ὁμωνυμία fallerẽt. Cur igitur tam ineptè nugaris in re perspicua? Didiceram in Peripato nullam vobis Sophistis aut efficaciorem aut peruulgatiorem esse fallaciam quàm Ομωνυμίας, in cuius latebris insidias rebus struatis. Idcirco vocabula ipsa initio volui distinguere, ne nos vestris laqueis in ipsa disputatione inuolueretis.

Verbi & Ecclesiæ ὁμωνυμία tollendã.

HAYVS.

Lubenter à te discerem, cur in explicanda Ecclesiarum vestrarum sententia, Dei Verbum esse Prophetarum & Apostolorum doctrinam asseruisti, Veteris & noui Testamenti libris comprehensam: nunc verò teipsum, vt suspicari quis possit, quasi corrigens inquis: Verbi Christi appellatione quin veteris & noui Testamenti siue fœderis libros, qui κατ' ἐξοχὴν Biblia appellantur, nobiscum intelligatis minimè dubitamus. pag. 12.

SERRANVS.

Quin tu id à teipso discito, nimirum, *Posterio-*

rem meam orationem à priori non differre. hæc enim sunt tua verba, vt ex ore tuo κακουργίας damneris in futili reprehensione. Sed ad rem Ecclesiarum nostrarum sententiam suo loco posui: hanc me disertis verbis explicasse tu etiam fateris. Iam ad ipsam disputationem aggredior: & ne me ὁμωνυμίας fascinis deludas, in ipso primordio *Verbi-Dei & Ecclesiæ* (quum de his sit totius disputationis firmamentum) vocabula distinguo. Dixeram quod res est, *Verbi-Dei* appellatione, Prophetarum & Apostolorum doctrinam, Veteris & Noui Testamenti libris comprehensam intelligi. Nunc eiusdem *Verbi-Dei* appellatione veteris & noui Testamenti libros dico intelligi: Maxima verò ratione permotus dicendi genus commutaui, vt rem eandem distinctiùs tutiúsque explicarem. quum enim palàm sit Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ aduersarios Prophetarum & Apostolorum doctrinam in ore habere: & quū intelligerem mihi rem esse cum Iesuitis qui totam in verborum aucupiis victoriam vestigant, mihi erat inprimis elaborandum vt omnibus impostorum tendiculis aditum omnem obstruerem. Libros igitur illos sacros, id est ipsa Biblia dixi & dico esse Verbum-Dei, quibus libris salutaris doctrina per Prophetas & Apostolos explicata cõtinetur: ne alibi doctrinam Propheticam & Apostolicam quisquã imaginetur, ac proinde omnes ἑτεροδιδασκαλίας, id est quicquid ex his libris non sapit, mendacium esse constituamus: Veritatem in illa Scriptura quæramus, neque in cœlum ascendamus, neque in abyssum descendamus, vt vestro auspicio eam, Iesuitæ, inueniamus. Hoc nimirũ τὸ ῥῆμα, est Verbum-Dei. Hoc ipsum est veritas doctrinæ salutaris: sicuti ait Apostolus, *Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus*: atque adeò non vult

Quídnam sit Verbũ Dei.

1. Tim. 1. 3.
Rom. 10. 4.

1. Cor. 4.

nõ vult quenquam *Supra id quod scriptum est, sapere.* Doctrinam non ait, sed ipsos illos libros notat, qui eo ipso sunt libri siue Biblia, quia scripto custodiuntur, vt falsariis ementitæ doctrinæ ansa omnis præcidatur. Hæc fuit causa cur sacra Biblia, id est Prophetarum & Apostolorum libros distinctè dixerim, vt Iesuitas ad notariorum autographa reuocarem.

Tua igitur illius argumenti subtilitas est nulla, tuísque illis quas prædicas oratoriis lacertis viribúsque indigna. Aliud quidem est id quod continet, aliud id quod continetur: ac proinde quæcunque effugia fis quæsiturus non poteris eo loco elabi quin aliud sit, Sacramenti panis qui continet, aliud Christi corpus quod in Sacramenti pane ais contineri. Nos sacrorum Bibliorum syllabas & literas non numeramus, neque amuleta & Agnos-Dei ex Scripturæ tessellis conficimus, sicuti faciunt præstigiatores & arioli Iesuitæ: hoc tamen affirmamus in his nouissimis temporibus nullas alias reuelationes expectandas esse quàm quæ in sacris Bibliis .i. Prophetarum & Apostolorum libris (quantumlibet Hayo inuisis) continentur. Ita nec alibi quæri debere nec inueniri posse veritatem. Libros igitur illos Verbum-Dei esse affirmamus, figuratè quidem sed tamen verè.

HAYVS.

Si dixeris nullam esse in Ecclesiarum vestrarum sententia à te proposita obscuritatem, posteriorémque tuam orationem à priore non differre, sophista es: quando non doctrinæ sed ostentationis causa, Verbi & Ecclesiæ nomina distinguenda

Universidad de Deusto
Biblioteca

susceperis. Posteriorem verò tuam orationem, qua Dei Verbum veteris & noui testamenti libros, priore qua idem Dei Verbum Prophetarum & Apostolorum esse doctrinam veteris & noui Testamenti libris comprehensam asseris, obscuriorem esse, si Grammatices præcepta cum Logicorum subtilitatibus coniunxisti, non inficiaberis. pag. 12.

SERRANVS.

Hoc quidem dico neque vllam planè esse in Ecclesiarum nostrarum (vt ipse ais) *sententia à me proposita obscuritatem: neque posteriorem meam orationem à priore differre*: tuam tamen consequutionem falsam esse aio. Quum enim doctrinæ (sicuti modò ostendebam) non ostentationis causa, Verbi & Ecclesiæ nomina distinxerim, non sum sophista: quum Spiritus sancti sermonem sequar. Christus, suos ad Prophetarum doctrinam subinde reuocat. Idem tamen iubet vt scripturas scrutentur. Petrus, λόγον quidem προφητικὸν id est Prophetarum doctrinam commendat: eandem tamen continuò Scripturam vocat. Paulus, Timotheum omnésque adeò fideles vult τῇ διδασκαλίᾳ προσέχειν. id est doctrinæ attendere, idem tamen ibidem eundem ad lectionem, non Talmudis sed Prophetarum reuocat. & idem ait Ecclesiam super Prophetarum & Apostolorum fundamentum superstructam esse: duriori sanè metaphora, si Hayo crederetur: quasi ipsis Prophetarum personis Ecclesia inniteretur. At non est ita. vt enim bene sensit Spiritus sanctus, sic rectè loquutus est. Verùm his variis dicendi generibus omnem aditum præcludere voluit omnium phanaticorum audaciæ, ne extra Prophetarum doctrinam euagarentur, ac proinde ipsorum libris tanquam

Ioan. 5. 39.
2. Pet. 1. 19.
1. Tim. 4. 16.
Ephes. 2. 20.

tanquam certis cancellis atque terminis fidem nostram circumscripsit. Non est igitur ostentatio Sophistica, Iesuitis quarto modo propria, sed est necessaria ἐπεξεργασία & explicatio remedii aduersus Sophistarum dolos.

Posteriorem quoque orationem meam priore obscuriorem esse nego. licet enim sit figurata (librorum enim propheticorum appellatione prophetica doctrina μετωνυμικῶς accipitur) non idcirco tamen obscurior est, imò & vsitatior & expressior, (quemadmodum ex superioribus Lector animaduertet,) & huic etiam disputationi accommodatior est. Quum enim scriptum Verbum Dei pro solo Dei Verbo nos amplectendum doceamus: vos contrà negetis, describendi erant certi fines quibus sententia nostra contineretur. LIBROS veteris & noui instrumenti, id est sacra BIBLIA propriè designauimus, vt hoc scriptum omnibus cæteris scriptis, ad quæ res fidei reuocarentur, ipso iure opponeremus. Ecquis igitur non videt te nulla causa tergiuersari?

HAYVS.

Quis te sic argumentari docuit, Minister? Ex Verbi Christi & traditionum à te conficta distinctione concludis Verbum esse genus, quum tamen efficere debuisses, vt oratio tua constaret, Verbum-Dei aut Christi genus. &c. pag. 12.

SERRANVS.

Quum *Verbum-Dei* siue *Christi* paulò antè definierim, Monache, & in orationis complexione de eodem illo Verbo agam, quis non videt non duro genere dicendi *Dei* siue *Christi* voces

Tricæ in voculis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

κοινῶς esse repetendas? vt sit, *Genus est igitur, Verbum-Dei siue Christi*: quoniam iam dixeram eo ipso in loco, Verbum-Dei, ex vestra quidem sententia, Verbum non-scriptum peræquè ac scriptum complecti. Iam verò quænam dementia est id cum excandescentia probro ducere, quod laudi erat ducendum? In explicanda enim vestra sententia æquum erat ex vestris verbis bona fide lucem petere, vt vos ipsi vestræ sententiæ essetis interpretes. Hoccine est fraudulenter agere, an potiùs quod tu nunc sine causa in me effundis, est calumniari & sophisticè tergiuersari?

HAYVS.

Atqui neque hoc tibi damus. Satísne sanus es qui propterea Verbum Dei scripti & non-scripti genus esse dicis, quòd sua amplitudine vtrumque verbum complectatur? Nunquid tuo iudicio Euangelium Christi domini ante Dei verbum fuit quàm scriberetur, & iam scriptum Dei verbum permanet? Si ergo ad tuæ Logices præscriptum argumentandum erit, concludemus Euangelium sui ipsius esse genus. quod ἀτοπώτατον & ab omni ratione alienum tu ipse animaduertis. &c. pag. 13. & 14.

SERRANVS.

Nihil quoque à te posco. tu tantùm videto ne veritati sciens reluctéris. Túne verò satis sanus es qui & te inutili labore excrucias & lectorem densissima rerum extra institutum quæstionis scopum sine vllo iudicio cumulatarum caligine involuis? Quò enim excurris, & cur de re nullo modo controuersa digladiaris? Non hoc quæritur, vtrum vel verbum Dei nō fuerit antequàm scriberetur, vel Euangelium sit sui ipsius genus, vel fides hominum sine verbo Dei possit consistere, vtrum membranis siue chartis tutius quàm hominum auribus verbum Dei committatur, & siquid est quidpiam aliud quod hac de re cupias obiicere. Neque item opportunæ sunt tuæ illæ Apostolorum, quos minimè accusamus, à te perperam institutæ excusationes, aut illæ de tuenda Verbi-Dei autoritate quam nos aduersus te tuemur, protestationes. Hoc vnum quæritur, An his nouissimis temporibus, post solennem Euangelii prædicationem, Patre per Filium loquuto, atque adeò per Apostolorum scripta iis omnibus lucu-lenter explicatis quæ ad salutem nostram pertinent, aliquod sit Verbum Dei non-scriptum præter illud scriptum, quod κατ' ἐξοχὴν Scripturam appellamus.

Nouæ à re primaria digressiones, variis strophis inuolutæ.

Quomodo de scripti Verbi autoritate quæritur.

Itaque hîc à te multipliciter peccatur. Ignoratione Elenchi, quum institutæ quæstionis firmamentum euertas: Petitione principii, quum id quod in controuersia positum est, tanquam ratum ostentes: Compositionis stropha, quum res optimè inter se distinctas confundas: denique, contradictionis & σολοικόξε infamia, quum & tu tibi ipsi contradicas, & planè absurda doceas.

Variæ huius exceptionis strophæ.

Verùm antequàm tuæ orationis vitia singulatim ostendam, quæro à te cur non pateris disputationem ordine progredi, & mihi tamen nullo pudore ordinis perturbationem obiicis? Iudicato quæstionis statu, vocabula primùm hîc distinguebam his positis quæ ab vtrisque nostrûm ad suam sententiam tuendam vtrinque ponuntur. Quídnam à me hîc aduersus Ordinis leges fuit peccatum? Tu verò hîc importuno loco, quum ea à me ponuntur quæ tu maximè tueris, & in qui-

Ordinis perturbatio Iesuitis vernacula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus totius controuersiæ cardo versatur, tanquam in ipso disputationis æstu efferuescis. Perinde igitur facis, Hay, ac vitiligatores solent, qui ne ad rē primariam veniant, omnes rationes exquirunt quibus in accessoriis, vt loquuntur, diutiùs immorentur.

Sed vide quídnam agas tuis illis longarũ ambagum inuolucris. Dicimus à vobis poni duas Verbi-Dei species, *Scriptum & Non-scriptum*: ac proinde *Verbum-Dei* esse genus. Tu id pernegas. Qua de re igitur disputamus? cur vestra Assertio prima ait; *Rerum sacrarum monumenta partim literis consignata, partim per Christianorum hominum manus sine scripto tradita, ab Ecclesia conseruari?* cur tu disertè ais, *Traditiones non-scriptas Dei Verbum esse?* Cedò, idémne tibi est Verbum scriptum & non-scriptum nécne. Si idem tibi est, falsa est notatio scripti & non-scripti, & planè ementita, quum hæc ex diametro repugnent, Scriptum & non-scriptum. Si, quod disertis verbis fateris, *Verbum Dei* sua amplitudine & scriptum & non-scriptum complectitur, quídni erit vtriusque Genus? Quid enim aliud est Genus quàm illa amplitudo quæ res subiectas complectitur? In re perspicua & per se confessa ipsúmne illum quem disputationum nostrarum Palæmonem initio adoptabas, Aristotelem autorem appellabo? Quídnam hac de re statuat Ecclesia Romana, quídnam vestri Catechismi perscripserint hactenus ostendi. Nunquid igitur vana erit Romanæ Ecclesiæ autoritas, Verbum Scriptum & non-scripto ita distinguentis, vt traditionibus non-scriptis quarum ius sibi propriè vendicat parem æqualémque cum Verbo scripto tribuat potestatem: & dum vtrumque Verbum-Dei appellat, vtrumque eadem eiusdem Generis communitate

Verbum Dei duplex Iesuitis, Scriptum & non-scriptum.

munitate circumsapiat? Sítne verum, suo loco viderimus. Hoc tamen constat, Romanæ Ecclesiæ palmarium in traditionum condendarum iure, quod pari sit cum Scripto Verbo potestate, eadémque reuerentia à Christianis debeant obseruari, totum inesse. Qualem ergo patronum, Hay, Collegæ te tui delegerunt vt in Romana doctrina hospes id neges quod ad causam tuam maximè pertinet, etiam quum ab aduersario ponitur? Est ergo crassa Elenchi ignoratio, qua vniuersæ disputationis firmamentum subuertitur.

Iam verò quàm fœda est Principii petitio, te nobis earum rerum absurditatem tribuere quæ nullo modo aduersus nos sunt probatæ, & ita triumphum canere nondum vel inito certamine? Quod enim ponis nos negare nullum aliud vnquam extitisse Verbum-Dei quàm quod scriptum esset, quàm est impudens! In eo minimè esse positam controuersiam iam ostendimus, sed in hoc vt intelligamus An postquam Verbum-Dei scripto commendatum fuit, sítne aliud quodpiam Dei verbum non-scriptum pari cum scripto autoritate. Qua igitur fronte audes, Monache, rem nobis imponere quæ nobis ne in mentē quidem venit vnquam, itaque tua nobis impudenter somnia affingere? Credimus quidem Deum post natos homines Ecclesiæ suæ nunquam defuisse, eámque suo Verbo & collegisse & conseruasse: ita tamen vt in dispensanda Veritate sua admirabilem planè ordinem tenuerit, quam pleni temporis οἰκονομίαν vocat Apostolus, quum videlicet πολυμερῶς & πολυτρόπως, id est pluribus vicibus & modis Ecclesiam suam sit alloquutus. Suos enim semper Verbo veritatis suæ progenuit atque educauit. Sed vt varia fuerunt temporum intervalla, variæque adeò Ecclesiæ ætates, ita varios

Idē Verbum Dei & antequam scrīberetur. & postquam scrīptum est.

Ephes. 1. 10. Hebr. 1. 1. Iac. 1, 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modos adhibuit multiplex Dei sapientia in Verbo sub suis patefaciendo atque dispensando. Incunabula fuerunt Ecclesiæ in illa promissione Adamo post peccati lapsum facto de semine mulieris caput serpentis collisuro : quo nimirum Christus, sempiternum Verbi Dei subiectum significabatur. Ad promissionem accesserunt sacrificia tanquam sigilla : reuelationibus & visionibus Deus sese Patribus patefaciebat, ita tamen vt illos semper alloqueretur, ac proinde Verbo suo potentiam suam in seruandis hominibus salutarem constanter exereret : donec opportuno tempore, id est à se cõstituto, Verbum illud suum literarum monumentis Mosis primùm, deinde Prophetarum ministerio voluit commendari: vt quemadmodum in variis hominis ætatibus regendis variæ adhibentur rationes singulis ætatibus accommodatæ, ita quoque varias Ecclesiæ suæ ætates, prout commodius vtiliúsque est visum, sua sapientia Deus gubernaret. Suorúmne beneficiorum rationem Iesuitis reddet? Hoc certè constat, hominum impiæ curiositati atque audaciæ præclusum sic aditum fuisse. Num inde consequitur, Non extitisse Verbum Dei antequàm scriberetur? Peræquè enim est ac si quis dicat contractum non extitisse antequàm à notario sit literis consignatum, quum tamen bonæ fidei verbis contractus maximè constent. Ecquis igitur non videt, Hayum Compositionis strophæ hîc ludificari veritatem. Ea enim tempora confundit quæ vt maximè distincta sunt, ita distinctè sunt considerãda. Idem igitur Dei Verbum erat antequàm scriberetur, sed varia & mensura & vario modo dispẽsatum fuit Patribus & nobis vnus idémque Christus, eodem Verbo exhibitus, ad eãdem hæreditatem nos deducens : variis quidem modis hactenus

Ephes. 3. 10.

Gen. 2. 12.

hactenus tamen vt imposito omnibus reuelationibus fine, Verbi-scripti terminis Apostolorum suorum ministerio fidem nostrã terminauit. Quin igitur tu ipse doceto Hay, esse aliud quodpiam præter illud quod à Prophetis & Apostolis scriptum est Verbum, quo fides nostra contineatur. Nos quidem & sine Verbo Dei hominum fidem posse consistere negamus, & illud Verbum Prophetarum & Apostolorum scriptis nunc definiri affirmamus : importunúmque adeò esse quærere quomodo puer in vltima pueritiæ ætate sit regendus, quum ex ephebis excesserit. Distingue igitur Ecclesiæ ætates, & varios eiusdem Verbi modos distinxeris. Rectè quidem præceptor meus charissimus & plurimùm obseruandus Theodorus Beza Iosephum reprehendit : tu verò præceptoris mei autoritatem veræ doctrinæ, quam ipse fideliter tuetur, maleficè opponis.

Porrò, te multa absurda ex nostra doctrina imaginari, quæ nullo modo ex ea consequuntur, quis non videt? Nemo enim sanus rectè collegerit, Vnicum est Dei verbum illud quod in sacris Bibliis continetur, Ergo nullum verbum Dei erat antequàm scriberetur. Imò, nisi extitisset anteà, non fuisset scriptum. Argumentum enim sic aduersus te retorquetur. Idcirco literis mandatum est Verbum illud Dei quod à Deo Patribus fuerat reuelatum, vt ab Ecclesiæ posteritate certiùs vtiliúsque perciperetur.

Idem quoque illud tuum est quod vocas Α'πάτορ, Vnicum est Verbum Dei, nimirum scriptum. Ergo Euangelium est suiipsius genus. Quid dicas, ipse omnino ignoras: etiamsi οἰκονομίαν sub Euangelii nomine insidiosè occultes: quo nõ tantùm solennis illa per Apostolos de Christo exhibito publicatio intelligitur, sed de eodem ven-

Vnum idémque Euangelium Patribus sub lege constitit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

turo promissiones sub Lege Prophetarum ministerio datæ notantur. Esto igitur, nullúmne erat Verbum scriptum antequàm Euangelium Apostolorum literis mandaretur? Aut quum promissiones illæ à Prophetis priscæ Ecclesiæ de Christo venturo explicabantur, num literis caruerũt? Prophetarum quidem extant monumenta. Quomodo igitur Euangelium erit sui ipsius genus, si vnicum est Dei Verbum Scriptura sacra? Certè respondebit vobis Apostolus Paulus sicuti olim iisdem hominibus respondebat, qui aliam doctrinam afferebant ab ea quæ scripto Verbo con-

Galat.1.7. tineretur, *Miror vos ita citò transferri in aliud Euangelium quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant, & volunt inuertere Euangelium Christi. Sed etiamsi nos aut Angelus è cœlo euangelizet præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Qua igitur fronte vos audetis duplex Dei verbum statuere, & idem esse affirmare, nisi vt species eiusdem generis communitate cõtineatur? Scriptum Dei-Verbum, nónne est vobis Dei verbum? & Non-scriptum Dei-Verbum nónne est vobis Dei

Hayi argumentatio contradictionibus implicatur.

Verbum peræquè? Quum hoc sit ἀυτόπτον & planè confessum, quis non videt Verbum-Dei sic à vobis Genus statui, vt duas species Scripti & Non-scripti complectatur: ac proinde à te nunc ἀσύστατα & disparata ingeri, qui neges Verbum Dei esse Genus, Scripti & Non-scripti verbi? Si consequens tibi absurdum videtur, antecedens quoque absurdum esse fatearis necesse est, id est absurdam esse illam vestram Scripti & Non-scripti Verbi-Dei distinctionem: quum nihil ponitis præter id quod scriptum est in Ecclesia docere, quin ἄλλο & verè aliud Verbum inducatur. quod summum est scelus, quandoquidem sicuti vnus est Deus & vna fides, ita vnum est Dei Verbum, quo

quo nostra fides innititur: quemadmodum suo loco copiosiùs exponam.

HAYVS.

Quia Verbum Dei ἀνπεφέρει & reciprocatur cum verbo scripto & non-scripto, ac latiùs patet quàm Verbum scriptum, vis Verbum Dei esse scripti & non-scripti Verbi genus. pag.13.

SERRANVS.

Volo, ex tua quidem doctrina: & sic omnes necessariò vident consequi. Quemadmodum dico Animal esse genus Rationalis, quia ipso latiùs patet; & ipsum Irrationale præterea complectitur: ac proinde duæ illæ species cum eo reciprocantur. Si enim quæram quid sit homo, respondebis esse animal rationale: & quid sit leo, animal irrationale. Eodem planè modo, quærã à te, quídnam sit Verbum à Prophetis & Apostolis scriptum: respondebis, opinor, esse Verbum Dei. Si verò quæram, Quænam sunt Traditiones illæ non-scriptæ quibus amplissimè vtitur Ecclesia Romana? Hauddubiè respondebis esse Verbum Dei. Specierum eodem generi subiectarum cum suo genere ἀνπεφορὰ qui illic videt, hic videbit & si Genus id appellatur quod de diuersis speciebus commodè enuntiari potest, quum quid ex sint quæritur: cur Verbum-Dei non erit Genus Scripti & Non-scripti Verbi quandoquidem si quæritur quid sit Verbum Scriptum, commodè respondebitur esse Verbum-Dei: si item quæritur quid sit Traditio non-scripta, Hayus è sua doctrina commodè respondebit esse Verbum-Dei? Quídni igitur Verbum-Dei, è Romanæ quidem

Probatur Verbum Dei, est genus scripti & nõscripti Verbi Dei suitis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ doctrina, erit Genus : Scriptum verò & non-scriptum non erunt eiusdem generis species, quum eadem communitate contineantur? Sic nimirum diminutiùs etiam loqueris quàm Catechismus vester, qui duplex genus Verbi constituit, vt duo eáque disparata Verborum genera intelligerentur.

In opere Catech. Canis. ca. de præceptis Eccle siæ siue de tradit. dist. 2.

HAYVS.

Si obtusæ tuæ differendi spinæ nos pungerent, Hominem albi & non-albi hominis genus esse conficeres. nam vicissim retrò commeant, Homo, & albus & non-albus. pag. 13.

SERRANVS.

Sic per te quidem Scriptum & non-scriptum peræquè accidẽt Verbo, ac album & non-album homini. Vide ergo quídnam ex verbis tuis consequatur. Scriptum & non-scriptum, Hayo Verbi sunt accidentia. Atqui doctrina Iesuitarum scripto & non-scripto fidem & Ecclesiam definit. Ergo fidem & Ecclesiam statuit accidentariam, & ex vicõsequentis imaginariam & planè nullam. Maior è verbis tuis patet. nam scriptum & non-scriptum æquas albo & non-albo. Minor è duobus Catechismis vestris probatur, qui definiunt fidem & Ecclesiam verbo Dei siue scriptum sit siue non-scriptum. Sic tu & tui argumentum totum probauistis. Ecquis verò vestras has de fide & Ecclesia chimerica siue phantastica conclusiones è vitiosis principiis natas sanus non detestetur. Omnino consentaneum erat vt ex vno absurdo dato plura consequerentur. Igitur erit vobis Verbum-Dei scriptũ vel non-scriptum quod ex hominum arbitrio, modò existat modò non existat : sicuti Album & Non-album in homine accidentia separabilia, quæ modò adsint modò absint sine subiecti interitu : vobísque erit modò alba, modò non-alba Ecclesia. Quum enim Scripto & Non-scripto fidem Ecclesiámque definiatis, omnino accidentariam nullámque esse vtranque necesse est.

Ex Hayi verbis Fides & Ecclesia statuitur accidẽtaria, id est nulla.

Latissima quidem sunt in rebus accidentium commercia siue diuortia, non tamen huiusmodi vt rerum ipsarum substantiam vel constituant vel euertant. Tibi igitur, acutissime logice, quomodo hæc retrò commeant, Albus & non-albus in homine? Hæc quidem retrò commeant siue reciprocantur, Animal rationale est homo. & Homo est animal rationale. est enim prædicatio essentialis, & verè *συωώνυμος*, primíque, vt loquuntur, prædicabilis. At prædicatio illa accidentalis, Homo est albus, hominísne definitionem constituit : & illa, Homo est non-albus, eiusdémne hominis definitionem euertit ? Vbínam est igitur illa tua reciprocatio Albi & Non Albi illius tui: aut potius Scripti aut Non-Scripti Verbi, quo fidem Ecclesiámque vestrã definis ? Definitionem autem genere & differentiis specificis constare Logica quoque vestra fortasse admittet. Te igitur *παράδοξα* & planè absurda conferruminare non sentis? Aliquando enim fidem, & Ecclesiam quæ fide innitit, iis quæ Deus reuelauit, & per Ecclesiam credenda hominibus proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint, definitis : nunc verò Scriptum & Non-scriptum verbum quasi per iocum appellas accidẽtia, quibus videlicet fulcris fides Ecclesiáque vestra innitatur. Quídnam est illudere veritati, si hoc non est : & quorsum tot tantáque verborum aucupia, nisi vt in hoc etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

primordio te ἀσολόγιαν ostendant: qui in rebus confessis & perspicuis tantopere digladiaris, ad res ipsas verò minimè respondeas?

Summa responsionis. Iesuitas duo Verba-Dei statuere: vnũ scriptum, alterum non scriptũ: Nos vnicum Dei verbum scriptũ, quod Prophetarum & Apostolorum libris continetur.

Hæc igitur necessariæ responsionis esto summa, Quum Ecclesia Romana Scripto & non-Scripto verbo fidem Ecclesiámque constare affirmet: & Iesuitæ Turnonii asserunt, sacrarum rerum monumenta partim scripto commendata, partim per Christianorum hominum manus sine scripto tradita ab Ecclesia fuisse conseruata: omnino perspicuum est duas Verbi-Dei species ab illis induci Scriptum & Non-scriptum, quarum genus sit Verbum-Dei: & quidem hactenus vt præter Verbum Dei quod Prophetarũ & Apostolorum libris, id est sacris Bibliis continetur, statuatur ab illis aliud Dei Verbum non-scriptum, pari cum Verbo Dei scripto autoritate & potestate. id est doceatur, Traditiones non-scriptas esse Dei Verbum. Quod nos pernegamus, & asserimus Vnicum esse Dei Verbum, illud nimirum quod Prophetarum & Apostolorum monumentis ita explicatur, vt nulla alia doctrina ad salutẽ nostram necessaria sit posthac expectanda. Vtri nostrũm verius loquantur, ex ipsa disputatione constabit. Hayi δυχρεία & importunitas loco non necessario iussit me diutiùs hærere. Atque hæc quidem de VERBI-DEI definitione dicta sunto.

Quídnam ECCLESIÆ definitioni (priùs enim erat à me definienda quàm de ipsius autoritate agerem) opponat Hayus, portò videamus.

HAYVS.

Quòd tu de Ecclesiæ appellatione dubitas, non miror: quum & ipsam Ecclesiam de medio remouens pro ea nouam Caluini synagogam ὡς ἰδέαν τινὰ ἀόρατον

ἀόρατον καὶ ἀσώματον, quam te docuit Plato, substituere contendas.

SERRANVS.

Hoc non est disputare, sed conuitiari & ludificari. Vnam credimus Ecclesiam Christi, sanctorum communionem. Non baptizati sumus in nomen Caluini, neque illius Verbo credimus, sed Dei Ecclesiam hominibus è colluuie generis humani segregatis cõstare affirmamus. Tibi tuisque, Hay, vestras Chimæras & vestros Tragelaphos relinquimus. Me quidem quid sit Ecclesia non docuit Plato, sed Verbum Dei. Pag. 14.

Triæ Iesuiticæ.

HAYVS.

Tu nihil eiusmodi in nostris Thesibus legisti. Caluiniana fides hanc te nobis calumniam imponere docuit. Deum enim & scripti & non-scripti verbi autorem facimus. pag. 15.

SERRANVS.

Non est calumniari dicere quod res est. Notæ sunt Iesuitarum technæ quæ à nobis erant è suis principiis, id est è communi Romanæ Ecclesiæ doctrina præfaciendæ. Iuris esse sui ait Ecclesia Romana vt decernat quínam libri sint pro canonicis & authenticis habendi. cuiusmodi passim extant plæraque hac de re illius decreta, è quibus Verbum Dei autoritatem vobis habet. Scripturam interpretari, de controuersis doctrinæ sacræ capitibus statuere, ius suum esse ait Ecclesia Romana: Noua dogmata nouósque de religione ritus decernere, & quidem hactenus vt pari fide

Ecclesia Romana summam in Verbũ Dei sibi vendicat autoritatem.

Quod nõ e[illegible] ait, [illegible] affirmabit [illegible]

Universidad de Deusto
Biblioteca

& reuerentia ac Verbi scripti decreta habeantur, iuris esse sui affirmat Ecclesia Romana. Tu verò ipse, Hay, non meministi eorum quæ infra scribis pag. 47. *Ecclesia Romana, est ipsa Ecclesia Catholica & Apostolica, quæ cùm in decernendis iis rebus, quæ ad fidem & mores Christianorum pertinent, errare non possit, vestra emendatione opus non habet.* Si hoc non verè est autorem & custodem Verbi-Dei esse, Concilii Tridentini (cuius vt nouissima decreta Romanæ Ecclesiæ augustissima sunt) autoritatem elude, te ipsum reuoca, publicóque scripto testare Verbi Dei autoritatem ab Ecclesiæ determinationibus siue decretis minimè pendere: & iam profligata fuerit hæc de Ecclesiæ autoritate instituta quæstio.

De Verbo autem Dei primo loco egi, quoniam primum ei locum tribuimus. Dubitationis autem ratio erat à nobis obiter notanda: hoc enim maximè in quæstione positum est, Ecclesiæne autoritas Verbi Dei autoritatem antecedat an sequatur. Maiorem autem dubitationem esse dixi de Ecclesia, quòd vos videlicet altercationibus vestris (quibus vel amitti vel saltem obscurari veritas solet) in dies magis ac magis eam augeatis, obiecta Traditionum humanarum Gorgone, terrificisque illis argumentis vestris quibus imperitorum oculos fascinatis.

HAYVS.

Nónne ita respondemus? id est Ecclesiam, vocamus Christianam? Euolue Catholicorũ omnium scripta, & neminem qui sic responderit, inuenies. &c. pag. 15. vsque ad 17.

SER-

SERRANVS.

Importuna Hayi de rebus planè confessis loquacitas.

Ita planè, hæc enim sunt vestra primæ assertionis verba, *Singulari Dei beneficio Christianam Ecclesiam.* Omnes quoque vestri sic loqui solent. quid ergo de re per se perspicua digladiaris, & cur ἐκ λακύτε depromis Christiani nominis ἐτυμολογίαν & originem, quum hac de re nemo dubitaret, nisi vos fortasse, Iesuitæ, qui sacrosancto augustóque illo nomine minimè cõtenti, nouum factionis vestræ nomen nuper induxistis. At nos Christiani vestra opera minimè indigemus vt de nominis nostri primordio & instituto admoneamur. Neque verò nos ideirco erimus hæretici aut tu orthodoxus quòd impudẽtibus conuitiis pergis allatrare, ad quæ iam satis à me respõsum est. De re igitur ipsa: ne in nugis tuis refellendis tecum ineptiam, dum tu in re minimè dubia explendis paginis adhibes testes non necessarios.

Ordinis in disputatione à me instituti ratio redditur.

Legitima docẽdi ratio postulabat vt antequàm de Ecclesiæ autoritate ageremus, ipsam priùs Ecclesiam definiremus: quod fieri non poterat quin vocabuli ὁμωνυμίαν semoueremus. id est prius Quid non sit Ecclesia, quàm quid sit Ecclesia, doceremus. Ecclesiæ definitionem à vobis ipsis cum quibus mihi res est, sic instituebam vt à communibus differentiis ad maximè propriam germanámque differentiam peruenirem, qua vera definitio vestra sententia constitueretur. Christiani nomen in his etiam de vera Ecclesia controuersiis omnes peræquè vsurpamus. Ea igitur nota non satis designatur vestra Ecclesia. Catholici quoque & Apostolici voces nobis sunt vobiscum communes: ac proinde neque illæ differentiæ satis erant, vt vestram à nostra Ecclesiam discrimi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

narent. Nostras enim Ecclesias Catholicas quoque & Apostolicas appellamus. Quærenda igitur erat nota maximè propria, vt vocis ambiguitas planè euolueretur. Hæc verò est, *Romana*: vt sit plana vestræ Ecclesiæ ex vestris verbis descriptio, *Ecclesia Christiana, Apostolica*, CATHOLICA-ROMANA. Hæc nimirum vox ἀποσωλαγώγους nos vobis continuò reddit, nos à vestris cœtibus discriminat, eos à nostris Ecclesiis penitus disterminat: forma videlicet sua essentiali veráque & specifica differentia insignitos atque circumscriptos.

HAYVS.

Λῆρον λῆρος, Minister, & somnia tua nobis narras. Nemo est Catholicorum qui dicat Romanam esse differentiam specificam Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ. pag. 17.

SERRANVS.

De Catholica Romana nomine longum & inseriam tractationem effugiorum moris retardare, vt altercando Veritas amittatur. Quod ego vix tribus pagellis noraueram vt primariæ quæstioni via sterneretur, tu viginti septem paginis effudisti vt quod sit tuum in hac disputatione consilium apertè ostendas, vt nimirum effusis verborum multiplicitate tenebris veritatem adobruas, ne à simplicioribus perspiciatur. Prosectò delirat (vt tuis verbis vtar) qui sic Ecclesiam definit, *Ecclesia Christiana, est Ecclesia Catholica-Romana.* At profectò hæc tua sunt deliria, hæc somnia, hæc absurda, è quibus dum te vis expedire, in illis te magis ac magis impedis atque intricas. Verùm ad rem.

Hoc nimirum agitur vt sciamus quænam illa sit Ecclesia de cuius autoritate quæstio instituta est. Vos quidem eam peræquè ac nos Christianam appellatis, sed quoniam minimè nobis dubium erat vos Iesuitas in homonymo vocabulo nobis insidias struere, vt pro verè-Catholica Ecclesia Papatum obtruderetis; necessarium planè fuit, ad hoc vt de re ipsa verè constaret, omnibus fraudibus semotis, communia resecari donec peruueniretur ad propriam specificámque differentiam qua vestra illa Ecclesia cui summam autoritatem siue principatum tribuitis, ab omnibus cœtibus qui Ecclesiæ nomen sibi tribuunt, quibúsque adeò Ecclesiæ nomen vobiscum est commune, distingueretur: ac proinde ipsa suis & verè propriis notis definiretur.

Huiusmodi notam in constituenda rei definitione, Differentiam specificam vocari & τὸ πῶλον ἐν ᾧ λόγον ἔχειας, nemo nescit. Exempli causa. Si hominem dixero esse animal, bipes, implume, mu- Catholica Romana, est differentia specifica Iesuitis ad Ecclesiam definiendam.
sicum, erecto ad sydera vultu, communia quidem dixero, sed hominem nondum è sua & propria nota definiero, nisi adiungam, Rationale: qua nota ab omnibus animantibus quæ eadem animalis vt generis amplitudine & communitate continentur, hauddubiè distinguetur, & ipse propria forma definietur. est enim eadem illa nota & διαιρετικὴ, alias species dispescens: & συστατικὴ siue εἰδοποιὸς, formam propriam constituens. Sic dixi, Ecclesiam cuius autoritatem inuestigamus, à Iesuitis definiri, vt in eius constituenda definitione, ROMANA

De Catholica Romana nomine longum & inseriam tractationem effugiorum moris retardare, vt altercando Veritas amittatur. Quod ego vix tribus pagellis noraueram vt primariæ quæstioni via sterneretur, tu viginti septem paginis effudisti vt quod sit tuum in hac disputatione consilium apertè ostendas, vt nimirum effusis verborum multiplicitate tenebris veritatem adobruas, ne à simplicioribus perspiciatur. Prosectò delirat (vt tuis verbis vtar) qui sic Ecclesiam definit, *Ecclesia Christiana, est Ecclesia Catholica-Romana.* At profectò hæc tua sunt deliria, hæc somnia, hæc absurda, è quibus dum te vis expedire, in illis te magis ac magis impedis atque intricas. Verùm ad rem.

Hoc nimirum agitur vt sciamus quænam illa sit Ecclesia de cuius autoritate quæstio instituta est. Vos quidem eam peræquè ac nos Christianam appellatis, sed quoniam minimè nobis dubium erat vos Iesuitas in homonymo vocabulo nobis insidias struere, vt pro verè-Catholica Ecclesia Papatum obtruderetis; necessarium planè fuit, ad hoc vt de re ipsa verè constaret, omnibus fraudibus semotis, communia resecari donec peruueniretur ad propriam specificámque differentiam qua vestra illa Ecclesia cui summam autoritatem siue principatum tribuitis, ab omnibus cœtibus qui Ecclesiæ nomen sibi tribuunt, quibúsque adeò Ecclesiæ nomen vobiscum est commune, distingueretur: ac proinde ipsa suis & verè propriis notis definiretur.

Huiusmodi notam in constituenda rei definitione, Differentiam specificam vocari & τὸ πῶλον ἐν ᾧ λόγον ἔχειας, nemo nescit. Exempli causa. Si hominem dixero esse animal, bipes, implume, mu- Catholica Romana, est differentia specifica Iesuitis ad Ecclesiam definiendam.
sicum, erecto ad sydera vultu, communia quidem dixero, sed hominem nondum è sua & propria nota definiero, nisi adiungam, Rationale: qua nota ab omnibus animantibus quæ eadem animalis vt generis amplitudine & communitate continentur, hauddubiè distinguetur, & ipse propria forma definietur. est enim eadem illa nota & διαιρετικὴ, alias species dispescens: & συστατικὴ siue εἰδοποιὸς, formam propriam constituens. Sic dixi, Ecclesiam cuius autoritatem inuestigamus, à Iesuitis definiri, vt in eius constituenda definitione, ROMANA

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit differẽtia specifica,& τὸ πῶς ἔχῃ κατὰ λόγον ἀπόφασις. Id modò Hayus pernegat,vt absurdissimum:paulò post non modò fatebitur,sed omnibus machinis tuebitur, tanquam vniuersæ controuersiæ caput & firmamentum. Nunc à me est conuincendus vanitatis. Molestæ mihi quidem sunt hæ peregrinorum sermonum ambages: at quî aliter agam cum eo aduersario qui meum silentium in re etiam non-necessaria voluntarium, sibi victoriam ducit?

Anxia Hayi in re minimè dubia disceptatio.

Esto igitur, Monache, rem vnà dispiciamus. Dixi,in Ecclesiæ definitione,ROMANAM,esse vobis differentiam specificam. Vos enim quomodo Ecclesiam aliter definitis ? Iubes me definiendi leges repetere. Duplicem definiendi formam memini in Peripato me olim discere. Vnam,ὀνοματώδη, quam Nominis vocant: alteram,πραγματώδη, quam Rei appellant.Vtramlibet definitionis formam elegeris, aio, Ecclesiam ROMANÆ nota à vobis definiri:idque è præscriptis verbis demonstro. Sit igitur hæc τυπωσις indicatio. Cedò enim,siquis nõ modò Iesuita sed de media etiam plebe quilibet à me quærat, Nemausine concionaris? ego responderem, Concionor. In qua Ecclesia? Christiana, dicerem. At duæ sunt ibi Ecclesiæ, exciperet ille,quæ se Christianas peræquè vocant: In quánam illarum concionaris? In Catholica equidem si responderem,nónne parata ei esset exceptio,Verùm tu aduersus Iesuitas disputas?Disputo profectò,responderem,vt Catholicæ Ecclesiæ autoritatem aduersus illorum commenta defendam. Quídnam igitur vltimo loco ille adiungeret vt vestram Ecclesiam à nostra discriminaret ? A me certè quæreret num Romanam intelligerem, tum demum communibus omnibus resecatis,hac propria nota vestram quam vocatis

catis notam definiens, ego me cum illa nihil habere commune testarer. Ita omnis ambiguæ vocis dubitatio sublata esset.

Coegit me importunus aduersarius in re etiam per se plana & perspicua de media plebe quærere argumenta, vt publica etiam vox sit veritatis nostræ testis, & ipsius vanitatis index & præconium.

Ad luculentam illam rei ab omnibus cognitæ imaginem accedat τεκμηριώδης demonstratio.Cedò igitur,Iesuita,quomodo Ecclesiam definit vester Catechismus? ne in Iesuita refellendo à Iesuita discedam. ECCLESIAM *nimirum Catholicam esse vnam in vno spiritu Christi Iesu, in vna fide, fideique & sacramentorũ doctrina, in vno capite ac rectore vniuersalis Ecclesiæ, vicario Christi scilicet,ac D.Petri successore.* Hæc ipsa sunt parui Catechismi vestri verba. Magni autem hæc, *Vnam esse Ecclesiam & consentientem in fide fideique doctrina & administratione sacramẽtorum,quæque sub vno capite, vnóque vices eius in terris gerente Pontifice Maximo regitur, ac in vnitate conseruatur.* Ecquis non videt has esse communes differentias, *Catholica,vna,in vno spiritu Iesu Christi, consentiens in vna fide, fideique doctrina, & administratione sacramentorum?* His enim nos quoque verbis vtimur. Vltima illa ὑποτυπώσεως Romani Pontificis vltimo loco collocata, vt vestram Ecclesiam ἀσυγχύτως & propria nota definit, ita nostram à vestra penitus distinguit atque disterminat.

Verùm cur ego Hayum Hayo testem non oppono?Tua enim hæc sunt,Hay,verba.*Catholici vt Ecclesiam Catholicam ab hæreticorum conuenticulis distinguant, ROMANAM nuncupant.* Hæc est vis διαφορικὴ differentiæ: & *Quum nomi-*

ne Catholicæ siue Apostolicæ Ecclesiæ Romanam Ecclesiam appellamus, eam Romanam Ecclesiam intelligimus, quæ nullis terminis septa tenetur, sed per omnium gentium oras peruadens, Romani Pontificis se potestati subiectam esse profitetur. Hæc est vis συζατικὴ, ac proinde verè εἰδοποιὸς differentia in Romanæ appellatione. Quorsum igitur tot verba & voces, nisi vt te summè Iesuitam demonstres, dum ipsum etiam controuersiæ statum cum lectoris tædio tuóq; opprobrio conaris euertere.

Ne mea igitur somnia ampliùs vocato, quòd dicam ROMANÆ appellationem in Ecclesiæ definitione constituenda esse differentiam specificam: téque tuorum somniorum & conuitiorum pudeat, vt nouæ illi CATHOLICÆ-ROMANÆ aduersus verè Catholicam Ecclesiam natæ renuncies, eáque differentia Ecclesiam Catholicam verè definiri non posse significes. Verùm quod de Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ vocibus adiungis, lubet etiam expendere.

DE CATHOLICAE ET APOstolicæ Ecclesiæ appellationibus.

HAYVS.

Hoc loco paulò altius qua ratione Christiana Ecclesia ab hæreticorum conuenticulis distinguatur immanis tua calumniandi nos licentia, me repetere cogit. Ac primùm in ipsis Ecclesiæ primordiis Discipulos & fratres fuisse nuncupatos omnes qui Christo nomina dederant, nemo qui Scripturas legit, negare poterit. Postea verò Christiani proprio nomine appellari Antiochiæ cœperunt, ea hac ra-

hac ratione à Iudæis distinguerentur. &c. pag. 17. Quomodo autem Apostolica vocetur Ecclesia, sic exponit pag. 20. *Ecclesiam dici Apostolicam fateris, sed appellationis reticuisti causam. non enim te latere potest, eas solas Ecclesias Apostolicas dici, quæ aut ab Apostolis fundatæ sunt aut cum Apostolorum Ecclesiis in fidei doctrina consentiunt. Longè itaque Caluinianæ voces à vera Ecclesia Apostolica fide absunt, quum Ecclesiæ doctrinæ quæ ab Apostolis & eorum successoribus ad hanc diem mortalibus tradita est, planè aduersentur.* Hîc Tertulliani testimonia affert quoque Hayus: & Catholicæ ac Apostolicæ Ecclesiæ titulum Romanæ Ecclesiæ propriè conuenire sic probare instituit, ad finem pag. 20. & 21. tota.

Romanæ porrò Ecclesiæ nomen, ita tibi ac tuis est inuidiosum vt illud vnà cum Ecclesia Catholica sepultum velis &c.

Hîc autẽ Pauli Apostoli, Eusebii, Irenæi, Cypriani, Tertulliani, Caluini deniq; ipsius nonnulla profert testimonia: quæ Lector ex ipsius Codice petet, & nostram aduersus illa vt perperam citata refutationem mox leget.

SERRANVS.

Non calumnior, quum idipsum dicam quod tu nõ modò nunc affirmas, sed prolixè etiam conaris docere: at tu in hoc primordio temeritatis & loquacitatis reus ἐπ' ἀυτοφώρῳ es, qui id affirmas & doces quod antea negabas. Verùm ad rem.

Modò affirmat Hayus quod antea negabat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Status cõtrouersiæ.

De ipso igitur controuersiæ statu sic inter nos conuenit. Veram Ecclesiam esse ais, Christianam, Catholicam, Apostolicam, Romanam: & Romanæ appellatione, ab hæreticorum conuenticulis distingui. Nos quidem veræ Ecclesiæ has esse notas affirmamus, quòd sit Christiana, Catholica, Apostolica. De Romana negamus: atque in eo est posita nostra controuersia. Vter nostrûm veriùs loquatur, ex ipsis rebus Lector iudicato.

Vult probare Hayus, Ecclesiam Romanã esse Catholicam & Apostolicã, id ponens quod est in controuersia.

Profiteor verissimum esse quod hîc è præceptorum meorum libris deprompsisti, Omnes eos qui Christo nomen dedissent, in ipsis Ecclesiæ primordiis Discipulos & Fratres fuisse nuncupatos: tum Christianos proprio nomine Antiochiæ appellari cœpisse. Agnosco quoque ad hæreticorum præstigias amoliendas, qui rete scindebant & particulares extra Ecclesiæ cõmunionem cœtus habebant, Christianos Catholicorum nomen sibi sumendum recto iudicio cõstituisse. Sed quid ad rem? Idcircóne rectè concludes, Romanam Ecclesiam & verè esse & verè dici Catholicam & Apostolicam? Est certè crassa Petitio principii. id enim tuo arbitratu pónis tanquam ratum & & fixum quod est maximè in controuersia. Verum est, Christianam Ecclesiam esse Catholicam. Illã nos credere, id est reuera existere, in Symbolis profitemur. At de Romana id dici posse pernegamus. Quod est tibi priùs probandum, antequàm de his testimoniis thrasonicè exultes.

Patres ab Hayo citati aduersus Hayũ faciunt.

Paciani verba nihil ad rem faciunt, Augustini testimonium aduersus te disertè facit. *Si huius Martyris*, inquit, *testimonio vestra est Ecclesia Catholica, ostendite illam per orbem totum radios suos porrigere, ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copia vbertatis extendere.* Tu igitur, Hayus, exquisitioris tuæ Cosmographiæ mysteria de promito, &

mito, & doceto Romam per vniuersum terrarum orbem extendi. Do etiam ampliùs. Romam in Latio relinquamus, & Romanæ Ecclesiæ nomine liceat eas omnes nationes intelligere quæ Romani Pontificis nomini parent. Doceto, Romanæ Ecclesiæ imperium per vniuersum terrarum orbem extendi: vel fatére Romanam Ecclesiam neque verè esse neque verè dici Ecclesiam Catholicam: ac proinde te ex his testimoniis ψευδολογίζεσθαι, qui id ponis quod nullo modo est. Hoc igitur de Ecclesia Catholica verissimum esse aio: Romanam Ecclesiam esse Catholicam Ecclesiam pernego. Te autem Augustino & Paciano testibus euicisse affirmo, vt in his primordiis Sophista agnoscaris.

Quomodo dicatur Ecclesia Catholica.

CATHOLICAM autem Ecclesiam quid appellem, iubes me ex mea recondita Logica depromere. Ioannes fructum mortis quam Christus pro Ecclesia sua obiit describens, ait illum non modò pro Iudæis moriturum, sed vt filios Dei dispersos cogeret in vnum. sunt enim aurea sancti Euangelistæ verba, ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ διεσκορπισμένα συνάγαγῃ εἰς ἕν. Ex mea igitur Logica tibi recondita sic Ecclesiæ definitionem depromo, *Esse cœtum filiorum Dei ex vniuerso terrarum orbe in vnum corpus congregatorum, cuius caput est Iesus Christus pro illis mortuus.* Vnum est ouile, vnus Pastor: Omnes oues per totum orbem dispersæ quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt omnibus temporibus, nationibus & conditionibus ad Ecclesiam Catholicam pertinent, & ad illius communionem çoadunantur.

Ioan. 11. 52.

Ioan. 10. 16.

Rectè igitur Caluinus ex luculentis Scripturæ verbis dixit, *Ideò Catholicam Ecclesiam appellari seu vniuersalem: quia non duas aut tres inuenire liceat quin discerpatur Christus.* Ita refutator à

Cal. Instit. lib. 4. cap. 1. §. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caluinus ab Hayo male reprehenditur.

Caluino refutaris, ingeniique tui malignæ & fallaces tenebræ veritatis ipsius fulgore dissipantur. Ille enim eodē in loco se exponit: *Quum*, inquit, *electi omnes in Christo sunt connexi, vt quemadmodum ab vno capite pendent, ita in vnum veluti corpus coalescant, ea inter se compage cohærentes quā eiusdem corporis membra: verè vnum facti, quæ vna fide, spe, charitate, eodem Dei spiritu simul viuunt, non in eandem modò æternæ vitæ hæreditatem, sed in vnius Dei ac Christi participationem etiam vocati.* Hæc autem doctrina non est Caluini, sed Verbi Dei. quid enim est εἰς ἓν συνάγειν? Certè, In vnum cogere siue congregare non est, Omnes filios Dei in vnius Romæ mœnia includere, neque in corpus quoddam visibile cuiusdam visibilis capitis vinculo coagmētare aut compingere. Augustinus quoque (vt illius verbis vtar) contra te loquitur, qui ait per vniuersam terram porrigi extendique Catholicam, græco eius nomini ac definitioni consentiens: & quidem hactenus vt illius per vniuersum orbē diffusæ Ecclesiæ vnum caput agnoscat, vnitate totam constare affirmet.

Romana Ecclesia ex Augustini verbis quæ ei tribuit Hayus, non potest esse Catholica

Si Augustini testimonio vestra est Catholica Ecclesia, *ostendite illam per orbem totum radios suos porrigere: ostendite illam per vniuersam terram vultus suos copia vbertatis extendere: & in vno capite vnitatem conseruare.* Hoc igitur Augustini testimonium aduersus te disertè facit. Catholica Ecclesia Augustino est ea quæ *vna est in vno capite Iesu Christo*: Vestra, aliud quoddam caput agnoscens, dum Christi nomen retinet, varia est & biceps, duobus capitibus monstrosum corpus redēs: Catholica Ecclesia Augustino est ea, quæ per vniuersum orbē extenditur: Vestra, orbem in vno be includit, vel certè à Christi cō munione maximam terrarum partem secludit. In Europa enim Asia

Asia, Africa complures sunt Christiani qui Pontificem vestrum Romanum detestātur. Idcircóne igitur Catholici non erunt? Itaque dū Catholicæ Ecclesiæ nomen ad Romanam restringitis quòd variè à vobis peccetur, meritò his verbis vos increpat Augustinus: *Quid igitur & vos ipsos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis?*

At quòd dixerim nos Ecclesiæ Catholicæ nomen, sicuti ab Ecclesia Romana vsurpatur, minimè nobis arrogare: quum tamen credamus nos esse Ecclesiæ Catholicæ membra, quærit à me Hayus, *Responde quæso, Minister, si Caluini Ecclesia non est Catholica cuius Ecclesiæ est membrum?* Ego verò ab illo quæro, At tu responde Iesuita, si qui impudenter & ineptè perspicua verba peruertit, Sophista est & nugator, quo tu nomine sis dignus? Particulari Ecclesiæ cuiquam nefas esse Catholicæ Ecclesiæ nomen vsurpare affirmauit; licet ad Catholicæ Ecclesiæ communionem pertineat. Mea sunt verba tam diserta vt tibi potius helleboro quàm argumentis opus esse, omnes sobrii animaduertant.

Iesuiticæ tricæ extra rem.

Catholicæ Ecclesiæ nomen quomodo accipiatur.

CATHOLICÆ Ecclesiæ nomen duobus modis apud orthodoxos Patres sumi, nemo nescit vel mediocriter in illorum scriptis versatus. Propria enim & primigenia significatione illa est Catholica Ecclesia quam supra ex Verbo Dei descripsimus, Vna in vno capite per vniuersum terrarum orbē diffusa: quæ quum vera sit, factū est vt *Catholica Ecclesia* & *Catholica doctrina* pro vera & germana accipiatur. Partes enim totius vt naturam, ita nomen aliquādo accipiūt, vulgata μετωνυμία.

Præter missa ad personas digreditur Hayus

At pergit Hayus esse Iesuita, à rebus ipsis quærens diuortia, & veritatem suis artibus inuoluens, vt nobis tacentibus, Lector maligni Sophistæ ingenium & consilium perniciem,

iubeátque eum ad rem ipſam reſpondere. Proba igitur, Ieſuita, Catholicam-Romanam eam rectè dici Eccleſiam quæ vnum Chriſtum caput agnoſcens, vnóque illius verbo innixa Antichriſti vocem deteſtatur. dum nos cum iis Eccleſiis quas Deus Lutheri opera & miniſterio in Germania feliciſſimè collegit, pacem concordiámque inſtauramus, vt coniunctis animis & viribus bicipitis illius Eccleſiæ tuæ monſtrum, Sathanæ & Antichriſti opus, certatim oppugnemus. Impuri illius ſpiritus dolis effectum eſt vt diſcordia inter fratres ſereretur: at idem futuram concordiam pertimeſcens per te clamat, *Cur me is perditum ante tempus*: quod tamen haud dubiè aderit, prout à Deo conſtitutum eſt. Eccleſiæ Germanicæ, non Lutheranam, quam impudenter & falsò vocas, ſuperſtitionem amplectuntur, ſed veram ex Verbo Dei doctrinam, & in hoc quidem de vero veræ Eccleſiæ capite minimè inter nos cõtrouerſam: ſicuti ſex Sadeolis noſtri pro Lipſienſi Eccleſia adeóque pro omnibus Eccleſiis Germanicis aduerſus Turriani Ieſuitæ furores felicissima defenſione apparet. Eſt quidem vetus Eccleſiæ querela, *Poſuiſti nos litem vicinis noſtris, inimici noſtri ſubſannauerunt nos ſibi*: & inter Eccleſiæ luctus non poteſt quidquam eſſe luctuoſius quàm quum inter fratres huiuſmodi diſſidia agitantur: ſed quicquid κακόχαρτ illa tua virulentáque procacitas debacchetur, non tamẽ impediet diuinæ prouidentiæ efficacitatem, quæ Eccleſiæ ſuæ inſtaurata cõcordia bellum mendacii vobiſque mendacii patronis primariis indicet. Certè Germanicarum Eccleſiarum quæ Anabaptiſtas, Suenckfeldianos, Trinitarios communi ſtudio nobiſcum oppugnarunt, arma Ieſuitæ ſenſerunt, ſpiritualia nimirum illa, qualia eruit à noſtris Eccleſiis pacis huius à Deo nobis tributæ beneficio, aduerſus vos certatim apparantur: vt quid ab illis porrò ſperandũ ſit, intelligas.

Ieſuitæ, noſtram cum Germanicis Eccleſiis concordiam pertimeſcũt.

Pſal. 80. 7.

Quin tu igitur potius, Monache, in Aericam aut Iaponiam confugito, vt ibi quæras Pſeudocatholicæ Eccleſiæ tuæ diffuſionem. Nos quidem, quantumuis crepante Antichriſto, veras verè Catholicæ Eccleſiæ notas in noſtris Eccleſiis Gallicis ſummo Dei beneficio, ad hunc vſque diem habemus: ſalutaris nimirum doctrinæ & diſciplinæ ſummum conſenſum, in rebus Eccleſiæ vnam animam, os vnum: vt vel præfractiſſimos hoſtes neceſſe ſit in hac noſtra concordia Catholicæ Eccleſiæ notas intueri.

Doctrinæ & diſciplinæ in Eccleſiis Gallicis ſumma concordia.

Quid contrà dicam de veſtrarum ſectarum infinita χιμαιρομαχία, quæ licet in eo conueniant vt Chriſtum & Eccleſiam vnà oppugnent, veſana tamen eſt Lapitharum inter eas intemperies, variis variarum factionum familiis & formis oppido quàm multiplex. Certè neque vlla eſt extra veritatem concordia. CATHOLICÆ igitur nomen vera Eccleſia ſibi vendicat, Cacolycæ appellationem veſtræ Pſeudocatholicæ Eccleſiæ relinquit.

Antichriſtianorũ χιμαιρομαχίαι & diſſidia.

DE APOSTOLICÆ autem appellatione quod ais huiuſmodi eſt vt quum nos ἀσόμους te tanto telo effecturum glorieris, tibi nihil oris ſupereſſe perſpicuè demonſtret. Tuo enim te telo confodis. Apoſtolicas idcirco dici Eccleſias fateris, quòd in fidei doctrina cum Apoſtolicis Eccleſiis conſentiant. Hoc ipſum eſt quod volumus, Apoſtolicas Eccleſias ex Apoſtolorum doctrina æſtimandas eſſe. Cedò igitur quomodo illud interpretaris, *Vel ab Apoſtolis fundatæ?* Apoſtolos fundaſſe Eccleſias intelligimus, quum eas voce Euangelii collegerunt, id eſt Ieſum Chriſtum ita ho-

In Apoſtolicæ Eccleſiæ definitione ſuo ſe gladio iugulat Hayus

Universidad de Deusto
Biblioteca

minibus annuntiarunt, vt ipsius doctrinam salutis suæ fundamẽtum collocarint. Tu verò in personarum successione Apostolicarum Ecclesiarum ius totum constituis. Si omnes Ecclesiæ in quibus Apostolorum vox personuit, sunt Apostolicæ: & ex antiquiori tempore maior dignitas æstimatur, vt qui prior est tempore potior sit iure: omnino quamplurimæ Ecclesiæ in Oriente Romanam Ecclesiã eo nomine superabunt. De vera igitur successione primum omnium inter nos conueniat, tum de ipsa Apostolicarum Ecclesiarum origine disseremus. Certè, veritatem antiquissimam esse, & optimũ verissimúmque quodque antiquitate præstare idem Tertullianus dixit: ac proinde de veritate prius est disserendum quàm de antiquitate agamus. Omne enim genus si ad originem suam reuocari debeat, consentaneum planè est vt veritatis autographum primùm rectè intelligatur. Licet verò Apostolicum virũ mihi quempiam protuleris, illud tamen tibi erit probãdum, illum cum Apostolis perseueraſſe, si tuo illo Tertullianeo testimonio velis vti. Proba igitur & doctrinæ Apostolicæ successionem esse penes Ecclesiam Romanam, hanc nimirum quam nunc nouo illo capite insignem vẽditatis: & si Apostolicum quendam virũ proferre potes qui prioribus temporibus in ea vixerit & docuerit, proba illius successores cum Apostolis cõsensisse. Omnino Caiaphas Aaroni, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ fidelis meretrix successerat: non tamen vel Caiaphã pro vero Pastore, neque corruptam illam Iudæorum synagogam pro fideli Ecclesia habebis nisi ἀναισθητος. Cur igitur Tertulliani fulmẽ in Romanę meretricis caput non sentis, nisi quòd illius perfidiæ vino inebriatus sis? Petrus Romæ docuerit, & Romæ doctrinam suã præclaro martyrio obsignarit, non

Apostolicæ Ecclesiæ nõ ex personarum, sed doctrinæ Apostolicæ successione, debent æstimari.

Herõum filii noxę

non tamen obstat quominus homo peccati nunc sedeat in Ecclesia, se efferat aduersus Deũ, séque eo nomine Antichristum profiteatur. Idcircóne igitur nunc Romana meretrix, erit Ecclesia Apostolica, quòd castæ matronæ locum occupauerit?

Nos autem, quantumuis te exæstuante atque ebulliente, magnifice Thraso, Ecclesiam nostram verè Apostolicã esse tam certò affirmamus, quàm solidis inuictísque argumentis probabimus, Apostolicam doctrinam in ea constanter proponi & recipi à fidelibus. Amplissimus contrà campus est in quo te mendacii multifariam redarguamus. Certè, nunc (vt cætera religionis capita inter nos controuersa in aliud tempus referamus) tam perspicuè demonstrabimus, vos à doctrina Apostolica desciuisse: Quòd nimirum vnius Ecclesiæ in cæteras Ecclesias primatum statuatis: Quòd caput visibile, vicarium Christi in Ecclesia constituatis: Quòd Idola inducatis: Quòd humanam Christi naturam ipsiúsque officium, quantum in vobis est, improbè peruertatis. Verúmne sit néc-ne, ex vero germanóque ipsarum rerum examine apparebit. Me igitur Christianæ Ecclesię alumnũ, & Christianæ doctrinæ veracem præconem inde iudicato quòd Romanam hãc Ecclesiam vestram Pseudocatholicam, quum ab Apostolica doctrina desciuerit, suo veróque nomine Apostaticam appellem, & te omnes sobrii Lectores Iesuitam impudentissimum & ineptissimũ scurram agnoscãt.

Nostra Ecclesia, est Apostolica.

Apostolicã doctrinã planè exterminauit Ecclesia Romana, vt Apostatica non Apostolica sit modò appellãda

Perge verò eo quo cœpisti pede, eadem illa Sophistica proteruia: sic euagari vt primordio & medio clausula respõdeat. Antiquæ Romæ dignitatem commendas. Apostoli de veteris illius Ecclesiæ fide & constantia præclarum testimonium adducis: Tertulliani, Cypriani locupletissimorũ testium suffragia affers. At ego verè respondeo

Vetus Roma a noua Roma tam abest, quam casta Christi sponsa a fœda meretrice.

Esaiæ 1.21 è Prophetæ verbis, *Quomodo facta est meretrix, Ciuitas fidelis?* Boni & laudati patris commendatio aduersus degeneres liberos facit. Veterum Romanorum fides, constantia, dignitas, improborum successorum qui repudiata Apostolorum doctrina Apostatarum commenta sunt amplexi, perfidiam, temeritatē, infamiam magis ac magis prodit atque coarguit: ac proinde hæc Apostoli Patrúmque orthodoxorum encomia aduersus hanc degenerem perfidámque Romam, Antichristi meretricem, maximè facit.

Veteris Romæ encomia tãt nouæ Romæ opprobria.

Quòd ex Caluino affers eiusdem planè est sententiæ. Caluinus enim veteris Romæ integritatem dignitatémque, vt debuit, agnoscit. Tu verò Iesuiticè, id est impudenter, impudentiam illi exprobras, vt tuo more calumnieris. Est enim is calumniator qui vel demit, vel addit, vel dictum detorquet. Tres rationes Caluinus attulerat, tu in tertia duabus prætermissis, sycophanticè immoraris. Fidei constantiam hominum ingenio minimè ascribit Caluinus, sed verè ait, Deum naturæ autorem illis donis naturalibus quæ Romanis tribuerat, sapienter fuisse vsum ad fidei constantiam. Licet enim fides sit donum Dei planè supernaturale & cœleste, neque quicquam homo intelligat in rebus Dei nisi datum sit à Deo: est tamen verum, homines non esse stipites aut truncos (quemadmodum in alio argumento nobis improbè obiicitis) sed sic agere ex voluntate vt eam formet dirigátque Deus: ac proinde sicuti Naturæ vi (id est Dei naturæ opificis beneficio) homines volunt, ita eiusdem Dei præter Naturæ ordinem efficaciter agentis dono bene volunt. Hactenus igitur verum est, Mores sequi temperamentum corporis, illóque Deum vti ad nouum in nobis regenerationis opus efficiendum, dannimirum

Caluini de vetere & fideli Roma encommium ab Hayo male reprehẽsum Ioan.3.27.

Quomodo Deus corporum temperamento vtatur ad fidem in hominibus ingenerandam & cõseruandã.

nimirum velle & perficere. Et ita rectè dixit Caluinus naturalem morum grauitatem in Romanis maximi momenti extitisse ad fidei constantiam, dum leues Asiatici & Africani variis opinionum tempestatibus huc illuc circumferrentur.

Qua igitur fronte, Iesuita, in ipsa prolixi sermonis clausula conquereris nobis videri absurdum, quòd Ecclesiam Catholicam appelletis Romanam? Mihi certè perabsurdum. Cur enim idipsum modò obstinatè affirmas quod supra obstinatè negabas? Hæc nimirum est tuæ Logices vis vt tuo te gladio iugules. Quæcunque enim hactenus dixisti in tuũ ipsius caput sic retorquẽtur.

Ecclesia dicitur Catholica quæ vna in vno capite Christo vnitatem fidei seruans, per vniuersum terrarum orbem dispersos Dei filios in vnum colligit: Apostolica autem, quæ Apostolorum doctrinam amplectitur.

Quod de Catholica & Apostolica Ecclesia dixit Hayus, in ipsius caput retorquetur.

Atqui Ecclesia Romana hodierna, nec vna est in vno Christo (quippe quæ Pontificem Romanum sic caput agnoscit vt sine illo definiri ipsa non possit) nec vnitatem fidei seruat (quippe quæ aliud Dei verbum præter Christi verbum habet, & vocem peregrini auscultat) nec per vniuersum terrarum orbem diffusa est (quæ in vna Vrbe Orbis terrarum includi non possit) nec Dei filios colligit (quum illos omnibus modis dissipare conetur) & variis erroribus hominũ mentes disturbare, ne vni Christo acquiescant. Nec Apostolica, quum non modò Apostolorum doctrinam repudiauerit, sed Antichristi decreta mordicus tueatur, & Apostolicam doctrinam furiosè persequatur.

Itaque Ecclesia Romana hodierna, Pontificem Romanum caput agnoscens, non est Ecclesia Catholica & Apostolica: & ex vi consequentis veteris illius Romæ dignitatem & laudes, quales ei

Romana Ecclesia non est Apostolica neque Catholica Ecclesia.

orthodoxi Patres tribuerunt, minimè meretur.

Minor siue assumptio huius argumenti, in hac disputatione probabitur. licet enim tres tantùm quæstiones in ea proponantur, sunt tamen huiusmodi vt certis argumentis demonstrent Romanã Ecclesiam Apostolica doctrina planè fuisse spoliatam, vt Antichristi tyrannidi subiiceretur. De idolorum cultu, & Chimærica Christi præsentia qualem vos cõmenti estis, suo loco dicemus. Hæc certè quæstio in qua versamur, satis supérq; ostendit Antichristũ in Romana Ecclesia sedere, quum profani imperii vsurpatione Christũ suo honore fraudare conetur. Sit igitur superioris argumenti summa. Romanam Ecclesiam Pontifici subiectam nõ esse Catholicam aut Apostolicam Ecclesiam: quia ab Apostolica doctrina desciuit. Prima probatio repudiatæ Apostolorum doctrinæ, est, quòd primatum siue principatum in Ecclesiam Catholicam vsurparit. De illo igitur primatu siue principatu modò videamus.

DE PRIMATV *siue* PRINCIPATV *Ecclesiæ Romanæ.*

HAYVS.

1. *Catholici, corporis portionem vnam cum toto corpore nõ confundunt, quum vt Ecclesiã Catholicã ab hæreticorum conuenticulis distinguant, Romanã nuncupant.* &c. pag. 22. &, eadem pag.

2. *Quum Ecclesiam Catholicam Romanam nuncupamus, nullis certis terminis eam describimus, neque (vt tu loqueris) Orbem in Vrbe includimus, neque circumscribimus: sed Romani Pontificis in omnem Ecclesiam, potestatem, quam à Deo accepit, profitemur, Ecclesiámque Romanam omnium*

omnium Ecclesiarum principatum obtinere, eiúsque omnibus qui Christiani haberi volunt, communionem necessariam liberè & palàm prædicamus. &c. pag. 22. &,

3. *Cypriani ætate in more positum fuisse, vt Ecclesiæ Romanæ qui præsideret, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus appellaretur, ex eiusdem Cypriani verbis, nisi summa tua, Minister, in Christi Ecclesiam maleuolentia & liuor te impediret, facilè colligeres.* &c. Eadem pag. & 23. &,

4. *Vtq; hanc disputationis partem concludam: quamuis Ecclesiam in Vrbe inclusam Catholicam appellaremus, nihil contra Verbum scriptum à nobis peccatum conuinceres. Ecclesia enim illa in qua Romanus Põtifex præcipuè sedet, cum cæteris orbis terræ Ecclesiis, in fidei communione consociatur. quare & eo modo Catholica appellari potest, quo Christianũ quemuis propter fidei cum cæteris Christianis communionem, Catholicum nuncupamus.* &c. vsque ad pag. 24.

SERRANVS.

Ad tua ergo argumenta tandem accedendum est. Quibus verbis quantísque ambagibus hæc oratio tua sit inuoluta, ex ipsa lectione quis non videt? Itaque semotis peregrinis disquisitionibus, testimoniorum ampullis, tuísque illis vernaculis cõuitiis, res ipsa ad analyseos leges à nobis, velis nolis reuocanda est, vt quídnam ad ipsius defensionem à te dicatur, perspicuè possit. Quatuor autem argumentis id probare instituis quod antea negabas, Veram nimirum Ecclesiam Catholicæ Romanæ appellatione designari, eáq; ab hæreticorũ conuenticulis distingui. Argumenta illa tua primũ proponem⁹, deinde ad illa respõdebimus.

Hayi argumenta de Ecclesiæ Romanæ principatu proponuntur & refellũtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primum argumentum est huiusmodi.

Omnes distinctiones quæ ad veritatem illustrandam eiúsque integritatem ab hæreticorum rabie incorruptam seruandam conducunt, sanctè obseruari debent.

Catholicæ Romanæ appellatio, est distinctio maximè conducens ad veritatem illustrandam, eiúsque integritatem ab hæreticorum rabie incorruptam seruandam.

Ergo Catholicæ-Romanæ appellatio sanctè à Christianis obseruari debet.

Ad hoc argumentum è tuis verbis à me bona fide conformatum ita respondeo.

Maiorem, vt veram, amplector: Minorem, vt falsam repudio: ac proinde id quod ex ea conse-
quitur, pernego: Idque ita demonstro. Sancti
Quomodo Ecclesia vocetur Catholica. & orthodoxi Patres qui ex doctrina Apostolo-
rum Symbolum collegerunt, sanctam & fidelem
Ecclesiam rectè Catholicam appellarunt, vt eam
ab omnibus profanis cœtibus iisque maximè qui
eius & nomen & faciem ementirentur, proprio
nomine distinguerent. Catholicæ autem appel-
latio optimè quadrat sanctæ Ecclesiæ, quæ nim-
rum per Christi sanguinem sanctificata hæres ei
remissionis peccatorum, columna atque firma-
mentum veritatis, per quam regeneratur in vi-
uitatem & sanctitatem, primariæ illius sanctifi-
cationis verum & necessariũ effectum: & omnes
filios Dei per vniuersum terrarũ orbẽ dispersos
sua communione complectitur: atque adeò ve-
rum est tam latè patere sanctam quam Catholi-
cam Ecclesiam. Atqui Ecclesia Romana vt sanc-
non est, ita neque Catholica hactenus dici po-
test. est

test. est enim fœda meretrix, Christi sanguinem, quantum potest, profanans, & scortationum suarum fœditate veritati illudens. Est igitur petitio principii, vt Sophisticarum decipularum importunissima, ita Hayo planè vernacula. Id enim ponit quod est in controuersia: nimirum Religionis integritatem esse penes Ecclesiam Romanam, quum omnium errorum intemperies Antichristo autore in ea dominentur, quibus non modò Christi veritas obscuratur, & sanctæ Ecclesiæ communio impeditur, sed & Christo & Ecclesiæ, Antichristus ψευδώνυμος Christi & Ecclesiæ nominibus se venditans, acerrimum bellum indicit. Itaque Hayi argumentum ita in Hayum ipsum retorqueo.

Omnes distinctiones quæ veritatem obscurant & mendacium inducunt, penitus sunt tollendæ. Retorquetur argumentum Hayi in Hayum.

Catholicæ-Romanæ appellatio, & veritatem obscurat & mendacium inducit.

Ergo Catholicæ-Romanæ appellatio penitùs tollenda est: & ex vi consequentis non Apostolis (vt calumniatur Hayus) sed Antichristo & magnæ meretrici abominationum matri aduersamur: vt sanctam & Catholicam Ecclesiam, castam Christi sponsam ab impudentis adulteræ petulantia calumniisque vendicemus.

Est igitur falsum, Catholicæ appellationem Romanæ Ecclesiæ conuenire, nisi καπήλως: vt videlicet, Catholicæ-Romanæ appellatione ea synagoga intelligeretur quæ Catholicorum errorum & flagitiorum sit sedes & epitome. Atque hoc quidem ad primum argumentum.

Secundum est huiusmodi.

Ea Ecclesia quæ in omnes Ecclesias principatum obtinet, & cuius communio omnibus Christia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis necessaria est, Catholica nuncupari debet.
Romana Ecclesia in omnes Ecclesias principatum obtinet, eiúsque communio omnibus Christianis necessaria est.
Ergo Romana Ecclesia Catholica nuncupari debet.

Ad hoc secundum argumentum ita respondeo.

Hoc argumentum apoplexia laborat. peccat enim in materia & in forma. In forma quidem, quia nō valet argumentū à particularibus: quum tamen hoc argumentum aliter disponi nō possit, quemadmodum ex ipsis Hayi verbis apparet: cui elaborandum erit vt vel nouum medium quærat, vel nouas differendi leges excogitet. Siccine enim, Hay, argumentaberis, Omnis Ecclesia quæ in omnes Ecclesias principatum obtinet: tu verò Romanæ Ecclesiæ hoc ius tribuis.

Nō posse dari Ecclesiam particularē vniuersalē, ac proinde neque vnius Ecclesiæ in omnes Ecclesias principatum.

Peccat autem in materia, quia huiusmodi Ecclesia, qualem describis, nusquam est in rerum Natura: ac proinde imaginarius ille Pseudocatholicæ Ecclesiæ principatus à Diabolo & Antichristo Sophistarum ministerio fabricatus, vt τὸ ὄν ποῦ ὄν in Vtopiam relegandus est. sublata enim imaginaria Ecclesia imaginarius quoque illius principatus, & imaginaria illius communio per se concidit: nisi communionem erroris, sceleris, immunditiæ & fœditatis, qualis Babylonicum scortum decet, intelligamus.

Quòd si in re Theologica Theologicis principiis agere cōsentaneum est, & Theologica principia in Verbo Dei peti debent: duo necessariò consequuntur. Vnum, hoc tuum argumētum esse παραλόγον & Sophisticum, quum sit ἀσυλλόγιστον & omnibus modis peccat. De Tertio videamus.

nam contra expressum Dei verbum vni Ecclesiæ in omnes Ecclesias principatum tribuit: & rursus id ponit quod est maximè in controuersia. Alterum, quum principatus huiusmodi qualem palam & liberè Romanæ Ecclesiæ ascribis, à Verbo Dei designatur vt Antichristi nota in Ecclesia Dei nimirum sessuri tyrannidémque Dei nomine occupaturi: efficitur, Romanam Ecclesiam quæ hunc principatum sibi vendicat esse sedem Antichristi: & ex vi consequentis Catholicæ Ecclesiæ appellationem ipsi minimè deberi: & argumentum in ipsam sic esse retorquendum.

Retorquetur argumentum Hayi in Hayi caput.

Quæcunque Ecclesia in cæteras Ecclesias principatum vendicat, ab Ecclesiæ Catholicæ communione penitus eo ipso desciuit, & vt meretrix sanctæ Catholicæ Ecclesiæ nomine indigna est.
Romana Ecclesia sub visibili suo capite Pontifice, in cæteras Ecclesias principatum vendicat.
Ergo ab Ecclesiæ Catholicæ communione desciuit, & augusto illius nomine indigna est.

Hic igitur syllogismus tuus, Hay, planè ἀσυλλόγιστος est, & omnibus modis peccat. De Tertio videamus.

Tertium argumentum.

Omnia priuilegia ab orthodoxis Patribus olim Ecclesiis tributa, debent esse rata & firma.
Ecclesiæ Romanæ ab orthodoxis Patribus olim hoc tributum est priuilegium vt Catholica appellaretur.
Ergo Ecclesia Romana, debet appellari Catholica, & ex vi consequentis est ipsa vera Ecclesia Catholica.

Ad hoc tertium argumentum sic respondeo.

Quum in priori huius argumenti parte multiplices lateant Sophisticarum decipularum insidiæ, omnino necesse est illa distingui. Primus error est, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Alter, Ignoratio Elenchi, idque *Δὲ λεγόμενον* eorum testium quos Hayus adhibet ad suam sententiam confirmandam.

Varii errores argumenti Hayani.

Quod igitur hîc vniuersè ponitur, adhibita distinctione limitandum esse respondeo, vt notarimus quid, quando, quomodo Ecclesiæ competat. Summa est, Priuilegia siue beneficia quæ tum à Verbo Dei tum ab orthodoxis Patribus Ecclesiæ tribuuntur, hactenus esse rata, ne personis alligentur: quum in suis beneficiis dandis liberrimus Deus causam cur hominibus bene velit & faciat, in se comperiat: cur suis beneficiis homines spoliet, in hominibus: ac proindè Ecclesiæ statum non vniformem esse & eundem, sed pro variis variorum temporum circumstantiarum varium & multiplicem. Exempli causa. Iudæorum Ecclesiam ipsámque cumprimis ciuitatem Hierosolymitanam maximis illustrissimísque donis ornauerat Deus: quæ illi tandiu rata fuerunt quandiu Deus voluit, illísque homines bene sunt vsi: illis abusos iustè spoliauit. Neque minus rata men Deo constitit veritatis suæ firmitudo. Quæ verò sic rectè colligat, Perpetuam sibi fore Hierosolymis sedem pronuntiauerat Deus. Ergo Ecclesia Hierosolymitana est Ecclesiarum Christianarum sedes non modò primaria sed etiam perpetua. Si excipias, Id non valere in Hierosolymitanorum exemplo, quum aduentu Christi & finis legalibus ceremoniis impositus, & intergerino pariete

Dei beneficia personis non alligãtur, hominúmque accidit culpa: sed non sunt omnibus locis nec temporibus eadem.

Psal. 132. 14.

pariete sublato, Ecclesiam per vniuersum terrarum orbem fuerit diffusa, duo respõdebo. Vnum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ post aduentum quoque Christi maxima fuisse tributa beneficia. quũ in ea non modò Christus & Apostoli docuerint, sed in qua post Christi in cœlum ascensionem Euangelii vox efficacissimè personuerit, & ex ea tanquam scaturigine diuinæ cognitionis flumina per vniuersum terrarum orbem dimanarint: tantáque illi constiterit autoritas vt primum Christianæ Ecclesiæ Concilium in ea fuerit celebratum. Alterum, complures quoque alias opponi posse præter Hierosolymitanam Ecclesias, in quibus hauddubiè Apostoli docuerunt: quarum tamen vix ac ne vix quidem tenuissima hodie extent inter Machometis furores vestigia. Ecquis igitur non videt minimè alliganda esse hæc personis priuilegia, neque omnibus temporibus aut locis esse eadem?

Act. 15.

Nec minus tamen verax est aut Dei Verbum aut sanctorum Patrum testimonium. non enim personis veluti hereditarium quidpiam hæc dona alligarunt, sed à Deo hominibus tribui significarunt, hactenus nimirum illis rata, quatenus se Deo gratos homines præbuissent. Germana igitur Patrum sententia detorquetur, quum id quod adhibita conditione intelligi voluerunt, præcisè vrgetur. Atque hoc quidem de priori Syllogismi tui parte.

Verbi Dei & Patrũ testimonia quomodo intelligẽda.

Ecclesia Romana inter cæteras quidem Ecclesias maxima dignitate olim illustris, sed illarum tanquam princeps fuit.

Ad minorem autem hæc respondeo: Primùm, singularibus quidem donis Romanam Ecclesiam præter cæteras Ecclesias olim fuisse ornatam: non tamen hactenus vt vllum in cæteras imperium principatúmque obtineret. Sicuti enim membrorum in corpore distinctio neque dignitatem, neque dignitas distinctionẽ impedit, ita in Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil obstat quominus vna alteri Ecclesia Ecclesiæ donorum multitudine & vtilitate antecedat, non tamen idcirco vnius Ecclesiæ in alias Ecclesias principatus stabilitur: quum vnus sit Ecclesiæ suæ princeps, Christus.

Hayi importuni reprehensoris Thrasonica audacia.

Tu verò, Hay, non minus in Physica quàm in Theologia Sophista es, licet iactabundæ illius tuæ audaciæ ampullis ευσάρκῳ ventosis tuis iocis me exufflatum esse arbitreris: quum tua tamen in Grammaticis deliria importunúmque reprehendendi cacoëthos quilibet, in Physicis Naturæ genius Aristoteles irrideat: à quo minimè nimirũ euinces vt vel pars sit toto suo maior, vel corporis pars sit totum corpus: quantumlibet vel inepte ioceris vel impudenter conuitieris. Ita neque vt Pontifex Romanus sit Ecclesiæ caput, nec Romana Ecclesia sit Catholica Ecclesia, licet illustrissimorum donorũ quibus olim ornata est dignitas & splendor in ea etiamnum maximè eluceret, à Theologia extorquebis. Catholicã enim Patres appellant Ecclesiam Romanam veterem vt præstantissimum Ecclesiæ Catholicæ membrum non quasi ipsius arbitrio & nutu cæteræ omnes Ecclesiæ regerentur.

Romana Ecclesia à Patribus olim vocabatur Catholica, vt omnes veræ Ecclesiæ vocantur Catholicæ.

Denique respondeo, distinguenda esse tempora, vt & Scripturæ & eruditæ vetustatis testimonia rectè intelligãtur. Rectè igitur in Syllogismo adhibetur OLIM. Magna enim erat Romanæ Ecclesiæ, Cypriani, Ambrosii, Augustini & Victoris temporibus autoritas, quum veritas in ea emicaret. In naufrago Romani Imperii mari quum varia ingenia variis errorum tempestatibus fluctuarent ad eam omnes viri boni velut ad Pharon vnde ad portum tutus aditus pateret oculos manúsque intendebant, de ea magnifice & sentiebant & loquebantur. Primæ illius &

Vetus Roma fidelis à noua Roma infideli distinguẽda est.

verè aureæ conditionis mutationem posteriora sæcula viderũt: nostrum autem, Romam omnium errorum, scelerum, malorum sentinã & cloacam videt. Si igitur Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Victor hodiè reuiuiscerent, magnifica illa Romanæ Ecclesiæ præconia in has diras conuerterent, *Quomodo facta est meretrix, Ciuitas fidelis?* & in Hayi caput sua testimonia sic retorquerent.

Veteris Romæ laudes in nouæ Romæ opprobria conuersæ.

Qui beneficiis à Deo tributis abusus est, dignus est qui illis spolietur.

Romana Ecclesia, beneficiis à Deo sibi olim concessis, abusa est.

Ergo Ecclesia Romana his Dei beneficiis sibi tributis merito suo fuit spoliata. &,

Retorquetur argumentum in Hayũ.

Qui id sibi arrogat quod non est suum, falsarius est & perfidus.

Ecclesia Romana dum in cæteras Ecclesias principatum vsurpat, sibi arrogat quod non suum est.

Est ergo falsaria & perfida: & ex vi consequentis cum veteri illa Ecclesia cuius dignitatem autoritatémque erudita Vetustas tantopere commendauit, nihil habet commune.

Restat quartum argumentum.

Omnes Ecclesiæ in fidei communione inter se consociatæ, debent appellari Catholicæ.

Ecclesia Romana cum cæteris orbis terræ Ecclesiis in fidei communione consociatur.

Ergo Ecclesia Romana, Catholica appellari debet.

Veritatis vim non sentis, mi Hay, quæ te eò deducit quò minimè cogitabas? In fidei communione consociatæ inter se Ecclesiæ omnino debent appellari Catholicæ: &

Hayi andabatissimus, suo se gladio confodientis.

ita noſtras Eccleſias vocari Catholicas ſupra dicebamus, quòd Catholicæ Eccleſiæ per vniuerſum terrarum orbem diffuſæ ſint membra. Si Eccleſiam Romanam probares retinere puritatem doctrinæ ſalutaris, in hac fidei communione cum cæteris Eccleſiis conſociatam, probares eſſe Catholicam, non verò aut principem aut dominam, ſed ſociam in Catholicæ Eccleſiæ communitate agnoſceres. Te igitur id modò deſtruere quod ſupra aſtruebas, non vides? Si enim Eccleſia Romana hactenus appellatur Catholica, quòd cum cæteris Eccleſiis fidei vinculo conſocietur, vbi nam eſt ille principatus in quo proram & pupim Catholicæ-Romanæ Eccleſiæ collocatis? Certè, ſi conſociatur, ſocia eſt: ac proinde non domina aut princeps: neque ad hoc vt Catholica Eccleſia diſtinctè intelligatur, opus eſt vt Romanæ appellatio adhibeatur: quum potiùs Eccleſia Romana per te hactenus Catholica vocetur quòd Catholicæ Eccleſiæ communione ſit, eiúſque merito cenſeatur. Hæc omnino planè ſunt diſparata atque repugnantia: vt tu tandem veritati dedas manus, téque tuo gladio iugules. Atque hæc quidem ad tua argumẽta. Itaque magnus ille ortho doxorum Patrum cuneus quem aduerſus me magnificis his titulis nouam Romam honeſtant, ſanctí Patres, ſed de veteri Roma loquuntur. Pr tis igitur principium, quum tibi prius probãdum fuiſſet eandem fidei doctrinam nouæ Romę num conſtare quæ veteri olim conſtabat, quàm elog ab optimis viris Romæ veteri tributa poſſint u uæ Romæ conuenire. Quod nos pernegamus, in eo vniuerſæ diſputationis cardo verſatur. Ino aduerſus te facit argumentum. quum enim illu ſtriſſimis Dei donis quibus vetus Roma olim fu ruit,

In præſtãtiſſimo ſuo ſtatu Roma fuit cæterarum Eccleſiarum in fide ſocia non Domina.

Patres ab Hayo citati aduerſus Hayum faciunt.

ruit, hæ auguſtæ appellationes tribuantur, omnino conſequitur vitiis quibus nunc noua hæc Roma fœtet, notandis, contraria nomina eſſe quærenda ac proinde te cum tuarum ineptiarum tricis planè inſanire, qui exiſtimes te fumis tuis clariſſimam veritatis lucem obſcurare poſſe.

Verùm qualem tuæ illius Catholicæ Romanæ principatum deſcribas, & quomodo eum tueaberis, proximum eſt vt videamus.

Eiuſdem doctrinæ noua inſtituitur probatio.

HAYVS.

Eccleſiam Romanam grauiſſimi ſceleris accuſas, quum eam dominatum in cæteras Eccleſias ſibi vſurpaſſe βλασφημῶς ſcribis. Primatum omniũ Eccleſiarum Romæ à Domino fuiſſe conceſſum, Catholici certiſſimis rationibus iampridem comprobarunt: Quem ſi imperij nomine intelligis, rectè Romanam Eccleſiam in omnes & eccleſias imperium habere dices. Et ſi illos ſequeris, qui vſurpare, idem eſſe putant ac præter ius vti, negamus Eccleſiam Romanam in alias ſibi imperium vſurpaſſe pag. 24.

SERRANVS.

De imperio igitur & principatu tuæ illius Catholicæ Romanæ Eccleſiæ modò vis copioſiùs agere? At pergis eſſe tui ſimilis, id eſt vitilitigator & rabula: antequàm enim de re ipſa dicas, in verbis prolixè tergiuerſaris.

Hayi rabularia in verbis vanitè tergiuerſatur, antequã de re ipſa dicat.

Ego igitur tibi ſum blaſphemus quòd dicam Eccleſiam Romanam in cæteras Eccleſias imperium vſurpare: &, Eccleſiis per vniuerſum terrarum orbem variè diſtributis longè latéque do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minari, vt illius iniussu nullæ vspiam vnquam Ecclesiæ de religionis doctrina ritibúsue constituant? Primatum, principatum, imperium, summam autoritatem potestatémque Romanæ Ecclesiæ in omnes Ecclesias Hayus non modò agnoscit, sed acerrimè tuetur, in *Dominatus* vocabulo statuit blasphemiam. *Surpandi* quoque verbum expendit, ne præter ius videatur imperium illud constare Ecclesiæ Romanæ. De ipso quidem iure postea viderimus: at ne in re dubia hæreamus, testor me *Vsurpandi* vocem accipere simpliciter pro *habere*: id est affirmare, Haudquaquam habere Petri doctrinam vt vna Ecclesia in cæteras Ecclesias habeat imperium. Verùm ad rem ipsam debebas solidè, Hay, respondere, non autem res prætermissa in vocularum aucupio stolidè hærere. Postquam verò & te & lectorem inutili loquacitate fatigasti, non te pudet institutam breuitatem prætexere quæ te scilicet festinare coëgerit duabus paginis nequicquam euagatum: quum sensus communis rationisque breuitatem omnibus palàm prodas.

Hayi insulsa distinctio. Romana Ecclesiam in cæteras Ecclesias imperiũ quidem principatum, primatum habere, sed nõ dominatũ. Ecclesia Romana quomodo

Si enim principatu, si imperio, si primatu, summa autoritate atque potestate Romana Ecclesia in cæteras omnes Ecclesias potitur, quomodo non dominatum habebit, vel, sicuti ego eram loquutus, non dominabitur? Imperii, principatus, summæ autoritatis potestatisque vocabula, qui erunt Dominatus vocabulo mollior? Imperium, principatus, summa autoritas & potestas sine dominatu esse non potest, Dominatus sine illis esse potest. quidnam verò est de lana caprina digladiari, si hoc non est? Certè, Ecclesiam Romanam in cæteras Ecclesias dominari certissimis argumentis constat. Concilia cogere, fidei decreta constituere, conscientiis leges imponere, quidnam pro Verbo Dei recipiendũ sit, in cæteras summa autoritate decernere: Reges & Principes Ecclesias suo imperio subdere, eos autorare & exautorare, dominetur. ditionibus suis inaugurare, eósque iis spoliare, crepidæ osculum obedientiæ tesseram ab illis exigere, colla ipsorũ suis pedibus calcare, nunquid Hayo erit Dominari? Ego igitur fraudulèter fuero loquutus, quum dixi Romanam Ecclesiam in cæteras Ecclesias dominari: vt Iesuitæ impudentiam Lector animaduertat?

HAYVS.

Si quæ sunt apud Aristotelem τὰ παρώνυμα legisses, cæteras Ecclesias à Romana non παρωνύμως, sed ὁμωνύμως dici assereres. Ad hæc, cur tecum pugnas? Vis vt cæteræ Ecclesiæ Catholicæ appellentur quum tuo iudicio vna tantùm sit Catholica? Reuoca tibi in memoriam. &c. pag. 24.

SERRANVS.

Te quidem vrget commenti tui absurditas, neque te tamen pudet tuæ impudentiæ. Est certè longè absurdissimum in Catholicæ Ecclesiæ communione vnam Ecclesiam in cæteras Ecclesias huiusmodi imperium obtinere, vt de suo eas nomine denominet. At quum hoc faciat Ecclesia Romana quę cęteras omnes orbis Ecclesias suo imperio subiicit, & de suo nomine Catholicas-Romanas vocat: quidni maximo se absurdo inuoluit? Qui hoc negat, non argumentis, sed vel sensu communi sibi opus esse, vel apertę veritati se repugnare confitetur. Auius igitur Hayus in viam à me est reuocandus, vt dum mihi obliuium obiicit, se stellionẽ suo iudicio prodi intelligat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc igitur modò Hay elaborabas vt probares, Catholicam Ecclesiam vt ab Hæreticorum conuenticulis distingueretur, Romanam iure fuisse appellatam: Romanæ Ecclesiæ in cæteras omnes Ecclesias principatũ imperiúmque tuebare. Quî igitur tuo iudicio Christianorum Ecclesiæ ab Hugenotorum (quos vocas) cœtibus distinguentur? Si nimirum Catholicæ-Romanę appellentur. Catholicæ-Romanæ igitur à Catholica-Romana denominantur. Ecquid est παρωνύμως dici, si hoc non est? Paronyma quænam sint iam olim ab Aristot. didiceramus, Ὅτι nimirũ ἀπὸ πτώσεως διαφέροντα τῆς πτώσεως τὴν κλῆσιν τοιαύτα παρωνυμίαν ἔχει: ac proinde ex propria Paronymorum notione dixeram, cæteras Ecclesias à principe & primaria, vt ais, Ecclesia, Romana-Catholica videlicet, Catholicas-Romanas denominari: sicuti à Grãmatica Grammaticus denominatur. Ne enim meritò obiiceres (quemadmodũ alibi facis) me præuaricari, quòd in referenda sententia vestra Romanam Ecclesiam in cæterarum ordinem redigerem, principi primariæque Ecclesiæ principem primariumque locũ ex vestra hypothesi agnoui, vt ipsa primùm & per se Catholica-Romana, tum ex ea precariò & παρωνύμως Catholicæ-Romanæ denominarentur. Ecclesia Romana ergo vobis est denominãs: cæteræ Ecclesiæ, sunt denominatæ. Casu tantùm differunt. Communis est nominis eiusdem appellatio. Itaque παρώνυμα propriè appellantur quum & voce & significatione de eodẽ dicantur. Quid igitur hic à me peccatum est?

Inepta Hayi de Paronymorum notione reprehensio.

Catholicæ Romanæ Ecclesiæ dicuntur Iesuitis παρωνύμως à Catholica Romana Ecclesia.

Hoc tamen do liberaliter quod ais, Ecclesiam Romanam quum Catholica appellatur, ὁμωνύμως esse Catholicam, quemadmodum & eam soleo appellare: quum in communi tritóque nomine τοῦ θεοῦ sit θυγατρὸς ἐστὶ à verè-Catholica Ecclesia, ab eáque

Ecclesia Romana Hayo quoque dicitur ὁμωνύμως de Ecclesia Catholica.

ab eáque toto genere distet. Sed hac de re non modò agebam. Ecclesiæ vestræ Romanæ in cæteras omnes Ecclesias autoritatem de vestra sententia ostendere mihi tantùm erat animus.

Quòd autem Catholicam-Romanam interpretatus sim *Vniuersalem-particularem* mirum est tibi mirum videri: quî enim aliter exponi hoc dicendi genus potest? Catholica enim, vniuersalem significat: Romam autem Vniuersi esse particulam si demõstrare vellem, Cosmographi quid de me statuerẽt, qui in re tam perspicua adhiberem probationes non-necessarias? Omnes igitur Iesuitas aduersus impudentiam tuam testes excitabo. Ecquis enim eas omnes Ecclesias quæ Pontificio nomini parent, Catholicas-Romanas non appellarit: & quis Romanam Ecclesiam ita Catholicam κατ' ἐξοχὴν vocauerit, quin ex ea omnes cæterę Ecclesiæ Catholicarum-Romanarum nomen sortiantur? Itaque Prætor ex lege quam citas, calumniæ & stellionatus pœnas tibi imponet, quum sciens-volens rem tibi cognitam atque exploratam neges. Si tamen cerebri infirmitate rem per se manifestam videre non potes, in eorum hominum numero te recensebit, ὧν ἔλεγχος ἀίδιος: atque adeò veratro opus tibi esse pronuntiabit vt ad meliorem mentem redire queas.

Hayus impudenter negat, Catholicam Romanã esse vniuersalem particulam.

HAYVS.

Videtur publicus aliquis Gebennensium scriba, hanc tuam orationem dictasse, quum tam diligenter tibi caueas, venusta illa tua voce Vtpiam & Vnquam *coniugatione, ne quid in te ad Romanæ Ecclesiæ odium apud omnes conflandum, Caluinianus aliquis desiderare possit.* &c. pag. 25.

SERRANVS.

Triœ Hayanæ.

Cuniculos quæris vt sensim à re primaria elabaris. Quid igitur vis? Romanæ Curiæ μυστικώτερον quendam μῦθον excitato qui Romanæ Ecclesiæ autoritatem nobis illustriùs repræsentet, si eam pro merito nondum explicaui. nam de Dominandi voce iam dixi.

Verbum Dei luculento Petri testimonio, vnius Ecclesiæ in cæteras principatum detestatur.

É Dei Verbo petitum hoc erat argumentum, & eo quidem singulatim notario, cuius nomen maximè venditatis. Petrus enim vnum in vna Ecclesia ἀρχιποίμενα Christum agnoscit. Ergo alium ἀρχιποίμενα Pontificem detestatur. Idem Petrus vetat nequis in Ecclesia Catholica dominetur in cæteras Ecclesias. Ergo Romani Pontificis Catholicum principatum execratur, aut vnius Ecclesiæ, quæcunque tandem illa sit, in cæteras Ecclesias Catholicatum. Petrum laudare testem, est profectò è Verbo Dei petere argumenta. Tu verò quidnam ad hoc respondes?

HAYVS.

Si quis negaret ad hæreticorum furorem reprimendum fideique res illustrandas, magnum habere momentum Concilia Pastorúmque Ecclesiæ cœtus, non tantùm rerum veterum monumenta ignorare, sed & in Spiritum sanctum grauissimum committere scelus, facilè conuinceretur. &c.

SERRANVS.

Sunt verba & voces. quis enim hoc negat, aut quidnam huiusmodi est in controuersia? Conciliorum

liorum autoritatem tantum abest vt contemnamus, vt id maximè affirmemus, si ex illorum autoritate decidendæ inter nos essent componendæque controuersiæ, nullum planè fore tuum Papatum. Sed vera & germana Concilia à falsis & adulterinis Conciliis distinguimus. Olim enim λησρικὰς & impias Synodos extitisse negare non potes. Verùm quorsum hæc de Conciliis?

Orthodoxorũ Conciliorum magna est nobis autoritas.

HAYVS.

Vt probem magnam esse Pontificis Romani in vniuersam Ecclesiam autoritatem, cuius iniussu neque Concilia cogere licet, neque Conciliorum placita pro fidei decretis ante recipere quàm ipsius autoritate firmata fuerint. &c. à pag. 25. vsque ad finem 26.

SERRANVS.

Huius argumenti de ementita Conciliorum autoritate errores notantur.

Bifariam hìc à te peccatur. Primùm, petis principium & τὸ κρινόμενον pro confesso assumis. Non enim, si magna fuit Ecclesiæ Romanæ inter cæteras Ecclesias olim (constante nimirum in Ecclesia Romana doctrinæ integritate) autoritas, consequitur nunc, (corrupta videlicet infinitis erroribus & sceleribus Roma) eandem ei autoritatem deberi. quum enim ab Ecclesiæ Catholicæ communione sese seiunxerit, communionis quoque Catholicæ iura omnino amisit.

Deinde, in testimoniis illis quæ citas, est manifestus error περὶ διάνοιαν. Non enim ex iis locis quos citas rectè concluseris, Primatum siue principatum in cæteras Ecclesias vel Episcopo Romano vel Ecclesiæ Romanæ antiquitùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

constitisse: sed illud tantùm, Magnam & Episcopo Romano & Ecclesiæ Romanæ reuerentiam à cæteris Ecclesiis fuisse exhibitam, illiúsque consensum in magno bonis & orthodoxis Patribus pretio olim extitisse. Quum enim ita in Ecclesia constitutum esset vt ex Ciuitatum prouinciarúmque ordinibus Ecclesiarum sedes distribuerentur, factum est vt prima Romanæ Ecclesiæ sedes tribueretur. Primam igitur illam Romanæ Ecclesiæ sedem cæteræ olim Ecclesiæ, non principatum agnoscebant: sicuti & Carthaginensis Concilii decretum à Caluino appositè citatum, à te verò inscitè sugillatum disertis verbis testatur: *Vt primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Vniuersalis autem Episcopi appellatio, summáque illa in Concilia autoritas quam tu Romani principatus firmamétum statuis, ad illa tempora planè erat incognita: quæ tum demum inualuit quũ homo peccati sedem in Ecclesia occupauit.

Prima sedes inter Ecclesias Romanæ Ecclesiæ olim tributa & quomodo

Concil. Carthag. 3. cap. 26. & Decret. 1. parte dist. 99. C. primæ sedis.

Atque vt ad singula à te citata eruditæ Vetustatis testimonia respondeam, sic habeto. Nicenam Synodum non Pontifex Romanus, sed Constantinus Imperator cõuocauit: ei Synodo Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit: Romanus Episcopus per legatos in ea quarto tantùm loco sedit. Eam Imperator non Romanus Pontifex, confirmauit, illiúsque decreta publicis rescriptis sanxit & rata esse voluit. Prima igitur Hayanæ argumentationis, quòd ad Nicenum videlicet Concilium primum attinet, pars profligata est.

Prima pars Hayanæ argumentationis euertitur in Niceni Concilii exemplo.

Locus etiam ille quem citas, Hay, tibi perspicuè repugnat. Non enim Romani Pontificis imperio summáque autoritate, sed *oris consortio*, confirmari

firmari decreta sua postulét Niceni Concilii Patres. Aliud est Oris cõsortium siue assensus, aliud Imperium. Certè quum vbicunque essent Ecclesiæ, Oecumenicorum Conciliorum decreta obseruari deberent, ita æquum erat & consentaneũ vt ab omnibus priùs probarentur. Romanæ inter cæteras magnam fuisse autoritaté sæpe diximus. Ecquis igitur miretur, quum Episcopus Romanus Concilio abfuisset ipse, & legatos tantùm eò misisset, eum rogasse Concilii Patres vt à se decretis assentiretur, eáque oris consortio confirmaret. Nõ fuit igitur hæc summa autoritas Pontificis Romani aut potestas, sed fraternus & Christianus cum cæteris Ecclesiis assensus.

Locus ab Hayo citatus Hayo perspicuè repugnat.

Romanæ Ecclesiæ consensus quomodo necessarius.

De Constantinopolitana idẽ quoque respondeo. Theodosius & Gratianus Impp. Synodum conuocarunt: Menas Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus Synodo præfuit. Patres Concilii ex his verbis quæ affers consensum in re communi efflagitant, vt tuo tu gladio palàm iugulemur. Sunt enim diserta verba, *Obsecramus vestram sanctitatem vt consentiat.* Omnes enim Ecclesias consentire æquum est, nec idcirco vnius in cæteras imperium, vt dixi, stabilitur. Secunda igitur argumentationis Hayanæ pars nulla est.

Secunda pars ex Constantinopolitanę Synodi exemplo.

Ephesinam quoque Synodum primam Theodosius iunior & Valentinianus Impp. conuocarunt: ei Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit. Quænam autem sunt illa consona quæ à Cælestino Romanæ Ecclesiæ Episcopo Patres Concilii confirmari postulãt, Cyrillus ostendit qui Cælestinum consacerdotem & coëpiscopum vocat, & de eadem re loquẽs Leo Pontifex Romanus Cælestini successor his verbis: *In quo opere multum consacerdotis mei deuotione gaudebo, & semper ipsius vnanimitate lætabor, quia fraterna*

Tertia verò pars in Ephes. Synodi exemplo. Cyrillus in Epistola Synodali Cõcilii Ephesini primi.

Epist. 34. Leonis Martiano Augusto.

pax non nisi vna fidei confessione seruatur. Quale verò illud Romanæ Ecclesiæ in cæteras Ecclesias esset imperium idem docet, *Quia Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis possit error aboleri, fratres nostros Iulianum Episcopum, Renatum presbyterum, & filium nostrum Hilarium diaconem misi qui vice mea sancto conuentui vestræ fraternitatis interfint, & communi vobiscum sententia quæ Domino sint placitura constituant.* Tertia igitur Hayanæ argumentationis pars corruit.

Epistola 10. Leo ad Epheſ. Synod. 2.

Quarta pars, in Chalcedonensis Cõcilii exẽplo.

At quod de Chalcedonensi Synodo commemorat Hayus, planè est importunum. Ephesina Synodus secunda, quæ λῃστρικὴ nominatur, Eutychetis errorem Dioscori Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi qui ei Synodo præerat, artibus confirmarat. Leo Romanæ Ecclesiæ Episcopus hac de re apud Martianum Imperatorem conqueritur grauissimis verbis, eámque vt generalem Synodum intra Italiã haberi iubeat, supplicibus verbis suo & collegarũ nomine, rogat: Pulcheriámque Augustam vt apud Principẽ sua gratia se iuuet, impẽse orat. Imperator eius precibus annuens Synodum generalẽ indicit non quidẽ in Italia (sicuti postulabat Leo) sed Chalcedone, eique vult Romanum Episcopum præesse, ad Orientalium Episcoporum qui Dioscoro & cæteris Eutychianis fauebant, factiones impediendas. Synodo interfuit Imperator, abfuit Romanus Episcopus nimiùm arcti temporis & loci importunitatẽ prætexens: ei tamẽ Concilio per legatos præfuit: sed quomodo, ipse docet. nam ad Cõcilii Chalcedonensis Patres scribens ait, Se quidem literis Principis fuisse inuitatum, vt Synodo suã præsentiam præberet: quum tamen adesse per tempus sibi nõ liceret, Paschasianum & Luculentium Episcopos, Basilium & Bonifaciũ presbyteros ad Synodum

Epiſt. 12.

Epiſt. 13.

Quomodo Epiſcopus Romanus præfuit Concilio Chalcedonenſi.

Epiſt. 20.

Epiſt. 27.

Epiſt. 18.

misisse, qui suam in ea vicem supplerẽt: rogat autem Synodi fraternitatem vt æstimet se per illos præsidere, & absentem adesse Catholicæ fidei concordia & prædicatione. Quomodo autẽ Leo Chalcedonensis Synodi dogmata confirmarit, quemadmodũ loquitur Hayus, discat ipse à Leone, ne Leonem Leoni opponat. &, *Quia* (inquit Leo ad Imperatorem) *& nos & beati patres nostri, quorum doctrinã & veneramur & sequimur, in vnius fidei concordia sumus, sicuti prouinciarum omnium protestantur antistites, agat Clementiæ vestræ deuotissima fides vt quamprimùm ad nos Constantinopolitam Episcopi qualia debent probati & Catholici sacerdotis scripta perueniant. &c.* Imperatoris autoritatem implorat Leo vt Cõcilii decretis Episcopus Constantinopolitanus obtemperet. Vbinam est summa illa Romani Pontificis in omnes Ecclesias autoritas & potestas? Idem verò quænam illa sit sua confirmatio, testatur. *Sed quia*, inquit, *pio studio humanis negotiis diuina præponitis, & rationabiliter & religiosè Regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Euangelij prædicatione discordia, ego etiam vestris dispositionibus nõ renitor, optans vt omnium cordibus catholica fides, quæ non potest nisi vna esse, firmetur.* Cõsensum igitur suum ad cæterarum Ecclesiarum cõcordiam accedere testatur. At qualis sit sua in confirmãdis Concilii decretis autoritas, apud eundem Imperatorem his verbis significat. *Prior Synodus Ephesina, Nestorium cum dogmate suo damnauit. sequẽs verò in prædicta ciuitate nõ possum vocare Cõcilium, quòd in euersionem fidei fuisse agitatũ constat, quódque vestra Clemẽtia amore veritatis Catholicis affutura aliud statuendo QVASSAVIT gloriosissime Imperator. Vnde per D. nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est autor & rector, obtestor & obsecro Clementiam*

vestram vt in præsenti synodo fidem quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, nō patiamini quasi dubiam retractari. &c. De Chalcedonēsis Concilii Patribus loquitur: & se quoque apud Imperatorem excusat quòd ei Synodo, sicuti mandauerat, minimè interfuerit. Pontifex Romanus ab Imperatore postulat vt Concilium conuocaret, illius decreta rata haberet, contraria eis Synodi Ephesinæ secundæ decreta Imperatorem abrogasse testatur, suam absentiam excusat, consensum suum cum Patribus Concilii hactenus necessarium testatur vt Ecclesiæ & Imperii concordia & pax constaret. Vbinam est Romanæ Ecclesiæ in cæteras Ecclesias primatus & principatus?

Epist. 16.

Quarta igitur Hayanæ argumentationis pars collapsa est: ac proinde ex sufficienti partium enumeratione tota ipsa argumentatio, & ex vi consequentis totus ille Romanæ Ecclesiæ principatus summa illa Conciliorum cogendorum confirmandorúmque autoritate innixus penitus euanuit.

Ac proinde tota argumentatio nulla est.

Nam quòd de Carthaginensibus Conciliis audacter scribis, Iesuiticæ est impudentiæ, cui dummodò aliquid dicat, satis est. Hæc enim quæ nullo iudicio affers, planè tibi aduersantur. Carthaginense illud quod affers Concilium, non autoritatis defectu, sed excessu peccauit. Boni enim Patres Cypriani autoritati nimiùm tribuerant. Episcopi Romani autoritatem minimè desiderabāt quæ vt in magno erat apud Africanas Ecclesias pretio, sic eam tandem oportuit cohibere vt sese intra suos fines contineret. Quòd enim ii qui in Africanis Ecclesiis censura Ecclesiastica notati fuerant, vt patronos nequitiæ comperirent, ad Romanam Ecclesiam aliquando prouocarent, factum est

Africanorum Conciliorum autoritas aduersus Romanæ Ecclesiæ autoritatem discrete facit.

ctum est in Mileuitano Concilio Decretum, *Vt qui ad transmarina Concilia appellasset, à nullo intra Africam in communione reciperetur.* Quod decretum Carthaginense Concilium postea confirmauit. His Conciliis interfuit Augustinus, vt sui ipse interpres esse debeat. Romanæ Ecclesiæ concordiam magni quidem fecit, summam ei autoritatem potestatémque contra Mileuitani & Carthaginensis Conciliorum decretum haudquaquā tribuit. Quid verò illius verba significant? Duo Africana Concilia ad Innocentium Romanæ Ecclesiæ antistitē de re tota copiosè scripsisse. Ipsum verò illum Innocentium eo modo ad omnia respondisse quo fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem: nimirum vt Apostolicam orthodoxorum Patrum sententiam aduersus Pelagianorū errorem latum amplecteretur, & cum ipsis pestiferam de meritis doctrinam (quā ipsius successores non Apostolicæ sed Apostaticæ sedis heredes nunc tuentur) detestaretur. Hoccine est ex Augustini sententia summam autoritatem tribuere Pontifici Romano?

Concilii Mileuitani cap. 18. & 22.

Augustini locus ab Haya citatus explicatur.

Quin tu igitur disce, Hay, quídnam sit in sanctæ Antiquitatis scriptis sine iudicio versari: quæque αὐθαδείας te pudeat, quòd præceptorum fida auspicia negligens in Patrum latifundiis toto cœlo aberres.

Hayus Antiquitatis planè imperitus.

Nicenæ porrò Synodi de Filio Patri consubstantiali decretum, non est Romani Pontificis inuentum, sed doctrinæ Apostolicæ luculenta explicatio: neque Synodi Nicenæ autoritatem Pontificis Romani principatu & imperio firmatum fuisse, è superioribus apparuit. Illo sublato, Catholicæ quoque Ecclesiæ suo nimirum capite orbæ, principatus nullus est: ac proinde quicquid hactenus attulisti, in tuum caput retorquetur.

Distinctio de ὁμοουσίῳ tota est è Verbo Dei.

Argumentum tuum erat huiusmodi.

Argumentum Hayi de summa Ecclesiæ Romanæ in Cõcilia autoritate, aduersus Hayum retorquetur.

Ea Ecclesia cuius iniussu neque Concilia cogere licet, neque Conciliorum placita pro fidei decretis antè recipere quàm ipsius autoritate firmata fuerint, princeps est cæterarum Ecclesiarum:

Atqui Romana Ecclesia iniussu neque Concilia cogere licet, neque Conciliorum placita pro fidei decretis antè recipere quàm ipsius autoritate firmata fuerint.

Ergo Ecclesia Romana est princeps cæterarum Ecclesiarum.

Assumptionem tuam è primorum Conciliorum autoritate instituis probare hoc modo,

Id verum esse constat è Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis Conciliorum conuocatione, & decretorum confirmatione. Ergo verum est, Ecclesiam Romanam olim principatum obtinuisse.

Ego verò ex iisdem illis exemplis quæ attulisti in tuum caput retorqueo,

Atqui quod Hayus dixit de cogendorum & confirmandorum Conciliorum penes Romanum Pontificem autoritate, è Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis Conciliorum actis omnibus constat falsum esse.

Ergo falsum etiam est, Ecclesiam Romanam vel Pontificem Romanum illius caput, in cæteras Ecclesias obtinuisse principatum: & Hayus Iesuita falsi & impudentiæ suis iudiciis & argumentis reus apud omnes æquos iudices peragitur. Quod ex superioribus patet.

Ex iis igitur, Hay, quæ ad imaginarii illius principatus defensionem attulisti, constat inauditũ Antiquitati fuisse vnius Ecclesiæ in cæteras Ecclesias

Ecclesias principatum: ac proinde collapso firmamento, totum Romanæ-Catholicæ ius nullum esse, at esse Antichristi commentum quod Iesuitica vanitas nunc audacia & clamoribus tuetur.

HAYVS.

Dic, amâbo, qui te in Græcis versatum profiteris, vbi πρωτοκαθεδρίαν Primatum significare inueneris. &c. à pag. 27. vsque ad 28. finem.

SERRANVS.

Noua Hayi effugia.

Rursum quærit latebras meus Hayus: ne ad rem disertè respondeat, in verbis effugium vestigat: vt non minus verborum quàm rerum se imperitum demõstret. Quid enim ego obgannienti Monacho succenseam, & idcircò impotenter excandescenti quòd à veritate victus teneatur, vt elabi nisi per conuitiorum possit diuortia?

Argumentum è Petri verbis sumptum aduersus principatum Ecclesiæ Romanæ.

Duplex erat meum argumentum è Petri luculentis verbis petitum. Petri autoritate nihil gratius efficaciúsque in hoc argumẽto dici poterat, quum Petrum generis sui autorem iurisque vindicem Romani Pontifices appellent. Ita enim argumentabar ab exemplo & testimonio Petri.

Si quod ius à Petro Ecclesia quædam, veluti Petri heres, sibi vendicare potest, illud planè est quod sibi ipse tribuit Petrus.

Atqui Petrus Ecclesiæ Presbyteros alloquens, se illorum συμπρεσβύτερον & collegam profitetur, sibique hoc cum illis commune ius agnoscit, vt pascat oues Domini.

Ergo nulla Ecclesia quantumlibet illustris omnium donorum generibus, aliud ius

fibi vendicare poteſt:& ex vi conſequentis,Nullæ Eccleſiæ particulari fas eſt primatum ſiue principatum in Eccleſia Catholica vſurpare.

Amplificatio argumenti ex illius conſequutione.

Latet autem argumenti ἐπικοδόμια & amplificatio in illis verbis,ſicuti ſuo loco oſtendam. Si enim vel præſtantiſſimæ omnium donorum generibus Eccleſiæ nefas eſt principatum in cæteras Eccleſias vſurpare, quì Romanæ meretrici omnium errorum & ſcelerũ ſentinæ nunc licebit?

Sophiſticæ ſtrophæ.

Ad hoc argumentum quum debebat Hayus bona fide reſpõdere,vel ſe victum à veritate confiteri,adhibet machinas Ieſuiticas ad oppugnandam veritatem è meæ perſonæ ἐξεδενισμῷ, & rei ἀποπλοτήσι in meis verbis ſtrophas quæritans. quàm rectè, è mea reſponſione perſpicuum erit.

Hayi impudentia in linguæ græcæ oſtentatione.

Mihi quidem, Hay, linguæ Græcæ cognitionem nunquam arrogaui, neque de ea hîc tecum certare mihi animus eſt.Hinc tamen apud omnes ſanos euincam te Scotum Atticum vel magnam linguæ Græcæ ignorantiam prodere, vel ſycophanticam maledicentiam qui quod rectè dictum eſt malignè carpas, vel vtrumque. Neque meæ orationi caput & pedes, (quemadmodum criminaris)ſed tuo capiti oculos deeſſe,quos nimirum ἀδὶ πτέρνας ἔχεις, vt à re primaria quæras ſubinde effugia,ſani animaduertunt.

Sic igitur habeto. πρωτοκαθεδρίας vocem legi apud Matthæum, cap.23.v.6. Phariſæorum enim ambitionem deſcribens Chriſtus,Amant,inquit, primos diſcubitus in conuiuiis, & πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς. Vulgata, *Primas cathedras*. Eraſmus, *Primo loco ſedere*. id eſt præſidentias in Eccleſia.Doctiſſimus interpres Beza, *Primos conſeſſus in conuentibus*. Hanc igitur πρωτοκαθεδρίας vocem commodè anagoge ad Pſeudocatholicæ Eccleſiæ Romanæ primatum ſignificandum adhi-

πρωτοκαθεδρία quid ſit.

bui.erat enim Phariſaïſmus imago Antichriſtianiſmi Romani.Phariſæi,ſedebant ſuper cathedrã Moſis. Antichriſtus, Petri cathedram occupat. Phariſæi, primos in conuentibus confeſſus ambiebant:Antichriſtus, primam in Eccleſia ſedem occupauit, & dicitur à Paulo ſedere in Eccleſia Dei tanquam Deus, præ ſe ferens ſe eſſe Deum: ſicuti & vocatur Põtifex Romanus à vobis Deus in terris,& vt Deus colitur.Phariſæi,quaſi Eccleſiæ Dei architecti zelo videbantur maximo inflammati ad opus Dei promouendum, Chriſtum tamen lapidem angularem reprobauerunt, bellúmque acerrimum ei indixerunt. Pontifex Romanus,ſub Chriſti & Eccleſiæ zelo, Chriſtum & Eccleſiam oppugnat. Placuit quoque mihi vox illa, quòd Capitis illius miniſterialis veſtri commentum vox Syriaca in eodem Matthæi loco repræſentaret, ריש מותכא.

2.Theſſal. 2.4. Pſal. 118. 22. 1 Petr.2.7. Matth.21. 42.

Hanc πρωτοκαθεδρίαν à Chriſto diſertè damnatam aio, vt omnem iſtum in Eccleſia primatum deteſtaremur.ſcimus enim quàm ſolicitè Apoſtolos ſuos monuerit vt omnem ambitionis occaſionem è graduum illorum cupiditate naſcentem præciderent. Itaque licet in Eccleſia Dei omnia ordine fieri debeant, neque ordo ſine graduum diſtinctione eſſe poſſit, euentus tamen oſtendit in illa Hierarchiæ,quam vocant, conſtitutione iam tum fundamentum fuiſſe iactum ad iniquitatis myſterium peragendum, quod Pontifex Romanus adimpleuerit. Huiuſmodi enim primatum ſiue principatum qualem hodie vſurpat Pontifex Romanus,& quem tu defendis, Ieſuita,à purioris Eccleſiæ vſu tam abeſt quàm Regnum à tyrannide: licet in Eccleſia Dei vnus ſit Monarcha Chriſtus,ac proinde ſine verbo Dei & ſine Apoſtolorũ ordinatione aut exemplo factum

Et quomodo à Chriſto reprehenſa. Matt. 20. 25. Luc. 22. 25. Ioan.12. 14.&c. 2.Theſſal. 2.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit, vt Primatus etiam illi in Ecclesia olim constituerentur. Romana igitur Ecclesia omnibus omnium donorum generibus quantumlibet illustris (vt tibi grammaticulo gratificer in meorum verborum constructione) primæuo illo & verè aureo sæculo primatum illum in vniuersam Ecclesiam nõ potuit sibi vendicare: neque vnquam vendicauit, nisi quum relicta Ecclesiæ Catholicæ cõmunione, Antichristo adhæsit, cuius fuit prænuntia tuorũ illorũ quæ iactas προτείων, Vniuersalis nimirũ Episcopatus siue Primatus affectatio.

Vis argumẽti à voce Compresbyteri.

E Logica igitur non Caluiniana, sed Petri siue potius Spiritus sancti aduersus Pontificis Romani primatum ita argumentatur. Petrus se συμπρεσβύτερον vocat, id est Presbyterorum collegam & socium. Pontifex igitur Romanus, dum se Episcoporum principem siue primatem vocat, Petro repugnat. Quid tu verò nugaris in συμπρεσβυτέρου interpretatione? Sicuti συμπρίσβυς est eiusdem legationis collega, ita συμπρεσβύτερος est eiusdem presbyterii collega, qui & ipse è seniorum siue Presbyterorum collegio est. *Presbyteros* autem proprio Christianis vocabulo eos omnes comprehendi qui Ecclesiasticum aliquod munus gerunt, & in doctrina maximè versantur, Pastores nimirum & Doctores, nemo nescit. Se igitur Petrus è Presbyteris vnum fatetur, cui vt mandata sit pascendi gregis cura, sic se & alios ad reddendam summo Pastori Christo muneris iniuncti rationem hortatur. Atque hæc quidem de nomine Συμπρεσβυτέρου. Sed tu quidnam de re ipsa ais?

Quid est συμπρεσβύτερος.

HAYVS.

Nemo nostrũm dubitat quin D. Petrus fuerit συμπρεσβύτερος, *id est consenior. At inde non concludes, nullum esse in Ecclesia primatum.* pag. 27.

SERRANVS.

Imò id concludam. Si enim est compresbyter, ipse est presbyter. id est presbyterorum socius & collega, non princeps aut dominus. Alioqui dixisset Petrus, Ego ἀρχιπρεσβύτερος τοῖς πρεσβυτέροις hortor, & pro eo quidem imperio quod mihi Christus in ipsos dedit. quod argumentum permagni fuisset momenti, siquidem pro suæ dignitatis iure Petrus fuisset loquutus. Verùm quum se συμπρεσβύτερον appellat, se collegam & socium presbyterorum profitetur. Deinde, quum iisdem illis verbis suos illos collegas affatur, quibus se Christus post resurrectionẽ compellauerat, *Pascite gregem Domini vobis commissum*, testatur cõmunem se cum illis habere eiusdem muneris rationem: atque adeò de principatu illo quem ei tribuitis se nunquam cogitasse. Quod si ipsius hoc ius fuisset, & quidem huiusmodi quo vniuersa Ecclesia inniteretur, de tanti momenti re nunquam tacuisset. Quid verò tu ad hæc excipis?

Ecclesiæ Romanæ principatus à Petro planè deturbatur.

HAYVS.

Nunquid Christus Dominus discipulos suos sæpe Fratres appellat. Confice inde cum tua Logica Christi in omnem Ecclesiam principatum, non habuisse, nec ἀρχιποίμενα fuisse. Sic quia D. Petrus non solus fuit Episcopus (alioquin alij non essent Episcopi) se συμπρεσβύτερον τῶν πρεσβυτέρων esse scripsit. Et quamuis Episcopi omnes Ordinis sacramento sint pares, est tamen inter eos gradus & dignitatis distinctio. Metropolitani enim maiores sunt Episcopis quibus præsunt, & Pontifex Romanus omnium Episcoporũ est maximus. Ibid.

SERRANVS.

Non modò inepta, sed scelerata quoque exceptio illa tua est, in materia & forma peccans. In materia quidem ipsa, quia ἀθεόλογον est atque blasphemum, Christum cum Petro ita comparare vt id Petro tribuatur quod vni Christo proprium est & peculiare. Sic autem à pari argumentaris, sicuti quum Christus discipulos suos appellat Fratres, non idcirco tamen consequitur, Christum in omnem Ecclesiam non habere principatum: ita quum se Petrus compresbyterum vocat, non idcirco efficitur ipsum non habere in omnes presbyteros, id est (vt tu interpretaris) Episcopos principatum, & ex vi consequentis in vniuersam Ecclesiam, cuius potior est pars Episcoporum ordo, cui Ecclesiæ quoque nomen κατ' ἐξοχὴν indidistis. Ita vtrobique in conclusione idem assumitur, In Ecclesia & respectu Christi, & respectu Petri esse principatum: ac proinde statuis duos in Ecclesia principatus, duos ἀρχιποίμενας, Christum & Petrum, vt idem planè de Petro quod de Christo prædicetur. Quid est insanire, si hoc non est? Hæccine est Iesuitarum μυσηριώδης illa Theologia è Verbi non-scripti adytis deprompta, quam tantoperè prædicas? At res longè aliter se habet.

Hayus Petrũ Christo æquat, duos in Ecclesia summos Pastores statuit.

Heb 2.10. Ioan.1.14. Vocatur Christus primogenitus inter multos fratres, nec erubescit ipsos appellare fratres, quòd Verbum æternum non Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit, vt qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno sint omnes: non tamen vel confudit in persona naturas: vel Officium suum in suos fratres transtulit: pro quibus vt mortuus est solus, ita & solus est ipse Christus, id est summus pastor & propheta Ecclesiæ suæ. Si Petrum pro

trum pro nobis esse mortuum affirmares, Hay, duósque in Ecclesia Redemptores statueres, nónne blasphemares? Tu igitur è Logicæ tuæ Iesuiticæ commentis duos in Ecclesia ἀρχιποίμενας, duos principes sine blasphemia constitues? Ex absurdo vides te absurdũ docere, & falsum imaginariumque Christum in veri Christi vicem supplere. Primus igitur argumenti tui error est, τὸ ψευδόδοξον & ἀθεόλογον, quia aduersus fundamenta ipsa & vera Theologiæ principia scelerate peccas. Eo enim ipso quòd demonstro te duos ἀρχιποίμενας siue summos pastores in Ecclesia statuere, reum te perago blasphemiæ: quum ratum & per se exploratum sit axioma, Vnum esse summum in Ecclesia pastorem, sicuti vna est Ecclesia, & vna veritas, imò vnus Deus.

Hayanæ argumentationis ἀδολεσχία & βαπτολογία.

In forma autem ipsa Logices tuæ acumen variè delirat. Idem enim in cõclusione ponis, Christum esse ἀρχιποίμενα, & Petrum esse summum vel maximum Episcoporum siue Presbyterorũ. quidnam igitur est ἀδολεχεῖν, si hoc nõ est? Quasi enim est ac si dicas, Christus est summus Pastor, Petrus est summus pastor. Ergo Petrus est summus pastor. Ecquis ἀσυλλόγιστον illam & ineptam conclusionem non irrideat? Secundus igitur argumenti huius tui error est, Ἀδολεχία. id est Nugatio, quia in ratiocinando βαπτολογεῖς.

Blasphemia ἀκυρολογία.

At quidnam illud est, Hay, quod dicis, *Christũ in omnem Ecclesiam habuisse principatum*, & ἀρχιποίμενα fuisse. Quòd nouus ἀρχιποίμην Petrus siue Pontifex Romanus accesserit, idcircóne Christus desinit esse Ecclesiæ suæ vel princeps, vel summus Pastor? Primum saltem Christo gradum tribuito, Petro vel Pontifici secundum. Quòd si id quod Christo perpetuum est, Christo negares, omnem tu quidem blasphemiam superares: si autem præ-

ter mentem id dicis, periculosè soloecizas, vt non Prisciani aut Ascensij sed Petri ipsius virga indigeas.

& Petitio principii.

In argumenti autem ipsius applicatione, nimiùm crassa principii petitione peccas. Vis probare, Petrum non minùs Presbyterorum esse principem, quòd se Compresbyterum vocet: & hoc quidem argumento vt à Pontificis Romani principatu Petri primatum instituas probare. id est è re controuersa rei controuersæ petas probationem. In quæstione positum erat, Pontifexne Romanus sit Ecclesiæ princeps. Illum esse Ecclesiæ principem, vis è Petri principatu euincere: nunc verò viceuersa, dum in sale hæres, perinde Petrum esse Ecclesiæ principem, instituis probare ac in vestra Hierarchia Pontifex Romanus sit Episcoporum maximus. Quidnam est non modò nugari, sed in sensum reprobum tradi, si hoc non est? Verùm expendamus quæ sequuntur.

HAYVS.

Ascribam ipsius Apostoli verba, vt disertum ipsius vetitum ab omnibus disertiùs intelligatur. Μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. *Si tibi perspecta esset vox τῶ κατακυριεύειν, ignorationem tuam prodis hunc locum nobis obiiciens. nemo enim est Catholicorum qui Romanum Pontificem tyrannicam in Christianos vsurpasse potestatem asserat. Ratione præpositionis κατὰ, vox κατακυριεύοντες significat vsum tyrannidis seu dominatus tyrannici. Vetat ergo Petrus, Episcopos in clerum, id est populum Christianum, qui ipsis veluti sorte obtigit, dominari & tyrannidem exercere.* &c. pag. 27.

SERRA-

SERRANVS.

Obliuiosus est noster Atticus, qui non meminit variũ esse multiplicémq; vsum præpositionis κατὰ, quæ nõ semper significat rei excessum, sed vehementiam sæpe: vt in verbis κατασκεύαζειν, quod non est destruere, sed accuratè construere: κατασπουδάζειν, elaborare: κατασκεῖν, diligenter exercere, & in sexcentis huiusmodi. Sic κατακυριεύειν non semper significat impotenter & tyrannicè dominari, sed vel dominari simpliciter, vel summo imperio dominari: vel, vt loquitur Cicero, in aliquem dominari, vt meri imperii autoritas & efficacitas significetur. Certè, in hoc loco Petri, κατακυριεύειν est tantùm κυριεύειν. est enim cõmentarius eius dicti quo Christus in Ecclesia imperium vetat. Matthæus dixerat, Principes gentium κατακυριεύειν αὐτῶν. id est in eas dominari: Lucas de eadem re loquens, κυριεύουσιν αὐτῶν dixit pro eodẽ. Quis igitur non videt præter Hayum ita omnino accipi apud Petrum? At emendatè noster Atticus ait κατακυριεύειν significare vsum tyrannidis, seu dominatus tyrannici: quasi vsus in re mala esse esse possit.

Quid sit κατακυριεύειν.

Matt. 20. 25. 11. Luc. 22. 25.

Hayi ἀκριβολογία.

Verùm, habeto aliquid amplius, Iesuita.

Nemo in Ecclesia κυριεύει quin eo ipso κατακυριεύῃ: vel falsum est quod Petrus instituit probare, Christum esse summum pastorem, cui vitæ nostræ ratio sit reddẽda. Si summus est Pastor, certè Dominus est, sicuti & vnũ caput est Ecclesiæ: in qua vera est de Christo vero & sempiterno Monarcha, εἷς καίσαρ ὁ ἕτερος Εἷς βασιλεύς: ac proinde in Ecclesiæ Monarchia, ἓν ἀγαθὸν πολυκοιρανίη: neque scintilla est apparẽtię (vt iisdẽ verbis vtar quibus à præstãtiss. Dei Martyre tyrãnis hæc Babylonica

Vnus in Ecclesia Dominus Iesus Christus.

Ioannes Huss. in actis Concilii Constant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

incœpit labefactari) vel plura esse vno in Ecclesiæ corpore capita, vel in Ecclesiæ monarchia plures Dominos. Tyrannica est in Ecclesia dominatio omnis quæ summum pastorem alium & Dominum agnoscit quàm Christum. Certè, vt nullus est tyrannidis siue dominatus tyrannici (vt ais) vsus, quum Tyrannis sit legitimi imperii abusus siue excessus: ita imaginarius ille, quem tueris, Ecclesiæ Romanæ principatus, est carcinoma Apostolicæ doctrinæ, quam illis verbis sic explicat Petrus vt eam ementitis suis successoribus opponat. Apostolica hæc est doctrina quam Cyprianus notat. *Neque quisquam nostrûm*, ait, *episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannica terrore ad obsequendi necessitatem suos collegas adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, támque iudicari ab aliis non possit quàm nec ipse potest alterum iudicare. Sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione & de actu nostro iudicandi.*

Hayi ἀπροσηγορία, vsus tyrannidis.

Tract. 73. in Sententiis Episcoporum &c.

Ad meam deinde parenthesin redit Hayus, id est ad vernaculas artes, cohuitia nimirum & nugas. At satius esset vt ad sanam mentem rediret, neque malis artibus veritatem expugnari posse arbitraretur. Verùm ad rem.

HAYVS.

Multa dicis, Minister, quæ probare non potes. Romanum enim Pontificem in Petri Cathedra legitimo iure sedere, summa est totius Antiquitatis consensio. &c. pag. 28.

SERRA-

SERRANVS.

Probaui, Iesuita, ex ipsis Petri verbis Petri ius esse, Pascere oues Christi, & Ecclesiam ex ipsius verbo ita regere vt summam summo Pastori auctoritatem, omnémque ministerii sui rationem ei reddat. Atqui Pontifex Romanus ouium pabulum id est veritatis doctrinam planè sustulit, Ecclesiam Dei non Verbi diuini sceptro, sed suo arbitratu summóque imperio ita vult regere vt omnes iudicans à nemine sit ipse iudicandus, licet innumerabiles populos cateruatim secum ducat primo mancipio gehennæ. Hæc enim sunt ipsissima ipsius verba. Nullo igitur iure Ecclesia Romana Petri Cathedram sibi vendicat, ac proinde probaui quod instituebam, Maiorem è Verbo Dei, Minorem ex ipsius Pontificis verbis. At quum Antiquitatem Petro opponas, testimonia illa Antiquitatis quæ profers, expendamus.

Pontificis Romani principatus aduersatur Petri doctrinæ.

Decret. 1. parte dist. 40. C. S. papa.

Ex Hieronymi, Augustini, Cypriani verbis id euincere conaris: te autem Patres orthodoxos aduersus te citare vt ex singulis illorum testimoniis constabit, ita primùm tibi vniuersè respondeo, Te tribus strophis veritatem ludificari.

Prima est, Ἀ'ρχαια λέξεως. nam *Cathedræ Petri* appellatione intelligis successionem quandam personarum in sede Romani Pontificis: quum hac voce Petri doctrina, id est Christi Verbum, cuius minister fuit Petrus, intelligatur.

Hayanæ argumentationis varii errores.

Secunda est, Diuisio. quum enim legitima personarum ordinatio à Verbo Dei separari nullo modo possit, & tunc demum valet argumentum à successione Ecclesiæ quum doctrinæ successio priùs fuerit probata, tu tamen in personis ita hæres, vt ex falsa etiam hypothesi, perpetuam à Pe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tro succeſſionem in Eccleſia imagineris : quam hypotheſin etiamſi probaſſes (ſicuti poſtea ſuo loco dicetur) non tamen rectè ſucceſſionem à Petro legitimam concluſeris , ſublata nimirum veræ & legitimæ ſucceſſionis ἐντελεχείᾳ. id eſt Apoſtolica doctrina.

Tertia eſt, Ὁμονυμία. Sancti enim Patres de vetere illa Eccleſia Romana quæ veritatis integritatẽ retinebat , ſunt loquuti: non de noua hac & meretrice, quæ Chriſti voce repudiata, Antichriſto adhæret : quemadmodum & iam docui, & agendi poſtea locus erit.

Orthodoxorum Patrum hanc fuiſſe mentẽ atque ſententiam, ex ipſorum verbis tam luculẽter apparet vt mirum eſſet te tam impudenter hæc millies refutata iterum recoquere , niſi eſſes Ieſuita, id eſt malæ fidei homo.

Patrũ teſtimonia ab Hayo citata expondũtur.

Qua enim fide Hieronymũ citaſti? Initio enim Epiſtolæ eius ad Damaſum à te indicatæ quid *Cathedræ Petri* nomine intelligat, ipſe diſertè ſignificarat, Petri cathedram , *fidem Apoſtolico ore laudatam, & dominici ſeminis peritatem* appellans, & ne de imperio quodam mundano loqui videretur, id eſt vt Antichriſtiani illius principatus veſtri fundamẽta conuelleret, hæc expreſſè ait, *Faceſcat Romani culminis ambitio. Ego nullũ primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri communione conſocior. &c.* Idcirco addit, *Qui tecum colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti nõ eſt, Antichriſti eſt.* id eſt, qui aliquem primum præter Chriſtum, qui alium ἀρχιποίμενα. i. ſummum paſtorem contra Petri doctrinam agnoſcit, ille à Petri Cathedræ cõmunione diſſociatur, non eſt Chriſti diſcipulus, ſed Antichriſti mancipiũ. Sicuti enim nulla eſt extra veritatem concordia , ita nulla extra Eccleſiam veritas, & nulla extra veritatem Eccleſia. Quid potuit ab Hieronymo illuſtrius dici ad tuæ frontis impudentiam prodendam?

Locus Hieronymi ad Damaſum. Romanæ Eccleſiæ principatui penitus aduerſatur.

Auguſtinus etiam te coarguit mẽdacii. Quum enim in illa ſucceſſione Petri dignitatem intelligat, Chriſtianæ religionis ſucceſſum oſtendens, perſpicuè teſtatur. *Nos ergo qui ſumus vocamúrque Chriſtiani, nõ in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificati ſermonib°, non oõrminibus venerati, nec decepti maleficiis : ſed beneficiis adiuti. Ille Petri magiſter Chriſtus in doctrina.* &c. Succeſſionis argumẽto ita vſus eſt Auguſtinus aduerſus Donatiſtas , vt ſchiſmaticos: quòd de doctrina ipſa conſtaret, quæ à legitimis Apoſtolorum ſucceſſoribus in Eccleſia Catholica conſeruabatur.

Vera Petri ſucceſſio ex Auguſtino. De ciuitate Dei li. 18. cap. 54.

Apoſtolorum autem doctrinam à Romana Eccleſia nunc planè eſſe exterminatã, ex ipſo etiam iure in quo principatum ſuum ipſa cõſtituit, apparet: & Petri quidem teſtimonio, ad quẽ recurrendũ eſt, ad hoc vt eius ſucceſſio vera & legitima cẽſeatur: & à Petro ad Chriſtũ ſummũ Paſtorem, & verę illius & legitimæ ſucceſſionis caput.

Dabo etiã tibi aliquid ampliùs. Perſonalẽ tuã illam ſucceſſionẽ aſtruito. Eam ab ipſa Petri ſede numerato, & in illo Patrũ ordine quis cui ſucceſſit, videto: certè, ne perpetuam ſucceſſionis illius ſeriẽ inuenire poſſis, obſtabunt Honorius monothelita , Ioannes viceſimus, Auguſtinus , Ioanna Põtifex fœminini generis, & tot Antipapę variis lacunis ſucceſſionem interrumpentes , è numero idcirco expũcti quòd vel ab Apoſtolica doctrina deſciuerint, vel quòd ſacræ illius , quam vocatis, Hierarchiæ filum interruperint. Vnde efficitur, perſonalẽ quoque vobis ſucceſſionẽ deeſſe , variè nimirum interruptam , vt iam perſonalis ſucceſſio eſſe nõ poſſit quum perſonæ perſonis perpetua , ſicuti vultis, ſerie minimè ſucceſſerint. Quicquid tamẽ ſit, hoc ratũ eſt ſempiternę Veritatis de vera & legitima ſucceſſione Axioma, *Nõ ex perſonis fidẽ, ſed ex fide perſonas probari oportere.*

Perſonalis etiam ſucceſſio, nulla eſt in Eccleſia Roma na.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hayus Cypriani falsarius & præuaricator.

Antiquior quoque Cyprianus antiquitatis fidem aduersus noui vestri cõmenti deliria tuetur,& te impudentiæ reum peragit, Iesuita, qui Cypriano id affingis de quo ne per insomnium quidem cogitauit vnquam,& falsarius comperis Cypriani verba corrumpens. In toto enim de vnitate Ecclesiæ libro ne verbum quidem de Romana Ecclesia, ne de ipsa quidem Petri cathedra fecit Cyprianus, sed de Ecclesia tantùm in genere loquitur: Tu verò hæc verba interpolasti, *qui cathedram Petri (super quam fundata est Ecclesia) deserit*, quæ non extant apud Cyprianum: cuius sunt ipsa verba, *Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse confidit?* Qualem autem vnitatem intelligat, ex ipsa disputatione perspicuum est. Conqueritur de nonnullis schismaticis qui sub Christianorum nomine Christianam Ecclesiam turbabant, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, perfidiam sub obtentu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi &c. Illorum factionibus opponit vnitatem Ecclesiæ, quam ita describit ex illis verbis quibus illius auctoritatem stabiliuit Christus Petrum alloquens, vt quomodo Petrum nominatim fuerit alloquutus, disertis verbis significet. *Et quamuis*, inquit, *Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat & dicat*, Sicuti misit me Pater, & ego mitto vos &c. *tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur.* Colligę ex illis verbis Romanæ Ecclesiæ principatum: aut potius tuam impudentiam omnibus manifestam confitêre.

Quod de Petri cathedra affers, eiusdem fidei est. Hæretici ab Africanis Ecclesiis per censuram notati & ab Ecclesiæ communione remoti, ad Romanam Ecclesiam confugiebant, in qua erat magnum schismaticorum seminarium per Nouatianum, qui Episcopi titulo sese Cornelio Romanæ Ecclesiæ vero Episcopo opponebat. Id conqueritur Cyprianus apud Corneliũ factáque enumeratione eorum scelerũ quæ transfugæ illi perpetrauerant & propter quæ fuerant ab Ecclesia exterminati, hoc addit crimen tanquam cumulum profligatæ audaciæ. &, *Post ista*, inquit, *adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram & Ecclesiam principalem vnde vnitas sacerdotalis exorta est. &c.* Docet verò quanta labes in vniuersam Ecclesiam sit redundatura, si ab vna Ecclesia profugi ab alia Ecclesia reciperẽtur, monétque Cornelium ne quicquam huiusmodi in Ecclesia Romana contingere patiatur. *Nam quum statutum sit*, inquit, *ab omnibus nobis & æquum sit pariter & iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum: &* SINGVLIS PASTORIBVS PORTIO GREGIS ADSCRIPTA SIT QVAM REGAT VNVSQVISQVE *& gubernet, rationem sui actus Domino redditurus: oportet vtique eos quibus præsumunt, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate colludere: sed agere illic causam, vbi & accusatores habere & testes sui muneris possint. &c.* Ne verò quis existimaret Romanæ Ecclesiæ fas esse de Africanarum Ecclesiarum iudicio cognoscere, addit Cyprianus, *Iam causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis ani-*

Hi loci postea copiosius explicantur.

Prouocationis ius ad Ecclesiã Romanam inauditũ erat tempore Cypriani. De hæreticis ad Cornel. epist. 52.

mi leuitate reprehendi. &c. Num inde collegerit Hayus Romanæ Ecclesiæ prouocationis ius Cypriani tempore constitisse: imò quis non videt in prima illa Ecclesiæ ætate summam illam autoritatem in cæteras Ecclesias quam Ecclesia Romana sibi postea vsurpauit, planè fuisse incognitam?

De Ecclesia quidem Romana (sicuti suo loco dicebâ) honorificè sentiebât & loquebantur orthodoxi Patres, sed de quibus Romanis sit intelligendum, Cyprianus ipse ostendit, *Eos esse Romanos quorum fides, Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Eos igitur Romanos quorum perfidia Antichristo duce perspicitur, quem in Ecclesia Dei sessurũ prædixit Apostolus, non commendat Antiquitatis testimonium, sed idcirco illos grauissimè condemnat quòd à maioribus suis desciuerint. Cornelium & Stephanum Ecclesiæ Romanæ Episcopos hactenus agnoscit Ecclesiæ principalis Episcopos vt eos Fratres, coëpiscopos, collegas vocet, moneat officii, testetúrque se commune cum illis munus administrare vt in aliorum fines ipse inuadere non debeant. sic enim Stephanum qui Martiano Nouatiani errorem amplexo, & ab Ecclesiæ communione reiecto, obliquè fauerat, reprehendit. *Quàm vanum est, frater charissime, Nouatiano nuper retuso & refutato, & per totum orbem à sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de maiestate & dignitate Ecclesiæ iudicare.* &, *Etsi pastores multi sumus, vnum tamen gregem pascimus, & oues vniuersas quas Christus sanguine suo & passione quæsiuit, colligere & fouere debemus.* &c. Hæccine est vox hominis summum illum Romanæ Ecclesiæ gradum principatúmque agnoscentis, an potius

Vetus Roma à noua est distinguenda.

Cornelio, 16. &c. Stephano epist. 43. Antonia no epist. 38.

Fratris & Collegæ, fratrem quidem & collegam (vt decet) modestè reuerentis, sed verè tamen & candidè (sicuti Collegam in eodem munere versantem consentaneum est) fratrem de officio monentis?

Hæc sobrius Lector cum iudicio legat, & ex his Hayi cæterorúmque Iesuitarum in orthodoxorum Patrum sententiis commemorandis iudicium & fidem expendat, donec vberiorem ingenii Iesuitici probationem sequens disputatio suppeditabit.

Iesuitarũ in citãdis Patrũ testimoniis summa impudentia.

Iam verò, *eiusdem illius veritatis regulam* eam voco quam antea disertis verbis ponebam, NEQVIS IN CATHOLICÆ ECCLESIÆ COMMVNIONE IN CÆTERAS ECCLESIAS DOMINATVM VSVRPET. Veritatis ipsa erant verba, μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου. Sed te tympha-ticus error transuersum agit, vt videndo non videas. *Eandem* vocaui, quia non est aliud Euangelium, non alia veritatis regula, nullis Iesuitarum cæterorúmue Pseudoprophetarum præstigiis mutabilis: *Illam* autem iudicaui veritatem cuius modò memineram, celeberrimo teste ad ipsius plenam fidem laudato, nimirum Petro. Veritatis lux splendidè emicat, iis qui oculos habent ad videndum: sed nouarum locustarum ex abyssi caligine non ita dudum egressarum oculi caligantes, Veritatis lucem pati non possunt.

Veritatis regula ad uersus principatum Romanæ Ecclesiæ. Pag. 28.

Verùm tu cur pergis in tuarum decipularum nodulis nugari? CATHOLICAM proprio nomine Ecclesiam à te tuísque vocari Ecclesiam Romanam, cui summam in cæteras omnes Ecclesias autoritatem potestatémque, summum principatum antea tribuebas, quis nescit: ac proinde quis non videt te ineptire? Hoc in conclusione

Catholica Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumenti mei assero, Vni Ecclesiæ principatum tribui contra Petri doctrinam: vt Catholica-Romana κατ' ἐξοχὴν & per se appelletur, in qua sedet Pontifex Romanus, & ex ea omnes precariò Catholicæ-Romanæ vocentur Ecclesiæ: quum Catholica Ecclesia non Romæ sit, sed per vniuersum orbem, omnes filios Dei comprehendens: illiúsque Ecclesiæ caput & summus Pastor sit Christus: omnes autem Cleri Domini, id est particulares Ecclesiæ, illius Catholicæ membra, Catholicæ σωωνύμως & verè appellentur.

& verè Catholica.

HAYVS.

Pergratum, puto, Symmistis tuis fecisses, si hanc tuam venustam orationem in extremas terrarum oras misisses. parum enim hoc loco opportuna est, quum in Thesibus nostris (quas exagitandas suscepisti) ne verbum vnum de D. Petro legeris. Sed hoc tuis παρέργοις condonamus. & c. à pag. 29. vsque ad 35.

SERRANVS.

In disputationis clausula vt in primordio cuniculos quærit Hayus. quum enim debat probare Romanæ Ecclesiæ prin

Rectè dictum est à veteribus, Hæreticorum nullam esse frontem. Id quàm verum sit, meus Ieiuita nunc reipsa ostendit, qui quum se teneri à veritate sentiret ita elabitur vt quæ in ipsam conspetere ex ipsa disputatione palam est, in me nullo pudore conetur deriuare. Non sunt tamen hæc mea πάρεργα, vt tu malignè criminaris, sed opportunè à me fuisse notata, & eo quidem modo quo disputationem deceret: te verò, ἀκριτόμυθε Sophista, à veritate victum ad audaciam & clamores, solum impudentiæ tuæ perfugium, tuo more redire, iudicabunt eruditi. Disputationis seriem cogis me hîc repetere.

Controuersiæ nostræ caput est, Ecclesiáne Romana in vniuersam Ecclesiam principatum vendicare suo iure debeat aut possit. Vos affirmatis, nos pernegamus. Ex vestra ratiocinatione vobiscum debebam agere, quæ est huiusmodi.

Quod Petro debetur, id successoribus suis debetur.

At Petro debetur vt omnium Christianorum princeps, sicuti à Domino constitutus est, agnoscatur.

Ergo idipsum successoribus suis debetur.

In hac ratiocinatione duo erant à me expendenda, Quídnam Petro debeatur, & Quínam sint ipsius successores. Id verò tractari à me sic debuit vt ad primariam quæstionem de autoritate Ecclesiæ festinarem, quæ non rectè tamen demonstrari poterat, nisi ὁμωνυμίᾳ de nomine Ecclesiæ sublata, quam subdolè nobis opponi perspicuum erat, vt sub Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ nomine, Papatus, id est Antichristi in Ecclesia sedentis tyrannicum imperium in verè Catholicæ Ecclesiæ locum substitueretur. Explicata igitur ὁμωνυμίᾳ, de ipso Petri iure dixi, ex quo successorum suorum ius totum penderet. De illo autem iure sic egi vt ex ipsius Petri diserto testimonio illud definirem quum nimirum Petrus ipse luculenter testetur se esse συμπρεσβύτερον .i. collegam & socium Presbyterorum: vnicum verò Christum ἀρχιποίμενα id est summum, vel principem pastorem Ecclesiæ agnoscat: contrà verò disertè vetat, ne quis dominatum siue principatum in Ecclesia vsurpet: necessariò efficitur non illud esse Petri ius vt omnium Christianorum princeps agnoscatur, vt summus Pastor cum Christo, quum non possint

cipatum è Petri iure, nunc totus in eo est vt probet, Petrũ Romæ docuisse & mortuum fuisse: quod tamen, vt nullius rẽ momẽti, nos ei ifi declaramus.

Summa & series nostræ argumentationis. Argumentũ Hayi.

Veræ Ecclesiæ Catholicæ ius Petri esse demõstrãdum.

Petri ius esse, pascere oues Christi, non verò principatũ in Ecclesiam vẽdicare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duo ἀρχιποίμενες siue summi & primarii pastores esse in Ecclesia: sed Petri illud esse ius, vt gregem Christi pascat & regat ipsius Verbo, & ita vitæ exemplar sit gregi vt Christo omnium actionum suarum rationem reddat.

Aliud successoribus ius esse non potest: sed quinam sint illi successores, iam quæritur. Omnes quidem Ecclesiæ pastores quos vt collegas alloquutus est Petrus, dum eos ad pascendum regendúmque Dei gregem hortaretur, Petri successores esse verissimum est. At prodit Ecclesia Romana, Petríque Cathedram sibi proprio quodam iure vendicat. Ecquónam iure? Quia Petrus fuit Romæ, docuit Romæ, mortuus est Romæ. Ego verò ad argumenti huius complexionem festinans respondebam, Me de his omnibus non mouere controuersiam, etiamsi hæ hypotheses non satis firmo fundamento inniterentur. Probandũ enim fuisset ex Verbo Dei, Petrum fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum: & quum Antiochiæ, Hierosolymis eum docuisse Verbum Dei testetur, probanda quoque fuerat consequutio, Qui potius Romanæ Ecclesiæ quàm cæteris Ecclesiis in quibus docuit Petrus, Petri ius debeatur? Sed quoniam in accessoriis illis, vt loquuntur, disputationis examinandis nolebam immorari, & ad primariam rem properarem, disertè sum testatus me ista prætermittere, & istud Romanæ Ecclesiæ patronis totum concedere: Petrum fuisse Romę, docuisse Romæ, Ecclesiæ Romanę fuisse Episcopum, præclaro martyrio doctrinã Euangelii Romæ obsignasse: non tamen inde consequi, Romanam Ecclesiam in cæteras Ecclesias omnes principatum siue dominatum habere, Episcopum Romanũ esse caput visibile Ecclesiæ, summum pastorẽ & Pontificem, siue Rectorem vniuersalis Ecclesiæ, vicarium

Romanæ Ecclesiæ ratio. Idcirco in cæteras Ecclesias principatum sibi deberi, quod Petrus Romanę Ecclesiæ fuerit episcopus.

Etiamsi demus, Petrum Romanæ Ecclesiæ fuisse episcopũ, nihil tamen inde consequi ad primatiã

rium Christi, principem Christianorum &c. Hæc ego breuissimè tantùm annotaram.

Quid hic meus Hayus? Vult probare quod ego illi dederam, & in re minimè dubia aut controuersa adhibet testes nõ necessarios: quódque ego vix ausus eram vel digito commonstrare, id arripit, versat, effundit: quod quinque versiculis indicaueram, septem paginis opplet, Patrum testimoniis infarcit, Clementẽ, Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Eusebium, Hieronymum, Ambrosiũ, Augustinum, Lactantium, Chrysostomum, Optatum, Orosium, marmora denique ipsa Romana excitat,

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Atqui magnorum illorũ mysteriorum hæc summa est, Petrus fuit Romæ, docuit Romæ, mortuus est Romæ. Verùm, quid ad rem, mi Hay, & te & lectorem tantopere fatigas? Hoc non agitur, hoc inter nos minimè cõtrouertitur. Do tibi Petrum fuisse Romæ, docuisse Romæ, mortuum fuisse Romæ. Quid tum? Num inde consequitur, Romanæ Ecclesię in cæteras omnes Ecclesias principatum deberi? Si Pontifex Romanus Petri successor est, in Petri cathedra sedet, ius Petri habet, num debet alio quàm Petri iure vti? Hoc non fuisse Petri ius vt secũdus sit Ecclesiæ ἀρχιποίμην, vt summã habeat in Ecclesiam autoritatẽ, & plenitudinem potentiæ, qualem Pontifex Romanus Petri iure sibi vendicat, ex ipsius Petri testimonio probaui: tibi probãda fuerat contraria cõsequutio: de qua tamen tibi merum silentiũ, dum in rebus minimè dubiis & controuersis, quòd ad me quidem facilem aduersariũ tuum, tot verborũ vocúmque ambagibus immorararis. Hóccine est Theologicè & seriò de rebus Theologicis & seriis disputare, an Sophisticè tergiuersari ad eludẽdam veritatem?

Hayi conclusionẽ, idestad Ecclesiæ Romanæ principatum probandum.

Tergiuersatur Hayus, & omnes neruos intendit vt probet quod illi dederamus, Petrũ nimirũ fuisse Romæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Animaduertis Lector cũ quo homine sit mihi res,& quo pacto sit mihi conueniendus. In ipso disputationis primordio de ipso cõtroúersiæ statu de quo inter aduersarios conuenire solet, magnas turbas mouit: tum quod negauerat; affirmauit. Quum ad rem ipsam tandem ventum est, neque de re ipsa neque quod ad rem ipsam vllo modo pertineat, dicit quicquam: sed peregrina quærit diuortia,& quum ratione nõ potest, oratione vult videri vicisse, non argumentorum pondere, sed verborum quouis mòdo effusorum numero Thrasonicè exultans.

Pudet me quidem pigétque (sicuti initio sum testatus,& adhuc cogor testari) me in rebus peregrinis tam multum operæ & verborum impendere. At quum in hoc rerum vndique nullo delectu congestarum multiloquio victoriam aduersarius meus collocet, hæc necessariò mihi sunt iudicanda. Iudicata verò satis per se refelli video: quum eo ipso constet Hayum ἀδολεχεῖν & nugari,& quum nihil habeat quod opponat Veritati, se à Veritate victum apud omnes hoc publico testimonio confiteri.

Et quum ei desint rationes, ad conuitia se conuertit.

Cedò igitur, Hay, tua illa ἀνταπαλᾶ mysteria expendamus. Cur ad primariam argumenti complexionem non respondes: & in rebus inter me & te non modò minimè controuersis, sed à me tibi liberaliter cõcessis tot testimonia profers, tot verba impendis? Nolebam in rebus inutilibus immorari. Tu quidé tuæ loquacitatis culpam confiteris, dum ais, *Extrema tua impudentia me longiorem facit quàm volebam*: at tuam hanc esse impudentiam tu ipse disertis planè verbis continuò confiteris. *Cramben*, ais, *non es ausus denuò congerere, ne tibi exedenda esset: at ab aliis cottam in tuum guttur ingeram, vt eius suauitatẽ velis nolis degustes.* Suam

Suam prolixitatem fatetur Iesuita,& mihi velim nolim cramben in guttur se ingesturum minatur,& mihi tamen πάρεργα obiicit,& impudentię suæ culpam in me derivat. Satísne sanus tibi, Lector, videtur meus Hayus?

Quum ipse mihi vel inuito hãc cramben exedendam proponat, séque eam in meum guttur iniecturũ minetur, num ego ipsius παρέργων sum causa? quin potius, Lector, ex ipsius ore in illorũ hominum numero qui olim gloriabantur,

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,

eum non ascribes? Et quum de multiloquio suo ipse profiteatur, in eo minimè deesse peccatum non animaduertes? Ab eo quidem multa peccari conqueror, Quòd ad rem primariam minimè respondeat, quòd in rebus inutilibus immoretur, quòd loquacitatis & impudentiæ suæ culpam in me trãsferat, quòd Patrum testimoniis in re non necessaria probanda abutatur, quòd denique in re seria nugetur. Cur igitur in Patrum testimoniis quæ citas, Hay, examinandis, ego nunc immorer.

Summa Hayi procacitas in doctissimis viris suggillandis.

Omnino de te conqueritur Occitania quòd crassum obesúmque codicem his nugis cõsutum ei obtruseris, & tuis ampullis superbiens sic tibi adblandiare vt in hoc erudito seculo suos homines naso carere arbitreris: quasi in illis Græcorum Latinorúmque testimoniorum plaustris à te effusis, te & latinè & græcè nugatorem esse intelligere non possint. Eadem quoque tibi grauissimè succenset, quòd Symmistas meos, viros pietate & eruditione singulares sibíque his nominibus celeberrimos, tu peregrinus Monachus, rerum nostrarum imperitus, ausus sis ἀναλφαβήτους appellare: ídque non modò Iesuiticæ impudentiæ & procacitati tribuit, sed vernaculæ quoque

dementiæ tuæ, id est tui σκληρασμῦ vertigini id ascribit: cuius vbi primum per dilucida interualla dabuntur tibi inducię, te tui hauddubiè pudebit, quòd tantis viris insultare ausus fueris, quorum disciplinæ si te tradidisses erudiendum, non ita aut ineptires aut insanires.

Iacobi Chambrunii liber de Conscientia Iesuitica nuper editus.

Quales autem symmistas habeam ἀναλφαβήτους, nuper te docuit Iacobus Chambrunius, frater charissimus meus mihique plurimum obseruandus, qui tuum illum ἀυτοκατάκριτον in damnanda veritate conscientiam luculentis argumẽtis prodidit, id est te vniuerso Galliæ theatro insignem calumniatorem & præstigiatorem esse demonstrauit.

Complures autem meorum, mihi crede, collegarum sua aduersus te pensa conferent, si pergas Veritati ostrepere: vt non tantùm mecum leuis armaturæ milite, sed cũ fortissimis athletis quos in veritatis defensione duces alacriter sequaris esse tuo damno intelligas.

Ego verò singulatim cur non existimem tuos de me triumphos ad tuũ opprobrium meúmque honorem pertinere? Rogas quò me vertã: deinde, quasi victor thrasonicè insultans me ad apostasiã hortaris. Vtrumque sanè, vt te Iesuitam prodas. Mihi quidẽ Verbum Dei pro tutissimo perfugio est, hæc meæ vitæ ad omnem euentum certa est sedes, vt in Ecclesiæ sinu viuam. Ago autẽ immortales gratias Deo meo, quòd ab ineũte ætate me pura nominis sui & meæ salutis cognitione imbuerit, me ad prædicandum Euangelium suũ elegerit, me denique ad hoc pro veritate sua certamen vocauerit: in quo vt non dubito victricem in mea infirmitate suam gratiã futuram, ita in ea doctrina in qua à teneris annis educatus fui, fidẽ constantiámque ipsum mihi ad vltimum vsque spiritum

spiritum ipro sua misericordia largiturum.

Hayus vera religionis apostata, in qua eruditus in Scotia, eam Iesuita euomuit & persequitur.

Tu autem, Iesuita, qui Dei patientia nunc abutens te nimium securè palpas, vide etiam atque etiam ne dum sciens volens cognitæ veritati aduersaris, thesaurizes tibi ipsi iram in die iræ, illiúsque tuæ thrasonicæ audaciæ, blasphemiæ, impœnitentiæ, procacis in Deum & ipsius veritatem virulentiæ pœnas tandem aliquando grauissimas feras. Verùm de his hactenus.

Summa huius responsionis.

Redeo ad rem. In summa, dico te non disputare, sed tergiuersari: ac proinde ad septem tuarum paginarum mysteria hanc vnam esse responsionẽ, *Hayus à re ipsa Sophisticè aberrat, neque de re neque ad rem dicit quicquam.* Dederamus enim ei Petrũ fuisse Romæ vt nihil esset opus in re initio cõcessa ipsum tot verba nequicquam effundere. Debebat ad hanc meam cõsequutionem respondere, Etiamsi Petrus Romanæ Ecclesiæ fuerit Episcopus non inde tamen consequi, Romanæ Ecclesiæ principatum in cæteras Ecclesias deberi.

Licet demus Petrũ fuisse Romæ, non est tamẽ verisimile, neque è Scriptura id colligi vllo modo potest.

Hoc tamen addam obiter & quidẽ breuissimè, ne tuo more, Hay, cramben millies recoctam tibi ingeram, E Verbo Dei probari non posse Petrum fuisse Romæ, nedum Romanæ Ecclesiæ Episcopũ fuisse. quod hauddubiè Verbum Dei minimè tacuisset, si illud fuisset Ecclesiæ firmamentum, quale est principatus ille quem sine Verbo Dei imaginaris. Quod si Babylonis nomine apud Petrum Romam intelligis, quid aliud efficis quàm quod hac disputatione molior, *Vestrã Romam esse Babylonem?* A te quoque extorsit Veritas, *Romã non esse Romam.* hæc enim noua vestra Roma, tanto discrimine à vetere Roma interest, quanto meretrix à casta matrona, mendaciũ à veritate, Belial à Christo. Romã nũc Romæ hauddubiè quærimus, Babylonicã meretricem, errorũ & abominationum matrẽ Romæ cõperimus: nõ Simonis Petri,

sed Simonis Magi sedem Romæ videmus. Tuum certè erat, Iesuita, non congestis temerè Patrum testimoniis, sed è luculentis Scripturæ testimoniis tanti rem momenti probare: quandoquidem assertionis vestræ negatio non leuibus argumentis innititur, quæ tantùm indicabo.

Primum est & ὁμολογούμενον, tãtæ rei in tota Scriptura merum silentium. Petrum Hierosolymis & Antiochiæ docuisse disertè testatur: Romæ fuisse, nequaquam. Si illud est (vt dixi) Ecclesiæ firmamentum, cur id Scriptura tacuisset?

Secundum, temporum accurata supputatio: si enim verum est, Petrum annos xx. Hierosolymis, Antiochiæ vii. ad minimum (Eusebius enim xxv. tradit) tum xxv. Romæ docuisse: & & xxxvii. tamen à Christi passione anno Romæ fuisse mortuum, sicuti affirmatis: quî fieri potest vt annorum calculus respondeat?

Tertium, à grauissimis coniecturis. Si enim Romanæ Ecclesiæ fundamẽta Petrum iecisse verum est, sicuti affirmat Hayus, cur Paulus tam illustris viri memoriam non subiecit Romanis, ad ipsorum fidem corroborandam? Si quum Paulus ad Romanos scribebat, Petrus erat Romæ, cur in tanta amicorum quos studiosè salutat turba, Petrum non salutat? Paulum Romam fuisse profectum Lucas refert, Petri acta ipsiúsque carcerem disertè commemorat: cur de Petro tacuisset, si & Romæ cũ Paulo fuisset totos duos annos, & cum eo fuisset mortuus?

Quartum, quia longè verisimilius est, Petrum non fuisse Romæ quàm fuisse. Petri enim ministerium Iudæis erat destinatum, quorum pars maxima erat in Oriente, quemadmodum ex ipsius epistolis apparet quæ Iudæis credẽtibus propriè sunt destinatæ. Quî igitur nõ fuerit verisimilius *Babylonis* nomine celebrem illam Assyriæ vrbem significari in qua erat maximus Iudæorum numerus ex dissipatione?

Quænã sit Babylon apud Petrum.

Itaque vt huic peregrino sermoni finem faciã, Ex Actis Apostolicis, aut ex aliis Scripturæ locis proba Petrum vixisse Romæ: aut si in alias terrarum oras excurrerit, proba illum propriè sedisse Romæ, aut vt Episcopum aut vt Apostolũ. Quod quum è Scriptura probare nequeas, hoc saltem quis non videt, qualiscunque tandem adsit vniuersæ Antiquitatis hac de re consensus, non veris quidem sed verisimilibus argumentis niti hanc demonstrationem? quæ tamen ex veris, propriis, immediatis ipsiúsque conclusionis causis (qualia τεκμήρια è Scriptura petuntur) confici debebat: quemadmodum agnoscit magnus ille Caietanus vester.

Caiet. in tractatu de cõparatione autoritatis Papæ & Concil. cap. 1.

HAYVS.

Atque hæc de tribus dubitationum tuarum capitibus paucis dicta sint. Quartum etiam caput prudenter omisisti. nam quamuis tria priora concesseris, nemo est nostrûm qui inde concludat. &c. à pag. 35. vsque ad 37.

SERRANVS.

Quartum caput non omisi, sed illud obiter vt cætera, indicaui. Cur verò pergis tergiuersari? Quasi verò non sit cuilibet perspicuum me ad vestram ratiocinationem respondisse, & eo quidem quem legitimæ disputandi leges efflagitãt, modo. quum enim ἐπιχειρηματικῶς hæc de imaginario illo vestro Romanæ Ecclesiæ Catholicatu quæstio tractetur, ad tollendam videlicet ambiguæ vocis

Series nostræ disputationis Hayani argumẽti apoplexiã predens.

ἐμωνυμίαν: mihi debuit esse satis rem ipsam breuiter ostendere. Argumenti quidem vestri μέσον est, Petrus fuit princeps Ecclesiæ Catholicæ. Vt autē id Romanæ Ecclesiæ tribueretur, assumendum erat, Romanum Pontificem sedere in Petri cathedra ac proinde ius Petri, successionis illius vi, ad Romanam Ecclesiam pertinere. Id autem ex eo esse, quòd Petrus fuerit Romanæ Ecclesiæ Episcopus vt primaria complexio de vestra sententia conficiatur, Ergo Pontifex Romanus est princeps Ecclesiæ Catholicæ: & ex vi consequentis, Romana Ecclesia in omnes Christianos principatum habet. Hæc est vniuersæ ratiocinationis vestræ ἐποικοδομίαν: quam vt nemo non videt, ita Hayanæ Logices lethargiam aut apoplexiam potius non indignabitur, quæ non modò peccat in materia & forma, sed à veritate victa non definit impudenter obstrepere. Quid de Petri iure statuendum esset, ex ipso Petro satis docueram, vt non esset opus tuum illud, *Tu es Petrus*: &, *Pasce oues meas*, alieno loco & modo ingerere. Tuam tamen confusionem vt à veritate exortam excipio, Te omnem videlicet scribendi ordinem, vt ais, peruertere: sed te culpam tuam in me nulla causa deriuare, ex rebus ipsis perspicuum est, ne in te importunè refutando eiusdem nugacitatis culpam tecum subeam.

Nouæ Hayi digressiones.

Quum verò nihil habeas quod opponas veritati, redis ad tuam ἀποπλάνησιν. De Dominatu illo tuo omnibus Christianis verè odioso iam sæpe dixi. Catholicæ-Romanæ appellationem, profanam & impiam, lupo non pastore dignam esse demonstraui. Quòd autem *Primò* & *Perse* dixi, eloquentiæ meæ, vt ais, flosculos idcircóne decerpis atque deteris, vt latinatori id est Ciceroniano simiæ, ea sordere ostendas quæ præceptoribus tuis

Hayus Logices terminos deridet.

ribus tuis vnicè placuerunt? Sic nimirum vt tesseris ipse te παιδείας τρόπον non modò ignorare, sed negligere, dum nobilissimæ artis terminos vrbanus homo derides. Ego verò, vtvt teretes tuæ aures offendantur, non desinam vsitatas in scholis docendi formulas adhibere: imò quum opus fuerit, Perseitatē, Quidditatem, Homineitatem, Socrateitatem, cæteráque illa tuorum præceptorum abstracta tibi delicatulo Iesuitæ opponam.

Porrò, firmissimum argumentum meum reique ipsius primariæ necessarium πάθος, perridiculè conuitium appellas: siquidem conuitium tibi est, quòd veritas tuo opprobrio illustratur. Demus enim veterem illam Romam dum fidelis esset & casta Christi mātrona, aliquid iuris in cæteras Ecclesias habuisse, non tamen consequeretur, postquam è fideli facta esset meretrix, idem ius posse aut debere retinere: & quidem in eo casu quem vos ponitis, quum non doctrinæ sed personarum successionem in Ecclesia collocetis.

Etiāsi ius aliquod in Ecclesias habuisset olim Ecclesia Romana, nunc tamen illud amisit.

Grauissimis querelis omnia Gregorii scripta vbique referta esse de tēporum suorū corruptelis nemo nescit, qui vel Gregoriū obiter legit: vt sit profectò tuæ. i. Sophisticæ tergiuersationis, ré per se confessam probari velle. Visne vt Gregorii libros in meum deriuem? At quid de vestro principatu siue Vniuersalis Episcopi imperio senserit, posteà dicemus. Non caruit tamē maximis nævis in doctrina Gregorius: cuius tamen tempus cùm Bernardi tēpore minimè confundo, sed variorum temporum indicatione summæ corruptionis in Ecclesiam prolabentis & prolapsæ initia & incrementa volui significare. Gregorii enim tempore puræ doctrinæ facta est magna inclinatio, Mauritio Imp. ad annū 600. At Bernardi ætate (qui Fremnib⁹ omniū errorū corruptionúmq; generibus

Ecclesiæ status Gregorii & Bernardi temporibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita obsessa fuit vt fœdum carcinoma in ea vagaretur. *Væ* (inquit Bernardus) *generationi huic à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis: si tamen hypocrisis dici debet, quod iam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius, eò desperatius: eóque periculosius, quò interiùs. Mimstri Christi sunt & seruiunt Antichristo. Ipse enim est Antichristus qui se non solum diem sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id quod dicitur aut colitur Deus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Et alibi, *Omnes Christiana quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiere. &c. Supereſt vt reueletur homo peccati, filius perditionis dæmonium non modò diurnum, sed & meridianum. quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed extollitur super omne quod dicitur Deus. &c.*

In Canti. Serm. 33.

Illustres Bernardi loci de Ecclesiæ sui tẽporis corruptione.

Papa significatur.

De Pontificis Romani principatu Bernardi iudicium

Verùm quid ego infinitas alias commemorem sancti Patris querelas, quibus seculi sui corruptionem detestatus est: & licet illius morem vel, vt ipse loquitur, mortem sequutus, de Pontificis Romani dignitate honorificentiùs aliquando loquatur, quid tamen de illo senserit variis in locis exponit. Papam cum Paulo comparans, *Nunquid ad eum, ait, de toto orbe confluebant ambitiosi, auari, simoniaci, sacrilegi, concubinarij, incestuosi, & quæque huiusmodi monstra hominum, vt ipsius apostolica autoritate vel obtinerent honores Ecclesiastícos vel retinerent. &, Quotidie perstrepũt in palatio leges, sed Iustiniani, nõ Domini. Iustène etiam istud? Tu víderis. Nam certè lex Domini immaculata conuertens animas. Hæ autem non tam leges quàm lites sunt & cauillationes, subuertentes iudicium. Tu ergo pastor & episcopus animarum, qua mente obsecro*

Ad Eugenium de consid. li. 1. &c.

Bernardi querela de Verbi Dei in aula Romana silentio.

obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrire istas? &c. De vestro autem illo siue dominatu siue principatu loquens: *Nunquid aliud dixit sanctus Apostolus, Quod habeo, inquit, hoc do tibi. Quid illud? Vnum scio, non est aurum neque argentum,* &c. *Esto vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit, potuit. Nunquid dominationem. Audi ipsum, Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putares, non etiam veritate, vox est Domini in Euangelio, Reges gentium dominantur eorum: & infert, Vos autem non sic. Planum est Apostolis interdici dominatum. Ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. alioquin non te exemptum illorũ numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnauerunt & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos. &c.* Et alibi, *Pastorem te populo huic aut nega aut exhibe. Non negabis: ne cuius sedem tenes, te neges heredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, non rectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit posse impleri salutare mandatum, Si amas me, pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. &c.*

Petri & Papæ cõparatio Bernardi verbis luculenter descripta.

Sed quid plura cõmemorem? Bernardum certè neque omnia quæ de Pontificio illo principatu sentiret, dixisse, è variis excusationibus suis appareret, vt ab ipso timido ad ipsum fortem sit prouocandum: quanquam infinita intemperies, & vt ipse loquitur, intestinus & insanabilis morbus iam inuaserat Ecclesiam, & ipse seculi sui labem aliquam contraxerat. At pia anima inter tot corruptelas ingemiscebat: cui ego fidem adhibens,

In Canti. Serm. 77.

In Canti. Serm. 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hay, Papam appellabo Antichristum & dæmonium: Ecclesiam Romanam Babylonem.

Ecclesiæ Romanæ corruptio & in doctrina & in moribus.

Ecquos igitur Ecclesiæ Romanæ nævos intelligam rogas? Vniversam doctrinæ salutaris corruptionem, qualê Antichristus Christi nomen prætexens in Ecclesiam potuit importare, vt inter Ecclesiæ rudera vix ipsum fundamentum conseruetur. Scelerum autem omniúmque abominationum quantũ exundet diluuium, quis possit aliter explicare quàm si dicat Romã esse Romam, id est omnium malorum sentinam & cloacam? ne Petrarchæ penicillum in re tam turpi repræsentanda adhibeam.

Ab Hayo citatus Caluinus, seipsum tuetur aduersus Hayum. Hominũ mores.

Qua igitur fronte, Iesuita, nostrorum hominum mores inuidiosè & procaciter traducis, nisi vt à reipsa nouum effugium inuestiges? Morũ intemperies in Ecclesia nimis exundasse, testis est sacra historia, testes sunt Mosis & Prophetarũ frequentissimæ & acerbissimæ querelæ ex animis peccatorũ odio planè exacerbatis proficiscentes. Erat tamẽ Ecclesia Dei, Abrahami progenies: & in his sanctorum virorum increpationibus doctrinæ puritas à personarum corruptelis distinguenda est. Hominum nostrorum vitia Caluinus eodem Dei Spiritu detestatus est: ex quibus tamen verbis Hayus apostata, Ecclesiæ è qua transfugit, inuidiã conflare flagitiorũ turpitudinem non posset expressiùs repræsentare, Ecclesiarum nostrarum vomicas Papatus omnem colluuiem superare τῶν ἑλκῶν dixit. Sed ne Caluinum Caluino Iesuitico Hayus opponat, ipse Caluinus sui ipsius interpres erit. *Et certè*, inquit, *Papatũ nihil aliud esse quàm monstrum ex innumeris Satanæ fallaciis conflatũ: & quam obtendunt Ecclesiam, Babylone magis confusam, vnus hic commentarius erit (vt spero) luculentus testis. Interea, quod res habet, ingenuè fatebor: nos de illius lacunæ sordibus, quarum se contagio nimis late diffun-*

In epist. ad Ital. Comment. in Ioannem.

diffundit, nõ satis procul distare. Queritur Antichristus nos sibi elapsos esse: nos autem gemere cogimur, nimis multa ex vitiis quibus orbem terrarũ infecit, apud nos esse residua. Nobis restituta est syncera doctrinæ puritas, integra religio, simplex Dei cultus, genuina Sacramentorũ ratio qualis à Christo tradita est. Verum quominus vigeat ea quæ debebat morũ vitæque correctio, hæc maximè causa est, quòd bona pars effrænis licẽtiæ memor qua Papistæ contra Deũ lasciuiunt, Christi iugo assuescere non potest. Itaque quòd hostes nostri (vt falsa nos inuidia apud imperitos grauent) odiosè clamitant solutã à nobis esse disciplinam, hoc vno abundè vel nobis tacentibus refellitur eorum calumnia, quòd nullum domi maius certamen nobis est, quàm de immodico (vt multis quidem videtur) nostro rigore.

Papatus reliquiæ, corruptorum morum in Ecclesia intẽperies.

Plenã igitur calumniæ tuæ responsionem è verbis Caluini habeto: vt sit Elenchus, *A non causa vt causa.* Vtinã verò omnes has Papatus reliquias longa iam assuetudine nimiũ inoletas nostri homines penitus eluissent, totúmque Papã ita exuissent vt Christum totum verè induissent. Non tam laboraremus.

Quod subiungis scomma, planè est vernaculum & tuum, id est ridiculum & ineptum dum Apuleiani asini in morem delitias facis. Quis enim nescit, Monache, apud omnes probatos scriptores interrogationem habere vim expressam affirmationis?

Christus autẽ verus Ὀφιόμαχος, vt Colubri illius rufi parẽtis vestri caput cõteret, sic omnia vestra, quantumuis lethifera venena amolietur & dissipabit. Vtinam tui tuorúmque misertus oculos vobis aperiat, conscientiam veritati reluctantem ad obsequium cogat, cor afformet, vt cognitæ veritati obtemperetis.

Summa superioris disputationis.

Omninò, licet è Logicæ tuæ institutis, Hay, tu sine fine & modo obloquens, principium in conclusione ponas vt in principio conclusionem, nihilominus tamen è superiori disputatione probatum esse arbitror, Christianæ Ecclesiæ nomine, Ecclesiam illam vestram Catholicam-Romanam siue Papatum, nec debere neque posse intelligi. Deinde, neque Pontifici Romano neque Ecclesiæ Romanæ principatum siue dominatum, id est summam autoritatem potestatémque quam vos plenitudinem potentię appellatis, vllo modo deberi. Esse enim hoc verum primum, immediatum, necessarium & sempiternum axioma, Vnum esse in Ecclesia Dei summum pastorem Christum: vt alter quidem summus pastor in Ecclesia visibili visibilis, eius vicarius, statui nullo modo possit: quum non magis esse plures vno in Ecclesia ἀρχιποίμενες siue Summi-pastores queant, quàm in Vniuerso Omnipotentes.

Itaque detestandum esse scelus, & certissimam Antichristi blasphemiam, dicere, Pontificem Romanum esse summum pastorem Ecclesiæ Catholicæ, Christi vicarium, vt sine illo Ecclesia neque colligi neque definiri possit: Ecclesiam verò Romanam sic appellare Catholicam vt cæterarum omnium princeps eas sua autoritate tueatur & regat, suóque nomine Catholicas-Romanas denominet, tam absurda nominis notatione quàm rei falsitate: vt Vniuersæ-particularis Chimera imagine monstrosa Antichristi tyrannis repræsentetur, quæ orbem in vrbe includat, partem toto maiorem statuat, duo capita vni corpori, duos Dominos vni Ecclesiæ affingat.

Ex his igitur efficiebatur, Minimè nos agere de Romana Ecclesia siue Papatu, sed de vera Ecclesia Catholica Christi sponsa, eorũ matre quo-

rum Deus est pater: quum de Ecclesiæ autoritate agimus. Quod vt verum esse certis Verbi Dei oraculis docuimus, sic ad eandem veritatem illustrandam, orthodoxæ Ecclesiæ consensum adiunximus. Ecquídnam verò his Patrum testimoniis à me citatis Hayus opposuerit, porrò videamus.

TESTIMONIORVM, QVAE ex Orthodoxis Patribus hactenus protuleram ad superiorem doctrinam illustrandam, DEFENSIO, aduersus Ioannis Hayi calumnias.

HAYVS.

Ex Cypriano tres delibasti aut potius delumbasti sententias, quarum prima est. &c. à pagina 37. vsque ad 38. in illis verbis, *Quòd hoc loco &c.*

SERRANVS.

Thrasoni Hayi audacia in eludenda veritate.

Iesuiticum est axioma, In causa etiam mala quòquo modo audendum esse, vt etiam qui victus est, vicisse videatur. Ita nunc meus Thraso è sui illius axiomatis vi pro more atque instituto maiorum suorum, dum victricem veritatem sentit, omnes neruos suos intendit ad audaciam, quam verborum tricis & ampullis se efferentem veritati opponat. neque enim Romanæ meretricis esset famulus, nisi in eius schola meretriciam impudentiam induisset vt perfrictam frontem Iesuita ostentet.

Affirmas igitur, Hay, me è Cypriano sententias delumbasse. At me id excerpsisse quod ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem maximè pertinet, palam est. Me non disputare. Neque disputandum erat, sed disputationis conclusio eruditæ vetustatis testimonio illustranda, Me nudas autorum sententias describere. Id quoque erat à me præstãdum. quum enim è Verbo Dei confecta fuisset conclusio, ecquid aliud Patrum testimonia efficere debebãt quàm assentiri perspicuæ veritati, vt ex Ecclesiæ ὁμολογίᾳ cõstans & perpetua sempiternæ veritatis ἀναλογίᾳ perspiceretur? non enim vt supremi Iudices ad veritatem constituendam, huc accedunt Patres: sed vt testes iurati, qui certæ exploratæque veritati subscribant. At hæc tua est, Hay, Logica, ἀπεραντολόγον, ἄμετρον, ἀμέθοδον, principii & finis nescia, procax, proterua, imperita, vt in rebus ita in rerum ordine & modo εἰδωλόπιον.

Quorsum & quomodo Patres hîc citantur.

Logica Iesuitica.

Quem igitur ordinem in hac testimoniorum recitatione sequar, cogor ostendere. Hactenus Verbi Dei oraculis confectum erat, Vnicum esse Ecclesiæ ἀρχιποίμενα siue summum Pastorem, Christum: ac proinde falsum esse, Visibilem esse in Ecclesia ἀρχιποίμενα siue visibile Ecclesiæ caput, Pontificem Romanum: &, Romanam, id est particularem Ecclesiam in vniuersalem Ecclesiam principatum obtinere.

Quidnam sit institutũ probare his Patrũ testimoniis.

Idem Antiquitatis orthodoxæ testimonio mihi ostendendum erat. Quum autem duplex sit ratio demonstrandi, veritatis astruendæ vna, mendacii destruendi altera: hîc à me fuit vtraque adhibenda: & quidem in scriptionis institutæ ratione, breuiter & simpliciter: atque ita vt testes omni exceptione maiores adhiberem. Cyprianum Romanæ Ecclesiæ in illa quidem aurea ætate magnis Dei donis illustris, summum fuisse admiratorem, nouit in illius scriptis vel mediocriter versatus. Hieronymus fuit Romanæ Ecclesiæ presbyter: Gregorius magnus, Episcopus. Hos ergo testes in hac causa adhibui, è quibus Cyprianus primum illud antiquæ & verè primigeniæ Veritatis axioma luculenter docet, Vnicum esse Christum Ecclesiæ suę caput & summum Pastorem: vnicámque ex illo Ecclesiæ vnius Cathedram, id est ministerium quod Verbo Dei & disciplina continetur.

Delecti testes è tota antiquitate aptiores, omnique exceptione maiores.

Peculiaris autem sermonis circumstantia expendenda est. Sæuiente persecutione quum iis qui religionem Christianam quòquo modo abnegassent, pœnæ ex disciplina Ecclesiastica statuerentur, quinque Presbyteri Carthaginensis Ecclesiæ Nouatiani erroris contagione correpti, ab Ecclesia desciuerant Cypriano infensiores. Cyprianus, Schismaticorum illorum audaciam accusat de Ecclesiæ disciplina turbata, quam nefas ait esse à quôquam violari, quum illa habeat Christum autorem & vindicem. *Cathedram* igitur vocat ministerium Ecclesiæ certo Dei mandato innixum. *Altare & sacerdotium* adiungit, quibus verbis significat summam Euãgelii, quod ad Christi mortem eiúsque efficaciam Christianos reuocat, vt in eo omnes colligantur, sicuti ipse alibi ait. Hoc altare & sacerdotium Christi nos amplectimur, & tam augusta sunt nobis & sacrosancta illa vocabula quàm vestra altaria Belial sunt nobis execranda.

Primi loci sententia.

Cathedra & Altare quidnam Cypriano

Cypriani doctrina nostræ cõsentiens, Hayanæ de Rom. Ecclesiæ principatu ex diametro repugnans.

Quidnam verò in his Cypriani verbis reperierim quod cum Thesibus tuis pugnet, & Romanæ Ecclesiæ principatum euertat, rogas? Certè, qui veritatem ponit, mendacium tollit. Vnam Christi in vna Ecclesia Cathedram ponit Cyprianus: Alteram à Romano Pontifice fabricatam.

Universidad de Deusto Biblioteca

Lib. 1. epist. 8. Cathedram eo ipso tollit: adulterum, impium, sacrilegum vocat quodcunque humano furore instituitur, vt hæc disposítio diuina violetur, id est vt Christus legitimo honore spolietur, & creaturis tribuatur quod vni ipsi debetur: ac proinde doctrinam vestram de Romanæ Ecclesiæ principatu vt adulteram, impiam & sacrilegam detestatur, & imaginarium illum principatum funditus euertit.

Secúndi loci vera explicatio. Secundus locus, disertè astruit vnum vnius Christi summi Pastoris Episcopatum, à quo omnium Pastorum in Ecclesiis singulis Episcopatus pendeant, vt vnum ἀρχιποίμενα agnoscentes regant sibi commissos greges æquo iure & officio: quippe qui peræquè omnes sint Pastores Ecclesiæ, & licet per vniuersum terrarum orbem variè sint distributi, ab vno tamen Christo sunt omnes, vni Ecclesiæ seruiant. Vnum igitur Ecclesiæ caput, vnum Episcopatum Cyprianus luculenter his verbis docet: atque adeò doctrinæ supra à me explicatæ tam perspicuè astipulatur, vt sola loci indicatio abundè esse possit ad conclusionis meæ ἐπεξεργασίαν, quum ipse Cyprianus hac de re apertè concionetur.

Libro de vnitate Ecclesiæ.

Tertii loci germana sententia. Tertius locus manifestè definit Ecclesiam Catholicam, per vniuersum quidem orbem diffusam, omnésque sua amplitudine Ecclesias particulares complectentem, at vnitate indiuidua singulas continentem. Vnam igitur Ecclesiam Catholicam non Vrbis vnius mœnibus conclusam, sed per Orbis terrarum spatia longè latéque extensam, omnésque Dei filios colligátem his verbis Cyprianus repræsentat. Sic illo teste omnes conclusionis meæ partes fuerunt comprobatæ, vt me etiam tacente Cyprianus loquatur.

Ibidem.

Quid hic Hayus? Quasi esset obscurũ quid ego hac de

hac de re hactenus docuissem, & quorsum hæc Cypriani testimonia commemorassem, insultat Thraso, & me homunculo despecto Caluinum præceptorem meum adoritur, Caluinum nugari clamat, & non meam (quum Theologiam primis digitis non attigerim) sed Caluini stupiditatem miratur. Equidem Matæologiæ tuæ venenum semper sum auersatus, Iesuita: in sacra autem Theologia licet perexiguum sit quicquid didicerim, huiusmodi tamen est, summo Dei beneficio, vt ad meam quidem salutem sit satis, iis quoque docendis quos meæ fidei Deus commisit, non malè per ipsius gratiam ad hunc vsque diem successerit: quum verò me ad veritatis suæ defensionem aduersus tuos latratus vocauerit, spero satis futurum ad tuas præstigias refellendas, téque insignem tenebrionem demonstrandum, qui in vanissimo mẽdacio tuendo nihil habeas præter cæcam & immanem impudentiam. ἀμαθία δὲ θράσος ἐφέρει. Caluini autem nugas & stupiditatem iuuat me impensè imitari. Verùm ad rem.

Hayi summa impudentia in germana horum lorũ sententia deprauanda.

Caluinus, & egò Caluinum sequens, affirmamus Cyprianum vni Christo vnum Episcopatum tribuere, Christum Ecclesiæ suæ vnum caput appellare. Id pernegat Hayus, & *Vnius Capitis* appellatione, Pontificem Romanum clamat intelligi. Ego illum sophisticè agere affirmo, variisque errorum generibus illudere veritati.

Status cõtrouersiæ in loci huius explicatione.

Primus error est, Ignoratio Elenchi. nam in toto illo de Ecclesiæ vnitate libro Cyprianus ne verbum quidem facit de Ecclesia Romana. Qua igitur fronte de illius principatu hæc interpretaris: quum id etiam quod de Ecclesia Catholica ibi ait Cyprianus, Romanæ Ecclesiæ conuenire nullo modo possit? Ecclesiam vnam esse ait per totum orbem radios suos porrigentem, cuius

Hayanæ interpretationis varii errores.

vnum sit caput & origo vna. Illáne vna Ecclesia per vniuersum terrarum orbem exporrecta, erit tibi Ecclesia Romana: & tu supplicio non esses dignus, si hæc omnibus cognita impudenter negares?

Secundus error est, Falsitas siue Falsi notatio. Cypriani enim verba deprauasti. Locum ipsum in Cypriano ipso Lector exploret, & comperiet hæc verba, *Primatus Petri, & Petri Cathedra*, ab Hayo fuisse interpolata, quum apud Cyprianum minimè extent. Excipiet Hayus, Iesuiticæ Logices esse præceptum, Vt quocunque tandem modo causæ seruiatur. Fateor esse schema siue tropum Iesuiticum, Impostura & impudentiam: sed nos in Ecclesia Dei mendacium detestamur, omnésque illas vincendi vias Iesuitis familiares, appellamus errores. Falsum igitur quòd Hayus dixerit, peto à Lectore vt non ex Iesuiticis priuilegiis, sed ex veritatis legibus iudicetur, quòd sacri scriptoris verba deprauarit, ea adiungendo quæ ad causæ suæ patrocinium pertinerent.

In tract. de vnitate Eccle siæ.

Tertius error est, περὶ διάνοιαν. Id enim affirmat quod Cypriani sententiæ è diametro repugnat, omnibus iis testibus futuris qui locũ ipsum animaduerterint. Nouatus Afer in Africanis Ecclesiis mouerat grauissimam controuersiã quæ in alias Ecclesias latiùs emanauit, & schisma fecit: nouos Episcopos in Ecclesiis constituit, cœtúsque alios ab aliis haberi, & nouum seueriorisdisciplinæ genus in particularibus illis cœtibus obseruari curauit. Dissidii causam Nouatus prætexebat, quòd dissoluta esset Ecclesiæ disciplina, quum lapsi facta tantùm exomologesi ad Ecclesiæ pacem faciliùs quàm postularet ratio, reciperentur. Christianum quoque nomen cum factione sua retinebat, & vt magis falleret, sanctioré quã-

Ibidem.

Cypriani consilium & sententia, in hoc loco.

dã exquisitiorémque viuendi ratione se amplecti profitebatur. vnde Catharorum nomen sectæ inditũ. Idcirco periculosiores obrepentis boni specie hostis artes Cyprianus esse cõqueritur, quum veritatis nomine veritas oppugnaretur, & sub Christi vocabulo Antichristus in Ecclesiam induceretur. Schismatis autem verã causam esse ait, quòd ad veritatis originem nõ rediretur, nec caput quæreretur, nec Magistri cœlestis doctrina seruaretur. Argumentatur enim à disciplina ad doctrinã, docérque fieri nullo modo posse vt Ecclesiæ doctrina seruetur ab eo, qui Ecclesiæ disciplinam violauerit, quum vna eadémque sit vnius Ecclesiæ & doctrina & disciplina. Vnitatẽ enim Ecclesiæ doctrina & disciplina definit. Vnitatem autem Ecclesiæ qui reliquerit, quomodo possit & in Ecclesia esse & de Ecclesia? Hoc est quod ait Cyprianus *caput non quæri, Magistri cœlestis doctrinam non seruari*: vt primariam complexionem colligat, Nouatianos non retinere doctrinã Ecclesię, quum eius disciplinã concordiámq; violarint.

Doctrinæ & disciplinæ in Ecclesia coniunctio necessaria.

Ecclesiæ autem vnitatem ex eo docet Cyprianus quòd sicuti vnus est Deus, vnus Christus, vna Ecclesia: sic vna in Ecclesia veritas, fides, disciplina est, vnus Episcopatus, cuius in solidum à singulis pars teneatur. Id autem docet illustri exemplo à Petri persona petito. Petrum enim singulatim alloquutus est Christus, illam Ecclesiæ suæ disciplinam constituens vt eam vnitate cõtineri intelligeremus: ac proinde ne pro arbitratu cuiquam licere arbitraremur nouã doctrinę siue disciplinæ formã cõminisci, sed intelligamus omnes Christianos in vnius Ecclesiæ sinu, vnius doctrinæ institutis & præceptis, vnius eiusdémq; disciplinę obsequio debere cõtineri. Hæc est germana horum verborũ sententia, *Vt vnitatẽ manifestaret*

Ecclesiæ vnitas in Petri persona quomodo repræsentata.

Ecclesiæ vnitas quæ sit.

vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua autoritate dispossuit. Certè, si Ecclesia est sanctorum communio, vt est, vnitate omnino continetur: quum omnium credentium vnus sit Deus, vnus redemptor, vna fides, vna spes, vna hereditas, commune certamen, communis victoria, commune verbum, commune ministerium quo ad communium bonorum cognitionem possessionémque immittantur. Qui igitur ab Ecclesiæ communione descisunt & schisma faciunt, communium bonorum ius amittunt: Christiani esse non possunt, & à matrice diuulsi seorsim viuere & spirare, salutísque substantiam retinere nullo modo possunt. Hoc Cypriani concilium esse in libro de vnitate Ecclesiæ, cuilibet poterit constare ex libri lectione. Quid igitur vel tantillum quidem ex hoc loco elici à quoquam sano potest, quod ad imaginarium Romanæ Ecclesiæ principatum pertinere possit?

Nam quod de vnitate in vno Petro demonstrata dixerat Cyprianus, ne quisquam existimaret personale esse beneficium quoddam quod vni Petro singulatim conueniret, addit vtilem & perspicuam exceptionem vt nullus tergiuersationi locus relinquatur, *Idem & cæteros fuisse Apostolos quod fuit Petrus, pari consortio præditos & honoris & potestatis:* ὁμοτίμους, ὁμοκλήρους, ὁμοδυνάμους, quemadmodum alicubi ait Chrysostomus. Quid potuit simpliciùs illustriúsque dici? Nouam tamen meus Hayus adiungit interpretationem, *Id intelligendum esse ante institutum à Domino Ecclesiæ principatum.* Quid ais? Diserta Cypriani verba non animaduertis? Postquam enim Christi institutionem de clauibus regni cœlorum Ecclesiæ in Petri persona tributis commemorauit, addit, *Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem tribuit*

Apostoli & omnes Ecclesiæ pastores in eodem munere pares.

tribuit potestatem. Vbinam illa est temporis distinctio? Quasi verò antequàm Christus Petrum his verbis alloqueretur, vel Petrus non esset Apostolus, vel aliud quidpiam quàm cæteris Apostolis ei fuerit à Christo demandatum. Nónne enim hæc est clauium potestas, *Si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur?* Ita enim alibi apud Cyprianum illa vnitas Ecclesiæ quæ ex Petri persona probatur, ex omnium quoque Apostolorum personis æstimatur, his verbis: *Potestas ergo remittendorum peccatorum Apostolis data est, & Ecclesiis quas illi à Christo missi constituerunt, & episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt.* Epist. 1. Et quoniam Stephanus Romanæ Ecclesiæ Episcopus illis etiam temporibus quum de Romanæ Ecclesiæ principatu nemo vel per insomnium cogitauerat, aliquid sibi arrogare videbatur opponunt se ei Africanarum Ecclesiarum Episcopi, & negant eum de Episcopatus sui loco posse gloriari, quum successionem Petri obtendo, multas petras indicaret, & Ecclesiarum multarum noua ædificia constitueret. Cyprianus verò de hoc Petri priuilegio loquens, *Nec Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, quum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vendicauit aliquid sibi insolenter aut arroganter assumpsit, vt diceret se PRIMATVM TENERE, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere &c.* Quinto fratri. epist. 71. Hæc sunt ipsa Cypriani verba, ex quibus non Caluinum aut Serranum, sed Hayum Iesuitam in hac loci interpretatione nugari, omnibus est palam.

Quòd de Romanæ Ecclesiæ nouique illius quē ei affingit principatus elogiis, adiungit Hayus, eiusdem est cæcitatis atque dementiæ. Absurdis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

simum Hayo videtur, Romanam Ecclesiam in ordinem redigi. Et rectè. quum enim Cypriani tempore sese intra ordinis officiique sui cancellos contineret, cur in ordinē fuisset redacta? Hoc verò tēpore quum excusso Christi iugo omnis iam ordinis planè impatiens ad insanā effrænémque rebellionem tota obduruerit, cur in re inutili labor impenderetur?

Romanæ Ecclesiæ qualis olim dignitas.

Romanam quidem Ecclesiam (quemadmodum diximus alibi) in maximo olim pretio fuisse verū est, sed eo modo quem Cyprianus notat, vt *dum Apostolus eius fidem prædicat, parentes laudans, filios ad eandem fidei integritatem prouocet.* Neque verò alia lege has laudes sibi constare veteris Romæ alumni voluerunt, quorum hoc extat aduersus degeneres successores testimouium. *Nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo, Quia fides vestra prædicatur in toto mundo, nisi iam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum & gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est.* Antiquissimā igitur Ecclesiā in Ecclesiarū censu, vt in Imperii sede constitutā, Patres primam esse voluerunt: & sic Matricem & Radicē Ecclesiæ Catholicæ per vniuersum orbem diffusæ vocat beatus Martyr.

Ad Cornelii de Confessione epist. 6.

Epist. 15. Presbyterorum & Diaconorū Rom. Eccles.

Sic illius cum cæteris communicationem maximè commendauit. Peculiaris verò loci circumstantia expendenda est. Nouatianum virus latè vagabatur & vt Africanas Ecclesias, sic Romanā grauissimè exercebat: in qua pestiferi schismatis anteſignanus, Episcopi etiam titulo grassabatur. Ita commune certamen Africanas Ecclesias cum Romana firmiùs copulabat. Hæc causa erat cur Romanæ Ecclesiæ communicationē tam solicitè vrgeret Cyprianus: cuius & apud Eusebiū extat epistola ad Ecclesiam Antiochenam, ad quā Nouatiani erroris contagio serpserat per Fabium Episcopum, quem idem scribit ὑποκατακλίνασθαι πρὸς χρόαν. Catholicæ igitur Ecclesię communio vndique aduocanda erat. Accedebat eò peculiaris ratio Cornelii Romanæ Ecclesiæ veri Episcopi, cui quòd Nouatianus eiusdem Episcopatus specie opponeretur, asserenda erat omnibus modis atque vendicāda ipsius ordinatio aduersus schismaticorum sceleratam audaciā, qui illius famam siniſtris rumoribus commaculare moliebantur, quasi esset Episcopatu indignus nec verus Episcopus. Idcirco in ea ad Antonianum epistola vt totam illam schismatis tragœdiam à Nouato & sociis motam commemorat, ita quantis potest rationibus Cornelii ordinationem .i. ipsius in Ecclesiæ Romanæ Episcopatum tuetur atque commendat, omnésque in eo eligendo legitimæ vocationis circumstantias sanctè obseruatas fuisse docet: nimirum Cornelium factum fuisse Episcopum de Dei & Christi iudicio, de clericorum testimonio, de plebis suffragio, cæterorum Episcoporum consensione: atque adeò irritam esse Nouatiani ordinationem, quæ contra leges disciplinæ Ecclesiæ sit facta, schismatico ad sacrum ministerium à paucis factiosis ascito. Itaque ait solum debere esse in Romana Ecclesia Episcopum Cornelium, & nullum esse Nouatianum schismaticum, licet Episcopi nomen & munus sibi vendicaret. Præterea, quum varia mendacia aduersus Cornelii Episcopatum passim traducerētur, Cyprianus omnem vt debuit, dat operā, vt & qui ex Africa Romā nauigarent de Cornelio honorificè sentirēt, & quum Romam peruenissent, cū ipsius Ecclesia sese coniungerent, Nouatiani Pseudoepiscopi conuenticula auersarentur. Deinde, in eo diligenter elaborabat, vt reducendis à Nouatianorū errore palabundis Cornelii quoque Episcopatui debitus honor tribueretur. quod à se diligēter factū cōmemorat Maximo, Vrbano, Sidonio,

Romanæ Ecclesiæ cum Africanis necessaria olim communicatio.

Euseb. l. 6. cap. 44.

Epist. 52. Cypriani ad Antō.

Cornel. de Hæret. epi. 18 & Stephano, epist. 42.

Cornel. epist. 21. & 22. & 65.

De conuersis ad Ecclesiā, epist. 40.

& plerisque fratribus qui se eis adiunxerat ad fidem reuocatis, quorum confessionem commemorat, & de ea Cornelium facit certiorem, quem fratrem & collegam, non principem aut Vniuersalem episcopum, vbique vocat.

Diserta superioris loci interpretatio Romanæ Ecclesiæ principatui nullo modo faciens.

Hanc veram esse & genuinam locorum illorum sententiam ex eorum lectione quilibet perspiciet, vecordisque Iesuitæ impudentiam animaduertet, qui in re perspicua audeat tanquam victoria parta triumphare. Romanam Ecclesiam *Petri Cathedram* Cyprianus vocat, quòd Petrum Romanæ Ecclesiæ fuisse Episcopum de communi antiquitatis sententia arbitretur: qua de re nos supra diximus, *Ecclesiam principalem*, quòd primum (quemadmodum supra exposuimus) in Ecclesiæ ordine locum teneret. *Ex ea vnitatem sacerdotalem exortam esse*, quòd in Petri, quem Romanæ Ecclesiæ fuisse Episcopum existimauit, persona disciplinæ Ecclesiasticæ vnitas fuerit repræsentata, sicuti modò exponebam. At quis inde colligat Romanum Pontificem omnium Episcoporum principem à Cypriano agnosci & appellari? Denique, Cornelium Romanæ Ecclesiæ Episcopum, sanctum Christi martyrem, de nouo hoc Ecclesiæ Romanæ principatu, quē vos illius assentatores acriter tuemini, nunquam cogitasse (tantum abest vt in aurea illa ætate eum vsurpauerit) cùm varia ipsius certamina pro Christo obita (sicuti à Cypriano luculenter describuntur) tum ipsius vitæ exitus demonstrarunt. Alioqui non modò iugulum à Decii gladio eripuisset, sed & ipsius Decii collum pedibus suis subiecisset eúmque imperio spoliasset suo.

Epist. 18. ad Cornelium de hæret.

Cornelius Rom. Episcopus à Decio Imp. obtruncatus.

In vltimo loco eandem fidem præstat Hayus. Sacri ministerii dignitatem commendat Cyprianus, qui illius contemptum ait esse omnium hæreseôn &

reseôn & schismatum originem, non loquitur enim de Cornelij persona aut ministerio, sed de ipso Ecclesiastico ministerio vniuersè: & de suo propriè quod non minus quàm Cornelij ministerium impetebatur, sicuti disertis verbis ipse exponit. Sacerdotij autem siue Episcopatus dignitatem autoritatémque iis verbis describit, quibus Paulus eam descripserat, *Nomine Christi legationefungimur: & ; Dei sumus συνεργοι, id est cooperarij. Vice* ergo *Christi iudicem ad tempus* vocat; Dei Sacerdotem, id est omnem legitimè vocatum Pastorem, quòd licet Christus nobiscum sit vsque ad consummationem sæculi, neque præsens ipse legato hactenus indigeat, nihilominus tamen Sacerdotum à se constitutorum ministerio vtitur ad Ecclesiam suam gubernandam. Idcirco vt precariam ita temporariam hanc iudicandi autoritatem Sacerdotibus à Christo tribui Cyprianus docet. *Vnum* autem ad tempus Sacerdotem in Ecclesia esse ait, vnitatem illam doctrinæ & disciplinæ significans, de qua hactenus est locutus. neque enim fas est Christianis quidlibet in Ecclesia pro arbitratu facere, sed in Ecclesiæ ordine sese debent continere, eámque autoritatem sequi quam ad illum ordinem conseruandum atque stabiliendum Dominus in Ecclesia sua constituit. Sunt enim in Ecclesia è Dei instituto ἡγούμενοι siue προεστῶτες, i. præfecti, docéndo nimirũ Dei Verbo regendæq; Ecclesiæ. Sicuti enim neque sine ordine societas vlla regi, ita neque sine custode constare ordo vllo modo potest. Omnium autem societatum præstantissima est, Ecclesia Dei. Hunc ordinem huiúsque ordinis custodes quos Ecclesiæ suæ præficit, præstantissimis honoribus & titulis insignit Deus: hactenus tamen vt ipse autor dominúsque agnoscatur. Itaque hu-

Ministerij Ecclesiastici descriptio è verbis Cypriani.

2. Cor. 5. 20. 1. Cor. 3. 9. Christi index ad tẽpus vice Christi.

Vnus in Ecclesia Sacerdos.

Ecclesiæ ordo, & illius ordinis custodes.

Tituli Ecclesiæ. Pastoribus tributi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

usmodi dicendi genera quibus Ecclesiæ pastores ornat Scriptura, sunt prudenter expendenda:

Exod. 14. 31. *Credidit populus in Deum & in Mosem:* &, *Id si feceris, & reipsum seruabis, & eos qui te audierint.*

1. Tim. 4. 16. Ecquis enim sanus inde colligat, Mosem vel adorandum esse vel inuocandum, quum fidei obiectum vt Deus proponi videatur: aut Timotheum & sui ipsius & auditorum suorum fuisse seruatorem? Hæ igitur formulæ sunt quidem veræ, sed

& Quomodo intelligendi. χ non ἁπλῶς intelligendo, vt nimirum agnoscamus Deum salutis nostræ primam & verè efficientem causam, homines verò è Dei mandato & virtute, efficacia instrumenta, quatenus Deus & in iis & per eos operatur: quum neque is qui

1. Cor. 3. 8. plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui dat incrementum Deus. Hæc enim elogia non vni Mosi aut vni Timotheo competunt, sed omnibus fidis Dei seruis conueniunt, quorum opera & ministerio Deus vtitur ad fidem in animis nostris & ingenerandam & conseruandam.

Germana Cypriani sententia è Scripturæ idiotismo. Scripturæ sermonem imitatus Cyprianus, dixit vnum in Ecclesia ad tempus Sacerdotem, & ad tempus iudicem vice Christi cogitari debere ad hoc vt disciplina Ecclesiastica vti consentaneum est, æstimetur: non esse videlicet humanum commentum, sed Christi ipsius ἀρχιποίμενος auctoritatem per legatos suos Ecclesiam suam gubernantis, oculis nostris obuersari debere, vt ipsius Domini reuerentia in officio contineamur. Pernes igitur Christum residere integrum Episcopatum rectè dixit Cyprianus, & Cyprianum rectè exponens Caluinus, & fidum Christi legatum esse vice Christi: legatum quidem siue iudicem ad tempus, vt de sempiterno Domino & Iudice cogitemus.

Ecclesiastici igitur ministerij dignitatem & scri-

scribit Cyprianus, eámque Nouatianorum schismaticorum furoribus opponit: neque de se propriè aut Romano Episcopo, sed de Ministerio Ecclesiastico vniuersè loquitur. Hanc esse Germanam Cypriani sententiam apparet.

Nostrę igitur disquisitionis summã colligamus. Romanę Ecclesię dũ in ea doctrinæ integritas cõstabat, præstantiam commendat Cyprianus: Africanarum Ecclesiarum cum illa necessitudinem, & in negotio communi arctam seriámque communicationem fuisse docet, fratris & collegæ sui ministerium aduersus profligatorum hominum latratus tuetur, Ecclesiastici ministerij dignitatẽ atque autoritatem è Verbo Dei luculenter describit. Idcircóne cõsequitur, Pontificẽ Romanũ esse Catholicæ Ecclesiæ principẽ & Ecclesiæ Romanæ in cæteras oẽs Ecclesias principatũ debere? Ecquis sobrius hanc Hayi consecutionem probet? Neque enim id Cyprianus vllo modo tribuit Ecclesiæ Romanæ, neque id ei vllo modo potuit aut potest conuenire: vt multiplicibus decipularũm generibus Sophistam ludere ex superioribus sit perspicuum.

Loci huius summa.

Qua igitur fronte meus Hayus stupiditatis & nugacitatis Caluinum accusat, quòd hunc locum Cypriani rectè exposuerit: me verò, quòd ad illustrandam superioris doctrinę veritatem hunc locum apositè citarim? Hac de re iudicent eruditi, & ij maximè eruditi qui Iesuitis adhuc fauent, & nondum explorata nostra doctrina, nobis sunt infensiores. Animaduertant, habito locorum ipsorum examine, qua fide & quo iudicio Iesuitæ Patrum autoritatem Verbo Dei opponant. Hanc ego tuorum & commentorum & conuitiorum ἀντιμισθίαν, Hay, tibi opto vt melior & eruditior euadas.

Sanctę Antiquitatis inuerecũdi corruptores, Iesuitæ.

HAYVS.

A Cypriano ad Hieronymum ſcriptionem tuam (diſputationem dicere non audeo, quum nihil planè diſputes) tranſferre tibi viſum eſt. &c. pag. 41.

SERRANVS.

Tricæ Hayanæ.

Non hîc erat diſputandum, magne Demonſtrator, ſed id quod iam ſuperiori diſputatione concluſum fuit, Antiquitatis teſtimonio erat illuſtrandum. Teſtimonij autem nuda & ſimplex recitatio debuit eſſe ſatis, ne quid nos teſtibus affinxiſſe videremur. Itaque in hac diſputatione, teſtimonij ἐπίκτητος non modò ſuperuacanea, ſed etiam importuna erat. At quum nihil quod aliud haberes, tuo more primordium duxiſti è verborum bellicatione.

HAYVS.

Quid in D. Hieronymi oratione tibi tantopere diſplicuit, vt eam non tantùm decuriatam redderes, ſed & omnem ipſius ordinem immutares? Si D. Hieronymi patrocinio &c. à pag. 41. vſque ad 43.

SERRANVS.

Hayi impudentia in diſerto Hieronymi teſtimonio eludendo. 2. Tom. epiſt. legimus.

Pudet me ſanè tui, Ieſuita, quòd impudenter audeas perſpicuæ veritati oblatrare, & duas paginas nugis infarcire. Id è Hieronymo attuli quod ad rem faciebat. Si tota exſcribatur Epiſtola, vel potius apud Hieronymum ipſa legatur, tibi nullam eſſe frontem conuincet, vel Hieronymus non eſt Hieronymus. In ea Epiſtola ad Euagrium aduer-

aduerſus eos diſputat qui diaconum presbytero æquabant. Docet autem eundem eſſe epiſcopum atque presbyterum. Quòd autem è presbyteris vnus electus & celſiori gradu collocatus, qui cæteris præponatur, & Epiſcopus nominetur, ad ſchiſmatis remedium fuiſſe factum. Opponebatur Hieronymo mos Eccleſiæ Romanæ, in qua ad teſtimonium Diaconi presbyter ordinaretur. Reſpondet Hieronymus, Vnius Vrbis conſuetudinẽ aduerſus vniuerſæ Eccleſiæ leges minimè valere: nec alteram Romanæ Vrbis Eccleſiam, alteram totius orbis exiſtimandam eſſe: imò ſi autoritas quęratur, Orbem maiorem eſſe Vrbe. Ergo è Hieronymi Romanæ Eccleſiæ Presbyteri verbis affirmo, illos in maiorem vecordiam erumpere qui Orbem in Vrbe includunt, id eſt Catholicam Eccleſiam Romanæ Eccleſiæ principatui ſubiiciunt, & eam ipſius nomine definiunt, vt non eſſet verè Catholica, niſi eſſet Romana. Quum autem omnes ad Eccleſiæ munera legitimè vocatos dicat ibidem eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, quàm firmo argumento vnius Pontificis ſucceſſionarium ius tuetur Hieronymus. Magna autem eiuſdem de Eccleſia Romana elogia quis non videt ad tuam ſententiam eſſe ἀπεσφάγμενα, id eſt, quum bonæ parentis memoria degenerem filiam redarguat, & importuna tua loquacitas veritati, ne quicquam obſtrepens abundè doceat te nihil habere quod opponas veritati? Quorſum igitur ego tibi pluribus reſponderem, niſi vt verba & voces fruſtra cumulans tecum ineptirem? Ex ipſius loci lectione ſolida eſt reſponſio.

HAYVS.

Poſtea in D. Gregorij teſtimonio, Miniſter,

omne tuæ causæ τὸ σφῆγμα ἐγ ἰβεβαίωσιν collocas. à pag43. vsque ad pag.47.

SERRANVS.

Tricæ Hayanæ.

Tenetur Sophista, & tamen obloquitur, exceptiones aduersus veritatem ingerens τῷ σοφωτάτῳ (vt Hieronymi verbis vtar) Iesuitæ κεφαλῇ apprimè dignas. Ait me è Caluino paucula delibasse. At hæc ipsissima esse Gregorij verba palam est. Me locum perperam notasse, quum ipse me perperam reprehendat, quòd Gregorium non rectè inspexerit, & nesciat Gregorij epistolas per indictiones describi: idcirco locum à me citatum non potuit reperire in 80. Epistola indict. 13. lib. 4. Congestis deinde nullo iudicio Gregorij locis, vult videri citatum à me testimonium bellè refutasse, & Vniuersalem Episcopum è Gregorij mente perperam à me definiri. Gregorius igitur ipse sui sit interpres.

Inepta reprehensio loci quasi perperam citati.

Illustria Gregorij Papæ testimonia de Papatus tyrannide: vt nec possit Antichristus illustrius describi, neque Hayi Iesuitæ impudentia euidentius conuinci.

Vniuersalis Episcopus à Gregorio is dicitur (inquit Hayus) *qui sic vniuersæ Ecclesiæ præest, vt ipse solus, & alius nemo Episcopus sit.* Esto. Num inde consequitur Gregorium Vniuersalis Episcopi appellationem non fuisse detestatum: & ad Romanæ Ecclesiæ in vniuersam Ecclesiam principatum id nonnihil pertinere? Affirmat certè Gregorius in cæterorum Episcoporum despectum & iniuriam Vniuersalis Episcopi nomen vsurpari; & dum vnus in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arripit, hanc omnibus fratribus denegare, neque fieri posse vt quisquam Vniuersalis Episcopi nomen vsurpet, quin Ecclesiam discindat atque discerpat, & cæteros Episcopos à debito honore deturbet dum sibi indebitum arrogat atque vendicat. Te tuo igitur, serue nequam, ore iudicari

cari atque reum peragi impudentiæ non sentis?

At maius quidpiam scelus in hoc Vniuersalis Episcopi commento notat Gregorius. Magnum quidem per se facinus est Ecclesiæ ordinem concordiámque violare. Vnius enim in cæteros tyrannis Ecclesiæ certissima est pestis: at cum hoc violatæ Ecclesiæ scelere maximum aliud scelus expendit Gregorius, quòd illo *sceleſto vocabulo omnipotentis Dei honori detrahatur, vt ille qui hoc nomen vsurpauerit se satis & propriis notis Antichristum ostenderit, qui se Deum dixerit, Deus videri velit supra omnes homines, & vt Deum coli, dum vniuersalis Sacerdos appetit appellari super cæteros sacerdotes: quia videlicet illum imitatur qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens, Super astra cœli exaltabo solium meum: Sedebo in mente testamenti, in lateribus Aquilonis, & ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo.* Deinde, quòd se Christo propriè, & ex diametro opponat: vnde Antichristus etiam appelletur: dum VNIVERSA *sibi tentat ascribere & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare.* & *Certè Paulus Apostolus quum audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ: hanc dilacerationem corporis Dominici* CERTIS EXTRA CHRISTVM QVASI CAPITIBVS, *& ipsis quidem Apostolis subiici particulariter euitauit. Tu quid* CHRISTO VNIVERSALIS SANCTAE ECCLESIAE CAPITI, *in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius mem-*

Lib. 6. Indi. 15. cap. 192.

Lib. 6. Indictione 15. ca. 194.

Lib. 4. indictione 13. cap. 78.

Lib. 4 indict 13. ca. 80.

Lib. 4. indict 13. ca. 82.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bra tibimet conaris Vniuersalis appellatione supponere? Quis ergo in tam peruerso vocabulo nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere: vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur.

Hæc sunt ipsissima Gregorij verba, non ex Caluini sed ex ipso Gregorij codice fideliter exscripta. *Vniuersa sibi tentata scribere* Pontifex Romanus, qui in vniuersam Ecclesiam principatum, summámque autoritatem vsurpat. Certis extra Christum quasi capitibus vult Ecclesiam contineri quum ei caput visibile siue ministeriale præter & extra Christum, se nimirum ipsum affingit, neque Ecclesiam Catholicam sine se vult posse definiri. *Nulli subesse, & solus omnibus præesse vult*, cunctos ipse iudicaturus, & à nemine iudicandus: & licet innumerabiles populos caterua-

Decret. 1. parte Distinct. 40. S. Papa.

tim secum ducat mancipio gehennæ, huius tamé culpas istic redarguere mortalium nullus debeat præsumere. Quídni igitur ex ipsis Gregorij verbis erit Antichristus?

Lib. 4. in dict. 13. ca. 75. Lib. 6. in dict. 15. ca. 194.

Rem autē cum vocabulis ipsis coniunctā esse idem testatur, & Mauritio Imperatori (qui ipsum simplicem id est fatuum, & indiscretum, id est insipientem nominauerat, quòd illud Vniuersalis Episcopi nomen repudiaßet) rationem reddit cur ab ipsa Vniuersalis appellatione abhorreat, &, *Nunquid*, ait, *si ex superbo & profano vocabulo meus non in medico est animus vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui, vt nescirem quid vnitati fidei, quid concordiæ Ecclesiasticæ deberem* &c. *Nimis mihi fuerat despuisse, sic sapere.* Et quoniam in voce parum erat momenti aiebat Mauricius, respondet Gregorius: *Sed rogo*

rogo vt imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valdè innoxia, alia valdè nociua. Nunquid quum sic Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit? sed tamen nimis perniciosum. Si quantitatem attendimus, duæ sunt syllabæ. Si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quòd quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit. &c. Hæc enim verba iam citaueram. Et idem, *Nulli in hac causa nocere appeto: sed humilitatem Deo placitam & sanctæ Ecclesiæ concordiam custodire; & quoniam hostis omnipotentis Dei, Antichristus iuxta est.* &, *Hoc iam (vt videmus) mundi huius termino propinquante in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, vt ipsos qui ei contradicere bene atque humiliter viuendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum habeat præcursores Sacerdotes.* Et certè, debebat ex oraculo tunc homo peccati sedere in Ecclesia Dei.

Lib. 6. in dict. 15. ca. 192.

Lib. 7. in dict. 2. ca. 69.

Hoc vocabulum Gregorius, nouum, stultum, friuolum, temerarium, superstitiosum, superbum, pestiferum, profanum, blasphemum, scelestū, intolerandum appellat. Rem denique cum voce ipsa aspernatur, neque vllam se erga suos fratres autoritatem habere, vt iis aliquid imperare possit, vehementer testatur. *Indicare quoque vestra beatitudo* (inquit ad Elogium episcopum Alexandrinum scribēs) *studuit iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt: & tamen mihi loquitur dicens*, Sicuti iussistis: *quod verbum iussionis peto à meo auditu vos remouere: quoniam scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis: moribus patres. Nam ego iuss-*

Lib. 7. in dict. 2. ca. 30.

si, sed quæ vtilia sunt mihi visa, indicare curaui.

Vbinam est igitur, Hay, magnificus ille Romanæ Ecclesiæ principatus à te supra descriptus, vbinam illud infinitum per vniuersum terrarum orbem imperium: in populos, principes, Reges, conscientias, in ipsos denique inferos & cœlos, ad quos vtrobique eædem illæ principatus Romani claues sunt peruiæ, plenitudo potentiæ, & principatus, vt Pontifex Romanus omnium Ecclesiarum ἀυτοκράτωρ sua decreta omnibus imponat?

Ex hac doctrina omnes hortatur Gregorius vt & vocem Vniuersalis Episcopi & rem profano illo vocabulo comprehensam toto pectore detestetur. &, *Hortor*, inquit, *atque suadeo vt nullus*

Lib. 7. indict. 2. ca. 69. *vestrũ hoc nomen aliquando recipiat, nullus ad id consentiat, nullus scribat, nullus vbi fuerit scriptũ, admittat, vel subscriptionem suam adiciat: sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab huiusmodi venenata infectione custodiat, & insidiatori in se locum non præbeat: quoniam hoc in totius Ecclesiæ iniuriam ac discissionem & sicut diximus, in omnium vestrũ despectum fit.* Quod

Lib. 4. indict. 13. ca. 80. alibi vocat, *Tentationem diabolicæ vsurpationis.* Imo admirabili planè Dei prouidentia factum est, vt profanæ rei & vocis detestatio in Pontificalibus etiam decretis insereretur, ad Papatum ipsum ex Papæ mysteriis & decretis refellendum. Sunt enim diserta Decreti verba, *Romanus*

Decret. 1. parte. Dist 99. §. primę & §. Nullus & §. Ecce. *Pontifex ne Vniuersalis Episcopus appelletur.* &, *Nullus Patriarcharum vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur.* &, *Ecce in præfatione epistolæ quam ad meipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum Vniuersalem me Papam dicens*

dicens imprimere curastis quod, peto, dulcissima Sanctitas vestra vltra non faciat. &c. Recedant verba quæ vanitatem inflant & charitatem violant.

Et vocem & rem in Ioanne Constantinopolitano quantopere detestatus fuerit Gregorius, ex aliis quoque locis perspicuum est. In se quoque id recipere neque velle, neque debere testatur. Nam quòd à Concilio Chalcedonensi oblatum Rom. Pontifici Vniuersalis Episcopi nomen, & repudiatum ait Gregorius, ei esset è Concilij actis probandum, in quibus nihil huiusmodi profectò inuenitur, quemadmodum à nobis supra fuit demonstratum.

Quicquid sit, Vniuersalis Patriarchæ siue Episcopi nomen pernegat vsurpari à mortalium quòquam sine summo scelere posse. Vnum Ecclesiæ caput esse Christum, cui vni Ecclesia adhęrere cum salute sua possit: ac proinde ne ex Apostolis quidem ipsis aliud quodpiam caput ei adiungi posse. Ecclesiam autem quæ tota communione regatur, ita regi ac gubernari Verbo Dei debere, vt quum omnes Pastores sint Apostolorum successores, eáque successio salutari doctrina contineatur, minimè esse committendum vt vnus, quicunque tandem ille sit, principatum sine imperium aduersus Collegas suos in Ecclesia aut affectet aut occupet: quo principatu siue imperio Ecclesiæ pax concordiáque penitus violetur atque discerpatur, quæ sine ordine illo à Deo constituto stare nullo modo possit. Hæc docuit Gregorius: ecquídnam verò nos aliud ex Verbo Dei, vel docuimus, vel docemus? & quídnã nos aliud meretricis Romanæ superbiæ, Antichristi blasphemiæ luculentius opponemus?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque in ipsius Gregorij testimonio omne causæ nostræ σύστημα & βεβαίωσιν (quemadmodũ dicit Hayus) minimè collocamus: sed idipsum causæ eius quam tuemur firmamentum collocamus, quod Gregorius statuerat: nempe Verbum Dei, quod *spiritalem doctrinam è tabulis testamenti petitam* vocat: & quum de Petri iure siue successione agatur, proprio ipso & peculiari Petri testimonio, ad quod sanctæ Antiquitatis testimonium adiungo, vt veritatis nimirum autographum fideliter amplexæ. Sunt enim hæc Gregorij verba in huius rei & vocis prophanæ detestatione, *Qua in re à prædicto fratre & confacerdote meo contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contráque Canonum statuta agitur.*

Lib. 7. in dict. 2. ca. 30.

Lib. 4. in dict. 13. ca. 78.

Quod Constantinopolitano Episcopo negauit, quod sibi ipsi ascribi noluit, cur posteris suis vt legitimum deberi agnosceret? Rectè igitur propinqua iam Antichristi tempora designari in eadem epistola affirmat: nam iactum quidem erat iniquitatis fundamentum, sed nondum plenè reuelatus erat homo peccati, qui iamiam profani illius detestandique in Ecclesiam imperij auspiciis, Phoca parricida duce, in Ecclesia Dei sedem erat occupaturus, quemadmodum prædixerat Spiritus sanctus.

2. Thess. 2.

Ex his igitur agnoscat eruditus lector, quænã sit mei Iesuitæ fides & eruditio, qui meam è Patribus probationem tam acerbè traducat: an verò ex hoc examine imperitus, vecors, falsarius palam deprehendatur.

Atque hæc summa esto, è Cypriano constare vnum esse Ecclesiæ caput, Christum: eundémque esse vnicum & summum Pastorem Ecclesiæ suæ, sicuti eam ipse pretioso sanguine redemit: vnicam

Sũma eorum quæ in hac prima quæstionis parte sunt hactenus tractata.

cam quoque esse Ecclesiam, per vniuersum terrarum orbem diffusum. E Hieronymo, planè esse ἀθεόλογον & absurdum, Orbem in Vrbe includi, Romanæ Ecclesiæ autoritatem Catholicæ Ecclesiæ legibus anteferri? E Gregorio, Illum esse Antichristum qui Vniuersalis Episcopi autoritatem, potestatem & nomen in Ecclesia vsurpet: ac proinde sanctæ Antiquitatis testimonio doctrinæ quam è Verbo Dei hactenus exposuimus, veritatem confirmari atque illustrari, vt Patribus orthodoxis testibus, quorum maior sit omni exceptione autoritas, Hayus Monachus Iesuita mendacij & impudentiæ reus peragatur.

Nam quod vltimo loco è Gregorio citat, Petri quidem inter cæteros Apostolos singularem dignitatem commendat, at infinitum illud imperium quod Hayus tuetur, tam at apertè detestatur, vt planè desipiat qui dictum commendet suę sententiæ repugnans: vt ex ipso loco apparet, cuius hæc est sententia, Petrus inter Apostolos primum tenuit gradum, Vniuersalis tamen Apostolus non appellatur: quantę igitur dementię est Ioannem confacerdotem meum Vniuersalis Episcopi nomen affectare?

Quòd autem de Romanæ Ecclesiæ elogiis ex eodem Gregorio citat, supra est à nobis explicatum, Primum quidem inter Ecclesias sedem Romanæ Ecclesiæ fuisse tributam, sed non huiusmodi principatum, vt per omnium gentium oras Romanus Pontifex dominetur, eáque omnia quę ad fidem & mores Christianorum pertinent, summo imperio decernat, & in iis decernendis errare non possit. Huiusmodi enim principatum Antichristi tyrannidem Gregorius centies appellat. Nec pudet Sophistam denuò Gregorium Gregorio opponere, & miseram cramben reco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quere & reponere quouis loco.

Pag.46. MOTAT tamen caudam in fruſtula deciſus Coluber, caput exertat, de ſuis in me iaculis prolixè gloriatur, & veſtrum oſtentans diriora in poſterum mihi minatur: dum tamen nunc in ipſa diſputationis clauſula veritatis vi coactus, conſcientiam ſuam quantumuis detrectabundus prodit.

HAYVS.

Si Romana Eccleſia, eſt contraria Eccleſiæ Chriſtianæ, non magis erit Romana Eccleſia, Chriſtiana, quàm candor eſt nigror &c. pag. 47.

SERRANVS.

Primę huius partis primaria cõcluſio, *Romanam Eccleſiã ſiue Papatum non eſſe Eccleſiã Chriſtianam de cuius autoritate agitur in hac diſputatione.*

Omnino ita eſt. è tuis verbis profligata quæſtio eſt. Idipſum eſt quod volo, Candorem non magis nigrorem eſſe quàm Romana Eccleſia (id eſt Papatus) Eccleſia Chriſtiana eſſe poteſt. Imo amplius dico ad hanc concluſionem illuſtrandam, Non magis lucem tenebris, aquam igni, Chriſtum Antichriſto repugnare, quàm Romana Eccleſia Pontificis Romani meretrix, Eccleſiæ Catholicæ repugnet. Hæc noua Eccleſia Romana à veteri tam diſtat quàm meretrix à caſta matrona. Hanc perfidam & ſpurcam negamus eſſe Eccleſiam Catholicam, à cuius ſe communione planè diuulſiſſe affirmamus: ac proinde neque Eccleſiam totam, neque Eccleſiæ partem Papatum eſſe contendimus, ſed ita eſſe in Eccleſia, vt peſtem in corpore: à qua tamen ſuos conſeruauit, conſeruat & conſeruabit Deus.

Paulus verò ad Chriſtianam Eccleſiam, quæ ſuo

ſuo tempore erat Romæ, ita ſcripſit vt Antichriſtianam Eccleſiam, quæ nunc Romæ eſt, eadem veritate increpet atque deteſtetur, interitum ei denuntians, ſuo tempore hauddubiè ei aſſuturum, quaſcunque tandem machinas vos locuſtæ ex vltima abyſſo egreſſæ, ad eam tuendam adhibeatis. 2. Theſ. 2. 8.

QVVM verò mihi propoſitum eſſet de veræ Eccleſiæ autoritate agere, ſub cuius nomine Papatus nobis hauddubiè obtrudebatur: legitima docendi ratio poſtulabat, vt adulterinam Eccleſiam à vera Eccleſia, id eſt Cacolycam à Catholica diſcriminarem, ne ementito nomine circumueniremur. Proximum eſt vt veram & Catholicam Eccleſiam ſuis, propriis veriſque notis definiam: quò certum iter primariæ quæſtioni ſternatur. Ita demonſtraui, QVID NON SIT ECCLESIA, nunc QVID SIT ipſa ex veris ſuiſque notis explorandum eſt. Nexus & ordo diſputationis.

***

PRIMAE QVAESTIO-nis Secunda pars.

QVID SIT *Ecclesia.*

EARVM RERVM QVÆ IN *hac secunda primæ Quæstionis parte continentur,* ORDO ET CATALOGVS.

Summa & œconomia disputationis.

Primum Demonstrationis Axioma ad Ecclesiæ definitionem constituendam, Verbum Dei esse primariam Ecclesię Catholicæ notam.

Secundum Axioma, Scripturam solam, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam, esse Verbum Dei.

Tertium Axioma, Omnia fidei nostræ dogmata ad salutem nostram necessaria scripto illo Dei Verbo contineri.

Demonstrationis πόρισμα, Sacramenta esse Verbi sigilla & appendices: ac proinde alteram Ecclesię notam.

ECCLESIAE DEFINITIO ex illa Demonstratione nata.

Complexio vniuersę disputationis de Ecclesia.

SECVNDA PARS PRIMAE QVAESTIONIS, cáque κατασκευαστικὴ, QVID SIT ECCLESIA.

DESTRVCTO mendacio astruenda est veritas, & eò quidem accuratiùs quòd vt hactenus in defendendo mendacio nullum non lapidem mouit Hayus, ita nunc in veritate oppugnanda omnes falaciarum Iesuiticarum machinas adhibet, nihil reliqui faciens vt verborum grandine, conuitiorum diris, prefracta Thrasonicæ frontis audacia, omnibus denique Sophistices artibus victoriam reportare videatur. Verùm ne inter tot verborum, conuitiorúmque strepitus amittatur veritas, operæpretium est infinitos Iesuiticæ loquacitatis contentionisque æstus certis cancellis definiri, & quasi circumuallari: vt quídnam ille & quorsum dicat, à perito lectore intelligatur. Antequàm igitur ad singulas illius obiectiones pro more institutóque meo respondeam, iuuabit vniuersæ controuersiæ statum summámque initio substernere: vt primùm quídnam ego de Ecclesia affirmarim, deinde quídnam mihi ille opposuerit, perspiciatur: atque adeò facta contrariarum sententiarum comparatione eluceat veritas, quæ è sempitetna primigeniæ rationis lege,

non potest esse multiplex sibique dissentiens. Quum enim id maximè neget Hayus, quod ego maximè affirmo, eiusdem autem rei affirmatio & negatio vera simul eodémque modo esse non possit: omnino è Verbo Dei & orthodoxæ Antiquitatis testimonio explorandum est, vter dixerit verum. Hos ego iudices adoptaueram, his argumentis & testimoniis vsus eram constanter in priori meo libello. Illi quoque nunc sedeant & iudicent, his argumentis & testimoniis causa dirimatur. Disputationis igitur nostræ statum, summam, œconomiam sic Lector habeto.

SVMMA ET OECONOMIA HVIVS DISPVTATIONIS.

Quæstionis status est, QVID SIT ECCLESIA. antequam enim recte possit intelligi quænam sit Ecclesiæ autoritas (qui primarius est disputationis finis) necesse erat definiri Ecclesiam. Ad veram autem & τετυπωμένην Ecclesiæ definitionem inueniendam, substernenda erat Demonstratio cuius auspicio & ductu ad eam tutò peruenire-mus. More verò illius demonstrationis hæc est primaria complexio. *Veram & perpetuam Ecclesiæ notam esse, Verbum Dei quod Prophetarum & Apostolorum scriptis continetur: atque adeo veram & Catholicam Ecclesiam eam esse quæ ex Verbo Dei scripto, Iesum Christum vnicum Seruatorem suum, per fidem agnoscit & amplectitur.*

DEMONSTRATIONIS OECONOMIA erat huiusmodi.

Prosyllogismos ponebam tribus axiomatis innixos, sicuti ex ipsa disputatione perspicuum est.

est. Illorum autem prosyllogismorum ex quibus Demonstratio constituitur, hæc est confirmatio.

PRIMVS PROSYLLOGISMVS.

Oues Christi, à Christo seruantur.
Qui Christi vocem audiunt sunt oues Christi.
Qui Christi igitur vocem audiunt, à Christo seruantur.

SECVNDVS.

Qui à Christo seruantur, sunt Ecclesia Christi.
Qui Christi vocem audiunt, à Christo seruantur.
Qui Christi igitur vocem audiunt, sunt Ecclesia Christi.

TERTIVS.

Vox Christi, est verbum Christi.
Credere in Christum, est vocem Christi audire.
Credere igitur in Christum, est Christi verbum amplecti.

QVARTVS.

Verbum Christi, est Prophetarum & Apostolorum doctrina.
Qui in Christum credunt, Verbum Christi amplectuntur.
Qui igitur in Christum credunt, Prophetarum & Apostolorum doctrinæ acquiescunt.

QVINTVS.

Prophetarum & Apostolorum doctrina, illud omnino est quod Prophetæ & Apostoli docuerunt, & ad Ecclesiæ vsum scripto commendarunt.

Atqui probatum est Ecclesiam Prophetarum & Apostolorum doctrinæ acquiescere.

Necesse est igitur Ecclesiam Prophetarum & Apostolorum scriptis, id est scripto Dei verbo inniti: & ex vi consequentis, Fidem salutémque Ecclesiæ scripto Dei Verbo contineri. Sic igitur ex his plena conficitur.

DEMONSTRATIO.

Si enim Christi oues, id est electi seruantur: si Ecclesia, est electorum cœtus: si oues siue electi, sunt qui Christi pastoris vocem audiunt: si Christi vocem audire, est in Christum credere: si in Christum credere, est Christi doctrinam amplecti: si Christi doctrina, illud est quod Prophetæ & Apostoli docuerunt: si quod docuerunt, scripto commendarunt ad Ecclesiæ vsum: necessariò consequitur, Primariam verámque Ecclesiæ notam esse Verbum Dei scriptum, quippe quo Ecclesiæ fides salúsque innitatur. *Quod erat demonstrandum.* Hæc autem est

DEMONSTRATIONIS EXPOSITIO.

Certa sunt hæc & per se rata axiomata, Christum esse Redemptorem generis humani, ex qua colligit Ecclesiam suam: Ecclesiam esse Sanctorum communionem, id est eorum qui à Christo seruantur. Hæc planè sunt αὐτόπιστα, neque indigent demonstratione, sed sunt firmamentum demonstrationis. *Medium* verò *demonstrationis* est, Illos à Christo seruari qui in Christum credunt. *Medij expositio* est, Fidem esse ex Verbo Dei: Verbum Dei esse Prophetarum & Apostolorum doctrinam: Illorum doctrinam sacris Scripturis cõtineri: ac proinde fidem Dei verbo ab illis scripto inniti, & ex vi cõsequentis Ecclesiam, quum Ecclesia sit fidelium cœtus. Principiorum igitur ἀλληλοχία & συμπλοκὴ necessariam hanc conclusionem colligit Verbum illud scriptum esse veram notam Ecclesiæ, qua & ipsa definiatur, & à profanis omnibus mundi cœtibus distinguatur. Itaque vt vnum verum Deum in vno Iesu Christo, sic vnam illius veritatem in vno vnius Dei Verbo explicatam, vnam Ecclesiam per illud Verbum collectam, & in vno illo Dei Verbo constantem agnoscimus: hanc vnam credimus esse matrem eorum quorum Deus est pater. Itaque ex his omnibus nascitur

VERA ECCLESIÆ DEFINITIO.

ECCLESIA, EST COMMVNIO SANCTORVM, *cœtúsque visibilis amplectentium Verbũ Dei & ex illius instituto rectè vtentium Sacramentis.*

ILLIVS DEFINITIO. EXPLICATIO.

Est igitur Ecclesia eorum hominũ, cœtus qui verum Iesum Christum vnicum seruatorem suũ agnoscunt, vnicum veræ illius spiritualis domus Dei fundamentum, vnicam corporis illius mystici animam, perpetuam illius sacri ædificij amussim. Est enim propriè Ecclesia electorum, qui sunt oues Christi, & ipsius vocem audiunt & sequuntur, hæredes vitæ æternæ. At quoniam Ecclesia in hac mortali vita ex mortalibus hominibus colligitur, & intelligendum est vbinam illa sit, quibúsque nobis à profanis cœtibus distinguatur: deinde, quum in hac externa societate

mali cum bonis permiſceantur: neceſſe erat in illius definitione id diſtingui. Itaque licet vna ſit Eccleſia Catholica, gemina tamen illius notio & quaſi facies perſpicienda eſt: viſibilis nimirum vna quę omnes eos cõplectitur qui Chriſto nomen dederunt, & à cæteris hominibus ſeiuncti atque ſegregati, eius doctrinam profitentur: quâquam in eo numero complures ſint peregrini & aduenæ, qui nomine tenus Chriſtiani ita ſunt in Eccleſia vt non ſint de Eccleſia. Inuiſibilis verò illa eſt vnius Eccleſiæ notio, qua filij Dei in conſpicabili illo cœtu intelliguntur, Deo propriè cogniti, qui nouit eos qui ſunt ſui: ea tamen quæ inuiſibili Eccleſiæ, id eſt ſolis electis ſunt propria, viſibili quoque Eccleſiæ tribuuntur: tum quia Eccleſia ex electis & propter electos colligitur, vt ſine illa conſtitui definitio non poſſit, tum quia nos homines de hominibus ex charitatis regula hactenus debemus iudicare, vt eos ad Eccleſiam pertinere cenſeamus, qui externis Eccleſiæ notis ornati, Chriſto nomen dederunt, eiúſque veritatem, veluti vitæ ſalutiſque ſuæ regulam profitentur.

Hæc fuit cauſa cur in Eccleſiæ definitione vtriuſque notionis vim deſignauerimus, differentiis diſertè adhibitis, quibus veri Eccleſiæ filij ab hypocritis qui ſunt filiis in Eccleſia viſibili permixti, dignoſcerentur. COMMVNIO, eſt genus in Definitione. SANCTORVM appellatione, Electi ſiue filij Dei notantur, de quibus etiam propriè dicitur Eccleſia. Altera differentia, viſibiles Eccleſiæ notas filiis & hypocritis communes complectitur, licet variè. Vt enim omnibus peræquè proponitur Verbum Dei, vario tamen ſucceſſu vtriſque prædicatur. hypocritis eſt verbum prædicatum & auditum tantùm: Filiis idipſum quidem ſed

ſed etiam creditum: ſed vtrobique idem eſt Verbum. Ex quo effici perſpicuum eſt, Verbum Dei eſſe veram primariámq; notam Eccleſię, ſiue viſibilem ſiue inuiſibilẽ complectare. Si enim quæras quínam cœtus Eccleſiæ nomine ſit cenſendus, rectè reſpondebitur, Eccleſiam eum eſſe cœtum in quo ſonat Verbum Dei, & ab iis auditur & probatur ex quibus cœtus ille conſtat. Quòd ſi quæras quínam ſint filij Dei & electi, accommodatè reſpondebitur, Eos eſſe qui Verbum Dei vera fide complectantur, id eſt Ieſum Chriſtum Filium Dei verum Verbi Dei fundamẽtum qui à ſuo Verbo ſeparari non poteſt: ac proinde Verbũ Dei veram eſſe veræ Eccleſiæ notam ſic intelligimus vt Chriſtum veram illam eſſe, perpetuam & vnicam Eccleſiæ Catholicæ notam agnoſcamus: Chriſtum, inquam, verum, id eſt qualem ſeſe initio in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem perfectè patefecit, & quem poſt natos homines Eccleſia vera fide complexa eſt. Adiunguntur Verbo Sacramenta, quia & ipſa ſunt Eccleſię notę atque inſignia, vnum videlicet idémque Verbum Dei quamuis diuerſo docendi modo proponatur fidem per oculos nutriens & corroborans, quam Deus per Verbi auditum inſeuerat in ſuorum animis. Ita communes ſunt Eccleſiæ Catholicæ differentiæ, PRÆDICATIO VERBI & ADMINISTRATIO SACRAMENTORVM. Maximè propria & verè εἰδοποιὸς differentia, Segregatio & ſanctificatio ELECTORVM ſiue SANCTORVM. Genus denique, COMMVNIO ſiue SOCIETAS: cuius ambitu omnes differentiæ continentur.

Plena itaque Eccleſiæ definitio hæc eſt è ſuperiori Demonſtratione omnino naſcens: quam quoque ex veris certíſque rectè demonſtrandi

legibus esse constitutam, lectorem eruditum iudicaturum credo. Omnes enim illius probationes ex lege καθ' αὑτὸ seu οἰκεῖοι, id est & propriæ, in re nimirum Theologica Theologicæ, nam vsus sum disertis Scripturæ testimoniis, ad quæ adiunxi orthodoxæ Ecclesiæ consensum. Perpetua autem & constans est probationum ἀλληλουχία & συμφωνία, consensus & series. nam ex veris indubitatisque principiis nascuntur conclusiones necessariæ ex lege καθόλου: & vniuersa demonstratio omnibus partibus suis constans consentanea partim connexione conformatur ex lege κατὰ παντός. Hæc ego priori libello meo, Nemausensis Ecclesiæ nomine, indicaueram: quæ vt enucleatiùs hîc explicentur ij causam dederunt qui primam scribendi occasionem nobis imposuerant. Quidnam igitur Hayus Iesuitarum nomine obposuerit, quidnam ego ad illius exceptiones respondeam, Lector Christianus & eruditus, rebus omnibus vtrinque expensis, solius Veritatis intelligendæ studio, nullo denique partium præiudicio, hæc legat, intelligat, iudicet.

PRIMVM DEMONSTRATIONIS AXIOMA, AD Ecclesiæ definitionem constituendam,

Verbum Dei esse primariam Ecclesiæ Catholicæ notam.

HAYVS.

Si Magistri tui doctrinam probas, velis nolis, fate-

fateri cogeris Christum Dominum frustra esse mortuum, docet enim omnia opera nostra probrum quam laudem perpetuò mereri &c. pag. 48.

SERRANVS.

IDEM pergit esse Hayus, non de re dicit, sed ne de re dicat cuniculos perrimatur à re primaria penitus desciscens. Hoccine est seriò differere de veritate, an ludificari veritatem? Audet Sophista scribere, nos negare Ecclesiam Catholicam. Illam igitur & reuera existere, & illius fundamentum ostendere debebamus in Christo pro nobis mortuo. Sic enim disertè Spiritus sanctus mortis Christi fructum describit, Ecclesiam nimirum non è Iudæis solis, primogenitis quidem illis, sed ex omnibus filiis Dei per vniuersum terrarum orbem dispersis collectam & coadunatam esse. Hoc erat verè οἰκεῖον & proprium rei. Quorsum igitur importunæ loquacitatis ἀποκλαυσις, nisi vt se à re & veritate alienum Hayus ostendat? *Caluinus*, inquit, *omnia hominum opera ait esse peccata, Ergo Christus pro nobis frustra est mortuus.* Amplificat argumentum suum à Diaboli operibus quę Christus dissoluit: & non videt qua ratione fieri possit vt peccata nostra deleãtur, si omnis nostra iustitia extra nos est. « Io. 11, 52

Respondeo esse fallaciam *à dicto secũdum quid ad dictum simpliciter*, quo decipulæ genere Sophistæ sępenumero illudunt veritati, eorundem verborum præpostera interpretatione. Est enim verum, Omnia hominum opera esse peccata, hactenus quidem vt intelligamus fideles bonis operibus non esse destitutos, sed illa bona opera, esse Dei opus in hominibus, non ipsorum homi-

Hayi πρωτοδόκιον siue digressio, negatu Hominum opera esse mala: & Nostra, omnem iustitiam esse extra nos in Christo.

Peccatũ, & Diaboli & hominis peccatoris opus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num: è quibus quicquid proficiscitur, vt suum, planè peccatum est. Si quid boni igitur in hominibus est, totum à Deo est, Dei est non hominum opus: quicquid ab homine est, malum est, peccatum est, quantumuis magnam habeat speciem
1.Ioã.3.8. virtutis. Quæris igitur, Hay, *quænam sunt illa opera quæ Christus dissoluit?* Respondeo cum Apostolo, Opera diaboli: id est peccata ipsa, quæ quum
Ephe.2.1. homo edat ex se & vt nascitur, quî nõ sit Diabo-
Rõ.7.14. & 6.20. li mancipium, eadémque opera edat quæ Diabolus, cui ex corrupta illa sua natura seruit, filius iræ & maledictionis, venditus peccato, peccati
Totus homo, quantus quantus est in Adamo corruptus. seruus? Hæc sunt hominis ψυχικοῦ, id est quantus quantus in Adamo est, opera, quæ quum sine fide fiant, non possunt non esse peccata: quum quicquid sine fide fiat, sit peccatum. Virtutes etiam illæ politicæ quæ in hominibus non regeneratis
1.Cor.2.14 magna sanctimoniæ specie elucent, non possunt
Rõ.14.23 non esse hactenus peccata: quamuis boni & mali discrimen in societate generis humani Deus conseruet. Non hæc est nostra doctrina, sed Scripturæ, quæ nihil luculentiùs concionatur quàm totum hominem peccare, etiam nascendo
Rom.7.13 ἁμαρτωλὸν ἁμαρτίας lue infectum, vt quicquid natũ
Ioan.3.6 sit ex carne, caro sit, id est totam hominis naturã, non illam tantùm carneam & cõspicabilem hominis molem, sed immortalem quoque & inconspicabilem hominis partem cum omnibus suis facultatibus peccati lue infectam esse. Intel-
Rom 8.6 ligentia quippe illa hominis, φρόνημα σαρκὸς, *caro est.* est enim inimicitia aduersus Deum, legi Dei
Rom 9.16 non subiicitur: & ne potest quidem. Voluntas quoque carneæ illius intelligentiæ imperiis obtemperans, etiam quum sibi videtur bene velle, caro est. Imo & ipsa quoque carnis cogitatio,
2.Cor 3.5 caro est: quum non idonei simus ex nobis ipsis ad

ad bene cogitandum quicquam, veluti ex nobis- 1.Ioan.3.8
ipsis. In summa, sic habeto, Hay: Peccatum, est Diaboli opus, hominis quoque opus, est peccatum. Itaque hominis opus est Diaboli opus, quia vterque peccat aduersus Deũ. Hæc igitur opera 1.Cor.8.6
dissoluit Filius Dei. 1.Cor.12.6
Opus regenerationis, totũ est à Deo in Christo, vt extra nos in illo omnem iustitiam nostrã quæramus. Phili 2.13 Rom.7.21

Quomodo igitur, ais, *negatis Christum frustra esse mortuum, si & omnia nostra opera sunt mala, & illa Christus dissoluit?* Respondeo, Dissoluit nostra vt sua in nobis stabiliat, id est vt nos regeneret, faciat nouas creaturas: lucẽ veritatis suæ accẽdat in cęca nostra intelligentia, eã reddat perspicacẽ, voluntatẽ obsequentẽ, det intelligere, velle, perficere: suum denique opus, i. bonũ in nobis edat. Manent tamen in nobis carnis nostræ reliquiæ: corrupta scaturigo est, vnde corrupti riuuli dimanant. Hactenus quoque in regeneratis, hominis opus, peccatum est. Clamat Paulus, *Velle quidem adest mihi, sed vt quod bonum est perficiam, non assequor: Facio malum quod nolo: & non facio bonũ quod volo*: ne infinitas Sanctorum hominum hac de re voces commemorem. Bene intelligere, bene velle, bene facere, est Dei in nobis opus: male, nostrum est opus. Ita igitur Christus præstantissimis effectis ostendit se non frustra esse mor- In Psa.123
tuum, quum ex corrupta humani generis massa Ecclesiam suam colligit, & sanctificat, facit heredem remissionis peccatorum: hactenus quidem, vt *agnoscamus nullum gloriandi locum nobis esse relictum, recordantibus* (vt inquit noster Hilarius) *omnia bona esse ex Deo, sicuti omnia mala ex nobis*, Concil. Mileuitã. Cap.7
& in maximè quidem prouecta regeneratorum sanctitate, in qua nullum potest dari momentum fidelibus, quo ipsis non sit opus hac precatione, *Remitte nobis debita nostra*, quum Spiritussancti bona malo suo inficiant. Itaque iustitia nostra,

extra nos quęrẽda est. *Atqui*, inquit Hayus, *nõ video quomodo peccata nostra deleantur, si eis nostra iustitia extra nos est.* Nõ video Hay quomodo delerẽtur peccata nostra, nisi iustitiã extra nos quæreremus. Si.n. sumus peccatores ac proinde remedio indigem⁹, nõ video remediũ extra nos quærendũ esse: ecquis .n. ægrotus remediũ in se quærat? sunt hæc planè ἀσύστατα. Nisi essemus peccatores frustra Christus esset mortuus, nec esset redẽptor, nisi elsẽt redimẽdi. Si Christus est factus nobis à Deo sapiẽtia, iustitia, sanctificatio & redẽptio, cur nõ vides oẽm nostrã iustitiã quæ in Christo est, extra nos esse. Hęc prẽter institutũ ab Hayo fuere opposita, & à nobis explicata ꝙ factũ est, vt agnoscãt pij quales sint Redẽptionis nostræ patroni, Iesuitæ, quãquã nouũ quid mõstri hîc videtur Hay⁹ alere ꝙ è Pelagianorũ, Cœlestinorũ, Donatistarũ, Libertinorũ, Anabaptistarũ cæterorúmq; phanaticorũ assumẽtis cõfarcinauerit homo πολύλεγμος. At, qui in se iustitiã quærit, verã Christi iustitiã amittit. Nostra itaq; iustitia spoliati ãlienã, id est Christi iustitia patiamur nos seruari.

1. Tim. 1. 15.
1. Cor. 1. 30

Iesuitæ hostes crucis Christi.

HAYVS.

Tu videris quonã pacto hæc Eccles. perpetuitas cũ Caluini doctrina cõsistat, &c. p. 48. 49. 50. locis & cõuitiis sunt referta.

SERRANVS.

At tibi erat prouidendũ vt rẽ seriã seriò tractares, nec ambagib⁹ veritatẽ inuolueres. Te tamẽ ego proteũ quãtũuis versatilẽ ordinis tibi incogniti (cuius certè vsum ignoras) vinculis constringam, vt saltem nouerit Lector quid dicas, & quid respondeam. Hoc igitur argumentũ è verborum tuorum inuolucris ita conformetur.

Sycophãtica Hayi loquacitas.

PRIMVM HAYI ARGVMENTVM quo instituit probare, *verbum Dei non esse primariam Ecclesiæ notam.*

Si Verbum Dei primaria est Ecclesiæ nota illo sublato, hanc interire necesse est.

Atqui sublato Dei Verbo non interit Ecclesia, cuius etiam Minister perpetuitatem fateris.

Ergo verbum Dei non est Ecclesiæ nota.

Maiorẽ probas, Iesuita, è re inter nos controuersa; quã tamen vt ratã sic te ponere memineris vt te ipse sententiæ & iudicent lectores quã sis diserendi peritus) nimirũ ex necessaria cognitione quæ inter Verbũ & Ecclesiã intercedit. Esto. Nõ potest perire Verbũ Dei quin pereat Ecclesia. est.n. Ecclesiæ fundamentũ. Minorẽ inuolutiùs probare instituis, nouo machinę modo vt me cũ Caluino contendas, & è nostra lite tuam cõponas. *Caluinus*, inquis, *agnoscit puritatẽ doctrinæ diutius conseruatam & Romæ & alibi, donec sensim collapsa prorsus euanuerit, Gregorij magni tempore: quẽ idcirco vltimũ Romæ Episcopũ appellat.* Ais agnoscere me Ecclesiæ perpetuitatẽ. Quũ aũt Ecclesia sine Verbo nõ cõsistat, duobus me absurdis vis implicari, vel vt fateat nõ corruptũ fuisse Verbũ Dei post Gregorium, vel si corruptũ sit aut interierit: Verbũ Dei nõ esse notã Ecclesiæ, cũ illã Eccles. affirmẽ inter mundi intemperies conseruatã. Resp. Esse fallaciã *accidẽtis*. Perinde .n. est ac si diceres, Sol noctu nõ videtur, neq; in nube. Ergo interiit: Verũ quidem aliquãdo silere Verbũ Dei in Ecclesia, propter hominũ ingratitudinẽ veritate abusi: at falsum, Verbũ Dei interire, est.n. perpetuũ ἀξίωμα, *Verbũ Domini manet in æternũ. Hoc aũt verbũ est quod euãgelizatũ est nobis*, i. quod Apostoli voce & scriptis docuerũt. Variæ fuerũt Ecclesię ętates, variis quoq; vicissitudinibus cõmutata ipsius facies, sed nõ substãtia: cõmutatũ externũ Verbi ministeriũ, defecerũt Prophetę, Pastorũ ora obticuerũt: eãdẽ tamen mãsit Ecclesia, eadem Veritas quę nõ minùs verè in tenebris illuxit ac lumen solet, ꝙ propter tenebras non obscuratur, sed eas illustrat. Caluinus aureã Eccles. ętatẽ à ferrea siue chalybea rectè distinxit, Gregoriũ Mag. eruditè appellauit vltimũ Episcopũ Ecclesię Rom. licet variis nequis è sæculi sui insania cõtractis Gregorius labora ret insolentẽ tamẽ Vniuersalis Episcopi primatũ multis & acribus verbis detestatus est (sicut ostẽdimus) sine quo primatu Antichristus sedẽ in Ecclesia nõ potuit occupare. Post Gregoriũ doctrinę puritas sic euanuit vt infinito eorũ effuso diluuio, Antichristi tyrãnis quam appropinquare dixerat Gregorius, impotentissimè fuerit debachata: donec Dom. Verbi sui lucem errorũ tenebris obfuscatã & Ecclesiã latitantem extremis his temporibus reuocauit. Rectè igitur & Caluinus & ego, Babyloniæ meretricis & ipsius adulteria detestamur: & rectè credimus neq; defuisse, neque defore vnquam vel Verbũ

Explicatur argumentum Hayi.

Respõdetur illius argumento.

Licet variè incidãt in Ecclesiã mutationes, non tamẽ vel Verbũ vel Ecclesia perit. 1. Pet. 1. 25

Gregorij Magni auersus vniuersalis Episcopi principatũ diras, vide supra.

vel Eccleſiam,quæ in illo Verbo ſempiterna permanſit & permanebit. Itaque ex mutua illa & neceſſaria vtriuſque communitate quam coëgit te Veritas agnoſcere, ſic tuum argumentum adRetorquetur argumentũ in Hayum. uerſus te retorqueo.

Si tanta eſt Verbi cum Eccleſia, & Eccleſiæ cum Verbo neceſſitudo atque communitas, vt altero ſublato alterum interire neceſſe ſit: certè vno poſito & conſeruato alterum quoque poni & conſeruari neceſſe eſt.

Atqui teſtatur Petrus, Verbum Dei, & illud quidem quod nobis eſt euangelizatum, manere in æternum.

Itaque manet in æternum Eccleſia: & ex vi conſequentis quum in Verbo Dei Eccleſia conſeruetur, efficitur, Verbum Dei eſſe primariam illius notam: vt in homine, animam qua homo definitur: quippe cuius præſentia ſit hominis vita, abſentia verò mors. Atque hęc quidem de re.

De iocis verò tuis, Ieſuita, nihilne dicam? Apoſtaſia tua, tuóque Ieſuitiſmo apprimè dignum eſt vt in irriſorum Cathedra ſedeas: at vt tuis Vertumnis minimè mutabitur Veritas, ita neque tuis iocis eludes iuſtitiam Dei: in cuius archiuis (vt tuo verbo vtar) inſculpta eſt blaſphemiarum tuarum memoria: è quibus Hippolitea illa diſtinctio non te vindicabit quin Filius Dei quẽ non modò negas, ſed furioſè etiam perſequeris, te neget coram Patre ſuo, & te detrudat in eum locum in quo non iocus eſt, ſed ſtridor dentium. Ais te planè ignorare quidnam ſit illa Veritas, & eadem illa Veritas. Scito eandem illam eſſe de qua aiebat Pilatus, Quid eſt Veritas? At vide etiã atque etiam ne tuo tandem dãno intelligas quid ſit obluctari cognitæ Veritati, ne Deum in minis

Hayi mira ſubtilitas qui ex neſcioquo Hippolyto affirmat vocabulũ ἀρνοῦμαι eſſe vnam ex Antichriſti notis, quã à nobis vſurpari dicit veluti illius ψευδεφώνως. quũ tamẽ

ſuis veracem tandem aliquando experiare. Quòd ſi propter mendum typographicum inſcitię crimen mihi impingis, ſaltem patere legem quam tu ipſe tuliſti: & in eodem penè verſu quo me reprehendis; & pag. 33. & 56. eundem planè typographicæ operæ lapſum recognoſce. At quidnam eſt nugari, rerúmque inopiam prodere, ſi hoc non eſt? dicat Chriſtus negaturũ ſe coram Deo eos qui ſe negauerint corã hominibus.

TESTIMONIORVM TVM è Scriptura tum ex orthodoxis Eccleſię Patribus deſumptorum, quibus priori libello meo probabam, *Verbum Dei eſſe Eccleſiæ notã*, HAYI OPPVGNATIO & MEA DEFENSIO.

Teſtimoniorum autem illorum hæc eſt œconomia & ſeries.

Primus locus è Veteri Teſtamento deſumptus docet, & fœdus quod cum Eccleſia ſua pepigit Deus, ipſius Verbo inniti: & illud Verbum in Eccleſia ſonare, illiúſque miniſterium & effectum ſemper fidelibus conſtaturum, vt à profanis cœtibus diſtinguatur.

Secundus locus è Nouo Teſtamento petitus, idem illuſtrius docet ex ipſius Chriſti ore Eccleſiam ſuam ſuo Verbo colligentis, illiúſque vim obſignantis in cordibus ſuorum fidelium. Tum oſtendit fugiendas eſſe omnes peregrinas doctrinas: quæ ἀναστάσεις erat hîc neceſſaria.

Quatuor Auguſtini loci accedunt veluti commentarij huius veritatis: quemadmodum ex ipſa lectione perſpicuum erit.

De loco Isaiæ cap. 59. 21. *Hoc fœdus meum cùm eis dixit Dominus, Spiritus meus qui in te est & verba mea quæ posui in ore tuo &c.*

HAYVS.

Nihil hîc habes de scripto Verbo. Eualue & inuestiga diligẽter singula & si scripti Verbi aliqua hîc fiat mentio, nos causa cecidisse ingenuè fatebimur. &c. pag. 50. & 51.

SERRANVS.

Accipio cõditionẽ. Te igitur & testẽ & iudicẽ appello, Lector erudite, vt si de Verbo scripto hîc mentionẽ fieri ostẽdero, è pacti cõuẽti formula pronũties Hayũ causa cecidisse: quãquã nõdũ erat necesse me de scripto Verbo agere: cũ ex lege κατ' ἐξοχὴν generalius primo loco erat demõstrandũ, nimirũ Verbũ Dei esse Ecclesiæ notã: antequã ille ludVerbũ esse Scripturã, i. Verbũ scriptũ ostẽderẽ. Idcirco duplex Axioma de industria distinxerã. Hoc tamẽ Hayus largior: quum etiam non sit verũ Dei Verbũ, nisi Scriptũ.

Hayus proprio affensũ tenetur.

Cedo igitur, mî Hay, id rẽ ipsam accedamus. Constat Mosis libros fuisse scriptos ante tempus, nécne? Id vt ἀνώμοσον nõ negabis. Hoc verò fœdꝰ de quo loquitur Propheta, éstne extra Christũ, an in Christo? Certè oẽs promissiones Dei sunt in Christo Etiã & Amẽ. Fœdus cũ Abrahamo sanctiũ, nõne ad Christũ refertur? Omnino fœdus illud cũ Abrahamo initũ, *Ero Deus & semini tuo*, nullũ aliũ habet autorẽ quã Christũ. Sic Apostolus, cõmodantí mysterij interpres, SEMEN illud de Christo interpretatur. Quũ vnus sit Deus, vnus Christus, vnum Deus in Christo fœdus, vna veritas, vnáque adeò Ecclesia: perspicuũ est fœdus cũ Abrahamo olim initũ, illud ipsũ esse fœdus qꝺ Deus cũ Christiana Ecclesia his extremis tẽporibus sanciuit. His positis, nostra cõtrouersia, Hay, sic dirimatur. Loquitur Isaias de vnico illo sẽpiternóq; Dei fœdere cũ Abrahamo in Christo & per Christũ inito. Atqui hoc fœdus erat scriptũ Isaiæ tẽpore. Ergo de Verbo scripto loquitur Propheta. Luculẽta est probatio ex ipsis verbis. ait. n. *Verba mea quæ posui in ore tuo.* Loquitur haud dubiè de eo verbo quod iam extabat & erat Ecclesiæ cognitũ. Ecquis igitur nõ videt Prophetã reuocare fideles ad legẽ

Perspicuis argumentis probatur, Isaiã loqui de Verbo scripto.

2. Cor. 1. 18
Gal. 3. 16.

& Prophetas, sicuti ipse loquitur alibi? Certè princeps primariúsq; finis Legis est Christus. Motus literæ ad Christũ reuocãt. Prophetarum cõciones totæ sunt in illo vno subiecto: hũc habẽt finẽ propositũ ad quẽ totę collimat. Iã & illa verba Prophetæ sunt expẽdenda, *Nõ recedẽt ab ore tuo, nec ab ore seminis tui*: quibꝰ significat vnicã veritatẽ vnicę Ecclesiæ semper cõstaturã: at quũ perspicuũ sit illũ de iis verbis egisse quę suo tẽpore scripta extabãt, ecquis quoq; nõ videat eũ his vltimis verbis designare Euãgeliũ Apostolorũ literis cõmendandũ, & nũc in vltima hac Ecclesię ætate luculẽter ab illis perscriptũ: ac proinde Prophetã hac quoq; ratione hîc agere de Verbo scripto? Euici igitur, Lector, Hayus labat.

Sed quũ mihi sit res cũ aduersario neq; æquo neq; pudẽti, iuuat illũ suis quo ; verbis cõuincere, vt se causa pœnitẽ cecidisse fateatur. *Fateris*, Hay, *describi hoc loco fœdꝰ quod in Christiano populo Dominus facturus erat eiusmodi futurũ, vt nõ in tabulis lapideis incideretur, sed in hominũ animis exararetur: & Spiritũ Christi Dom. Ecclesiæ datũ, eã nunquã deserturũ, esseq; eiusdẽ, vt in perpetuũ Christi amorẽ hominũ aures diuinis laudibꝰ personẽt.* Agnoscis tua verba. Quæro à te. Illud fœdus qꝺ Deus cũ Christiano populo facturus erat olim quũ Propheta loquebatur, nũc post aduẽtũ Christi, solẽni Euãgelij prædicatione, factũne est nécne? Nõ negabis, opinor, fœdus illud à Prophetis prædictũ, à Christo perfectũ, & Apostolorũ literis fuisse perscriptũ: vt Euãgeliũ Prophetarũ quoq; testimonio cõprobetur. Licet aũt fœdꝰ illud in animis fidelium insculpatur per Spiritũ S. nõ desinit tamẽ idẽ esse in ore fidelium, sicuti disertè ait Propheta. Imo primũ auribꝰ insonat, in ore est, vt in corde sit. Illud aũt esse Apostolorũ doctrinã, perspicuè testatur Paulus, *Prope te verbũ est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamꝰ*. Nũquid hoc illud ipsũ est de quo Prophetа loquitur? Illũd ipsum qꝺ Paulus & cęteri Apostoli scripserũt, vt posteris seculis ab Ecclesia cognosceretur? Si Verbo tuo nõ scripto, Iesuita, Illustrissimũ in Ecclesia locum delegisti: aliquem saltem angulum Prophetarum & Apostolorum scriptis in Ecclesia nõ relinques? Te igitur tuo ore cõuinci nõ vides, bone serue? De scripto Verbo Prophetam agere ex omnibus circunstantiis euinco. Loquitur enim perspicuè de eo fœdere quod iã ex-

Rom. 10. 8

Universidad de Deusto
Biblioteca

tabat literis perſcriptum. Sic præteritum tempus ſignificatur. De eodẽ illo fœdere quod ipſe ſuis hominibus & voce & ſcripto annuntiabat. Ita præſentis temporis articulus notatur. De illo denique quod Eccleſiæ ſemper erat conſtaturum, quod ſolenni nimirum Euangelij voce per Apoſtolos prædicatum, eorundem literis perſcriptũ, ad nos peruenit. Ita futurum tempus deſignatur: ac proinde ex omnibus temporis momentis perſpicuum eſt Prophetam hîc loqui de Verbo ſcripto, qui de Chriſto tam luculenter concionatus eſt vt Euangeliſtæ nomen apud orthodoxos Eccleſiæ Patres inuenerit. Itaque peto à te, eruditè Lector, vt de mei Hayi & conſcientia & ſcientia iudices, eúmque è pacti cõuenti formula pronunties cauſa cecidiſſe. Æquum poſtulo. Hoc primum cõtrouerſiæ caput mihi iure adiudicari debet, dum quod reſtat, perſequor.

Excipit enim Hayus, *quamuis mihi dederit Iſaiam eo loco nominaſſe ſcriptum Verbum, non tamen reſtare me concluſurum eum ſenſiſſe ſcriptum Verbum eſſe Eccleſiæ notam.* Ego verò affirmo id neceſſario conſequi, & ex ipſis Prophetæ verbis & ex vniuerſa loci ſententia. Hanc enim præſentiæ ſuæ Eccleſiam ſuã ſemper comitaturæ notam Deus per Prophetam pollicetur, quòd Verbum ſuum Spiritus ſui virtute efficax nunquam ſit ipſi defuturum. Certè verba illa, *Non recedent ab ore tuo & in ore ſeminis tui*, ſignificant in vaſta Eccleſiæ calamitate hanc notam fidelibus relictã iri, vt Verbi illius ductu & auſpicio directi certò ſibi in animũ inducerent, ſe eſſe Eccleſiam Dei: ac proinde & ſe curæ eſſe Deo, & ſe à profanis cœtibus diſtingui, quibus tamen miſerã ſeruitutem ſeruiebant. Ecqua enim alia nota cẽſes, Hay, Iudæos exules à victoribus Babyloniis diſtinctos fuiſſe? Tu ne

Ex hoc quoque Prophetæ teſtimonio probatur, *Verbũ Dei eſſe veram Eccleſiæ notam.*

ne autem arbitrabere miſeras illas Iudæorũ reliquias non fuiſſe Eccleſiam Dei? Hoc certè Prophetæ conſiliũ eſſe nemo ſanus dubitabit expenſa loci ſententia, vt deſolatam nimirum Eccleſiã hoc Verbo conſolaretur, in quo ſalutis ſuæ ſpem ipſa inueniret. id eſt diſceret à Verbo Dei fœdus ſempiternum cum ſe initũ fuiſſe à Deo, & ea quidem lege vt ſe quidé ſit propter peccata ſua caſtigaturus, ſed non derelicturus, ex formula fœderis: *Si dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo quidem virgis defectionem eorum: ſed benignitatem meam non auferam ab eo, neque mentiar contra fidem meam: non profanabo fœdus meum & pronuntiatum labiorum meorum non mutabo.* Ecqua igitur illuſtrior Eccleſiæ nota conſtabit quàm in Verbo Dei? vbi enim hoc diſcet Eccleſia niſi in Verbo Dei? Veram igitur germanámque Prophetæ ſentẽtiam Lector animaduertit, etiamſi Hayus conuictus obloquatur. Pſal. 89. 32

Itaque τοκαταπόδσις, & ex manifeſtis cũ ego agã. Cedo igitur, Hay, quænã Eccleſiæ nota viſibilis, i. inſigne quo Iudæi à cæteris nationibus diſtingue bãtur: nónne Circunciſio? Hoc te negaturũ, Hay, nõ arbitror. Circunciſionis verò écquod fuit fundamentum: nónne fœdus cum Abrahamo initũ, de quo loquutum fuiſſe Prophetam demõſtrauiſſe mus? Certè, inane fuiſſet Circunciſionis ſignum ſine legitimo vſu: nullus autem fuiſſet illius vſus, ſine Verbo. Hoc perſpicuè docet Apoſtolus, quũ Circunciſionem σφραγίδα δικαιοσύνης ſignaculum iuſtitiæ vocat, qua nimirum iuſtitia fidei, quæ eſt peccatorum remiſſio & iuſtitiæ Chriſti imputatio, obſignabatur, & σημεῖον, ſignum: quo videlicet vt externa & viſibili teſſera Iudæus à Gentili diſcriminabatur. Ecquis igitur non videt Verbum illud Dei externo Circunciſionis ſymbolo obſi- Rom. 4. 11

gnatum, veram illustrémque fuisse Ecclesiæ notã: & in hunc finem fœderis illius testimonia à Propheta fuisse Iudæis commemorata, vt quum se circuncisos viderent, animos suos ad fœderis cum patribus initi spem reuocarent, illiúsque fœderis veram intelligentiam discerent à verbis illis quæ in ipsorũ ore Deus posuerat, & quæ Mosis & Prophetarum scriptis commẽdata ipsorum oculis obuersabantur: vt sancti illius fœderis monumentis commonefacti, animos suos instaurationis spe sustentarent? Veram igitur Ecclesiæ notã in Verbo Dei constare, ex hoc Isaiæ testimonio perspicuum est: atque ex vi consequẽtis, & rectè à me fuisse laudatum, & perperam ab Hayo reprehensum.

Cæteras nugatoris quisquilias sciens volés negligo, quum neque de re sint, neque ad rẽ faciant, nisi vt Iesuiticam dementiam prodãt: & hæc μολυκεῖα in scoriis iã euerrerim: Quòd nota arithmetica 4. pro 9. posita, me Isaiam non legisse prodat, sédne apud me quidé fortasse autographum esse: Quòd locũ à Caluino fuerim mutuatus, neq; tamen intellexerim, vt sint mihi Caluiniano Caluinianæ doctrinæ elementa discenda. Quid non denique ἀδυεσώμος Iesuita vt loquatur: & loquẽdo vicisse videatur? Te tamen causa penitus cecidisse, lege etiam à te lata, Hay, memineris.

De loco Ioannis 10. v. 4. *Oues meæ audiunt vocem meam & sequuntur me, alienum autem nequaquam sequentur* &c.

HAYVS.

Ineptiarum tuarum præsidium omne in hoc Ioannis

Ioannis testimonio videris collocasse, quum non tantùm caput, sed & versum (licet mendosè) citaueris, non enim versu 4. sed 2. verba quæ citasti scribuntur &c. pag. 51.

SERRANVS.

Non ineptio, Monache, quum veritatis eius quam aduersus te defendo, præsidiũ in veritate collocarim, & diserta Christi verba attulerim: sed tu blasphemas in oppugnanda veritate, & in me reprehendendo ridiculè ineptis. Ais enim me mendosè versiculum citasse, quasi hæc verba non scribantur versu quarto sed secundo. At egregiè falleris nam quarto versiculo hęc ipsa verba scribuntur non secũdo, vt perspicuum est. Erroris tui variæ referebantur causæ. Quidam falerni Turnonij (quo tu impensiùs vteris, propter stomachi fortasse tui à te sæpius indicatam firmitatem) nimis ceruicosum robur: quidam σκληροσώμου tibi vernaculi vertiginem dicebãt esse causam. Ego verò & male sanũ veritatis odium quo animus tuus percellitur, & futilem reprehendẽdi libidinem, dementiæ illius tuæ veram causam esse arbitrabar. quò fit vt in tricis leuiculis dũ rerum penuria laboras, passim immoreris, ne nihil dixisse videaris. Explenda erat libri tui moles firmis argumentis, non harum nugarum fimis: quarum me sanè pudet, quia te tui non pudet. Atque hæc quidem in testimonium Ioannis à me citatũ Hayus opposuit: quæ quãti sint quis non videt? Vera igitur est mea demonstratio quæ hoc Christi oraculo maximè innitebatur, sicuti in ipso disputationis primordio, nondum contestata lite demonstrabam.

Virulenta Hayi scurrilitas de rebus nihili triũphum captans.

De loco Augustini contra Petil. epist. cap. 10. *Habeo manifestissimam vocem pastoris mei,* & cęteris locis.

HAYVS.

Voluisti deinde grauissima D. Augustini interpretatione iugulum nostrum petere. Catholici non dissident ab Augustino, vt te existimare coniicimus qui eius nuda verba profers. Tuum erat theses nostras argumētatione aliqua improbare. Cōcedimus quidem tibi in Scripturis haberi vocem Domini commendantis Ecclesiam. At inde non efficies, Verbum scriptum esse Ecclesiæ notam, quasi illi vera essent Ecclesia, qui Scriptum verbū proferunt. Hoc Lutherani, Trinitarij, Anabaptistæ faciunt: fecit & Diabolus. pag. 51. 52. 53.

SERRANVS.

Augustini autoritas apud nos magna.

Augusta profectò nobis est Augustini autoritas quem ex omni Antiquitate vt maximū Theologum reueremur. Ad mendacium refellendum vt illustriorem ita nec validiorem autorem habebamus quem tibi opponeremus. Cum illo enim Catholico nobis Catholicis præclarè conuenit. Christi autem & Ecclesiæ autoritas, nobis est firmissima argumentatio. Tu verò id cōcedis quod continuò negas. Si enim in Scripturis commendatur Ecclesia, & sine vllis ambagibus exprimitur vbinā sit vt eam inueniamus, & in ea constanter perduremus: qui non efficiatur, Verbum scriptum esse veram illius notam: quum illius ductu atque

Sibi repugnat Hay' id ex Augustino concedēs quod ex se negat.

atque auspicio Ecclesiam esse inuestigandam ex Augustino disertè fatearis? Certè docet ille eos esse Veram Ecclesiā qui Verbum Dei amplectantur & illo vno acquiescant. Hanc enim verā germanámque Augustini sententiam esse, ex ipsius verbis perspicuum est: sicuti & tu vi veritatis cogeris confiteri. *Si quoq; ea beneficia quibus Deus ornat Ecclesiam, sacrarum literarum monumentis produntur: si quum de fidei rebus orta controuersia ex Scripturis commodè sedari potest, insanus esset qui neglecta Scripturarum autoritate in vllius hominis sententia acquiescendum esse existimaret:* (sicuti tu totidem verbis ais) túne satis sanus es, mî Hay, qui neges in cōclusione quod ponis in propositione. id est qui neges id consequi quod affirmaueras? Ne tamen ad ἀφωνίαν redactus esse videāris, ad vernaculas illas tuas & motatorias (vt Augustini vocabulo vtar) tergiuersationes confugis, verba & voces offundis quæ te in luto hærere produnt: Augustini sentētias quæ ad rem minimè pertinent, describis: vt imperitis rerum ęstimatoribus loquutus saltem fuisse videaris. De Augustino autem mox viderimus, & quā turpiter illo abutamini ad ψευδωνύμου vestræ Ecclesiæ tyrannidem stabiliendam: & contrà quàm rectè nos illo vtamur ad verè Catholicę naturam designandam: at ordo postulat vt tuum argumentum quod obiter ingeris è tuis labyrinthis euolutum, & à nobis sic conformatum & expēdamus & refutemus.

SECVNDVM HAYI ARGVMENTVM.

Si Verbum Dei est Ecclesiæ nota, soli Ecclesiæ proprium esse debet.

Atqui non est proprium Ecclesiæ, quum illud hæretici & Sathan proferant: Ergo non est Ecclesiæ nota.

Abusus ab vsu distinguendus.

Respondeo, crassissimum, & vt doctissimi viri verbo vtar, ψλαφητὸν esse dolum accidentis: perinde ac si quis diceret, Vino cõplures inebriãtur. Vinũ ergo planè noxiũ est, ac proinde è societate generis humani reiiciendum. Rerum omniũ quãtumlibet bonarum abusum à vero legitimóque vsu distinguendum esse quis nescit? Certè nõ est rei proprium vel ἐσῶσθες vel ἐπουσιῶσθες, sui abusus. Itaque vt rem vno verbo complectar, (quum hac de re & aliàs egi liberiùs, & infra cogar agere) abutentur Verbo Dei hæretici, Iudæi, Sathan, Iesuitæ & omnes phanatici: non tamen efficiunt vt sempiternæ illius veritatis quæ in Verbo (quantumlibet ipsi insaniant) dominatur, vis & natura vllo modo commutetur. Num impius illorum furor fidem Dei inanem reddit? Absit: imo esto Deus verax, perstet Veritatis in verbo suo autoritas: omnis autẽ homo mẽdax, & inter omnes homines ij qui patrem mendacij patronum adoptarunt vt bellum veritati indicerent, Iesuitæ nimirum tenebrarum filij, lucis iurati hostes. Aduersus illorum omniũ latratus seipsam tuebitur Veritas. Nam profanis hominibus Verbo Dei abutentibus Verbũ Dei opponendum est, Christi exemplo, qui Sathanã Verbo Dei abutentẽ eodem Verbo refutauit. Hoc ἀλεξιφάρμακον & præsentissimum amuletum sibi relictum esse nouit Ecclesia in Verbo illo in quo seipsam nouit. Valeat igitur accidentarium Hayi argumẽtum: cuius quum iugulum petat Augustinus (sicuti Hayus ipse loquitur, vulnus quidem persentiscens, illud tamen thrasonicè eludens) operęprætium est & addestruendum mendacium, & ad astruendam veritatem, vt huius de Ecclesia controuersiæ cognitor accedat Augustinus, nostro quidem iudicio tantæ causæ idoneus arbiter: eo autem nomine à nobis optandus, quòd illius vt vniuersæ Antiquitatis autoritate passim gloriẽtur Iesuitæ, eámque nobis aduersari calumnientur. hæc enim iactabundus Hayus.

In tertio Anti Iesuita.

Rom. 3.

Hæretici Verbo abutentes per idem Verbũ refutantur.

HAYVS.

Tenuis est sanè Patrum qui pro te faciunt, copia: imo, vt verum dicam, ne vnius quidem Doctoris Ecclesiæ testimonio τὸ σὸν ἄτοπον confirmare poteris. &c. pag. 53.

SERRANVS.

Agè igitur, Hay, experiamur num verum dicas. Ille vnus Doctor iudex sedeat nostræ controuersiæ, ex vno illo, è quo tria testimonia desumpsi de vnitate Ecclesiæ libro, hæc controuersia diiudicetur. Sic omnia in Vnum redibunt. Vnus Doctor, vnus liber, vna Ecclesia, vna veritas, vnus Deus. At tu non eris vnus dũ à veritate coactus, cogeris sententiam commutare. Et multiplex sanè est mendacium. Nostráne sit Antiquitas néne, primus Augustinus doceto: cæteri Patres mox adiungent sua suffragia. Eadem omnino controuersia inter Catholicos & Donatistas olim agitabatur, quæ inter nos verè Catholicos & vos fallò Catholicos & verè Pontificios hodie agitatur. Donatistæ penes se solos Ecclesiam esse gloriabantur: penes Catholicos eã esse pernegabãt. Idé Pseudocatholici, id est Catholici Romani planè faciunt. Sibi id arrogant quod nobis derogãt

Catholicorũ & Donatistarũ cõtrouersia cũ nostra aduersus Põtiũcios instituta communis.

& demunt. Verùm Augustinum ipsum audiamus.

ILLVSTRES AVGVSTINI loci, in quibus tota hæc de Ecclesia quæstio inter nos & Pōtificios hodie controuersa luculenter tractatur & definitur. Ex LIB. DE VNITATE ECCLESIAE.

CAP. II. Eodē planè ordine Augustinū vti in hac de Ecclesia quæstione tractanda quo nos vtimur, Lector animaduertat.

QVID SIT ECCLESIA.

QVÆSTIO inter nos versatur (inquit Augustinus) *vbi sit Ecclesia, vtrùm apud nos an apud illos.* Sed antequàm de notis Ecclesiæ agat, docet breuiter quid sit Ecclesia. *Quæ vtique vna est,* inquit, *quam maiores nostri Catholicam nominarunt, vt ex ipso nomine ostenderent quia per totum est. Secundum totū enim καθ' ὅλον græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia, corpus Christi est.* &c. *Totum igitur quod annuntiatur de Christo, caput & corpus est: Caput est vnigenitus Iesus Christus Filius Dei viui, ipse saluator corporis sui &c. Corpus eius Ecclesia. &c.* Vnde perspicuum est Augustino incognitam fuisse Iesuiticam doctrinam quæ vni Ecclesię duo capita affingit, vt sit biceps Ecclesia: & Catholicam Ecclesiam Romæ includit, vt sit particularis vniuersa: sicuti à nobis est suo loco explicatum.

QVÆ SINT illius NOTÆ, vt earū cōmōstratione ipsam vbinā est inueniamus. Verbum Dei esse verā Ecclesię notā. Huic autē Verbo opponit verba hominū.

Inter nos autē, inquit, *quæstio est vbi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui Veritas est & optimè nouit corpus suum. nouit enim Dominus qui sunt eius.*

Porrò diuisionis illius *De hominum verbis, & de Dei Verbo*, membra singulatim edisserit: in illis negat quærendam esse Ecclesiam, hoc autem vno eam affirmat inueniri, hanc esse veram certámque illius notam quæ caput ostendat & corpus. De Verbis autem hominum (explicatis singulatim Donatistarum exceptionibus, prout disputatio ferebat) hæc vniuersè Augustinus.

Sed vt dicere cœperam, non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: *sed audiamus*, Hæc dicit Dominus. &c. illum enim locum iam notaui. &, *Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiā demonstrari.* &, *Accipiamus per os Isaiæ sancti diuina responsa, & eius ora tanquam diuina oracula suscitemur. Sileant humanarum contentionum animosa & pernicioſa certamina: inclinemus aurē Verbo Dei.* &, *Has Ecclesias non ex Conciliis cōtendentium Episcoporum, non ex disputationibus nouitiis, non ex forensibus & municipalibus gestis, sed ex literis sanctis canonicis. Antiochena Ecclesia, vbi primùm appellati sunt populi Christiani* &c. Apostolicarum & verè Catholicarum Ecclesiarum longum catalogum contexit: de primaria siue principe Roma, merum silentium. *Nouicias disputationes* vocat, quæcunque post Apostolorū tempus, & sine illorum doctrina fuerunt agitatæ. Concilia vestra disertè carpit: Constantini, (sicuti putidè affirmatis) siue potius Phocæ donationes lacerat. quæ certè vt nondum ipsius tempore contigerant, ex eiusdem tamen veræ doctrinæ vi haud dubiè notantur. &, *Remotis ergo*, inquit, *omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrant, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, nō in Conciliis Episcoporum suorū, nō in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis*

CAP. III.

CAP. VII.

CAP. IX. Quænam sint illa hominum VERBA, in quibus nec quæri debet nec inuenitur Ecclesia. Concilia quæ sint Nouicię disputationes

CA. XVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sermones & rumores.

fallacibus: quia etiam contra ista Verbo Dei preparati & cauti reddi ti sumus &c. Sermones & rumores hominum, vocat commenta sine Verbo Dei: vt Petrum fuisse Romæ: quę quidem communis fuit & peruulgata hominum sententia, nullo tamen Verbi Dei testimonio innituntur. Concilia quoque vestra ἀδιάφορα notat, quæ cõtra antiquorũ Conciliorum autoritatem primatũ Romanæ Ecclesiæ tribuerunt. *Disputatorum* quoque appellatione, Scholastici vestri notantur, vt Antichristi mancipia, ita Antichristianæ tyrãnidis fulcra. *Signa denique & prodigia* indicans, miracula illa vestra digito commonstrat sine quibus Antichristi præsentiam non affuturam prædixerat Scriptura. De quibus miraculis idem Augustinus sic disertè eodẽ loco, *Remoueantur, ista vel figmẽta mendacium hominum vel portenta fallacium spirituum. aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus.*

Disputata Scholasticorum.

Miracula falsa.

2. The. 2. 9

De Verbo autem Dei, certa ad inueniendam Ecclesiam nota, tam luculenter concionatur, tam planis, perspicuis, repetitis verbis illam vnam veræ Ecclesiæ notam statuit, vt mihi mirum videretur, Hay (nisi esses Iesuita) te tam apertę veritati ausum fuisse respõsare: nisi vt mendaci) reus ex teipso peractus, id sis præstiturus de quo tamen minimè omnium cogitabas, vt nimirum eorum complures quos vestrorum rumorum sermonúmque fascinis adhuc detinetis, dum hæc legent, & cum Augustino conferent, è vestris laqueis sint se extricaturi. Atq; locos à me iam citatos ne repetam, hi sunt loci in eodẽ libro illustrissimi, qui doceant Verbum Dei esse certam verámque notam Ecclesiæ.

VERBVM DEI verã essecertãque notã Ecclesiæ, Augustinũ censisse, ex his luculentis testimoniis lector perspiciat.

Si a-

Si aliud declamas (inquit Augustinus) *vel recitas, nos post vocem Pastoris nostri, per ora Prophetarum, per os proprium, per ora Euangelistarum apertissimè declaratam voces vestras nõ admittimus, non credimus, non accipimus.* Quæ sunt oues meæ, *inquit Pastor cœlestis*, vocem meam audiunt & sequuntur me. *Vox eius de Ecclesia non est obscura. Quisquis ab eius grege errare non vult hunc audiat, hunc sequatur.* Et alibi iubet quærendam esse Ecclesiã *in præscripto Legis, in Prophetarum præditis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est in omnibus Canonicis sanctorũ librorum autoritatibus.* Quænam autem sit illa Verbi Dei autoritas sic luculenter exponit: *Ipsum caput de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum de quo dissentimus, vt per eius verba iam dissentire desinamus. Ille est autẽ vnigenitus Filius, & Verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate, quod est Verbum Dei, manifestaretur eis quod dicerent, & iuberetur vt dicerent. Proinde prioribus tẽporibus per Prophetas sonuit Verbum Dei. Deinde, per seipsum, quum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Deinde, per Apostolos quos misit ad se prædicandum, vt esset salus vsque ad finem terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia.*

CAP. XI.

CA. XVI.

CA. IIII. & XVI.

Vnicum Dei Verbum Scriptura.

Quid his vocibus veracius, quid diuinius, quid manifestius? Me quidem piget tot tantáque testimonia proferre, vt Ecclesiã illius verbis commẽdem: non tamen Hayum pudet eam illius verbis oppugnare. De tota igitur hac controuersia iudicet Augustinus inter nos & Iesuitas, & apertè expl cet num aliud quodpiam Dei Verbum præter id quod superioribus verbis definiit, agnouerit,

CAP. IX.

Nullum aliud esse Dei Verbum quã Scripturã

Sic nimirum ille. *Fidelissimus dispensator eius doctor gentium in fide & veritate, quia ipse in eo loquebatur, hæc dicit*, Miror quòd si tam subitò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium. quod non est aliud, nisi aliqui sunt conturbantes vos, & volentes euertere Euãgelium Christi. Sed licet nos aut Angelus de cœlo vobis euangelizauerit, præterquam quòd euãgelizauimus nobis, anathema esto. Vnde colligit Augustinus de Donatistis, *si ab illo Verbo descuerint, vt sint anathema: si in Scripturis Ecclesiã legant, ne sint anathema.* Ita quoque ego de Iesuitis planè statuo. Quòd si dicant se quoque afferre Verbum Dei, & coguntur fateri in Scripturis cõmendari Ecclesiam, cur negant Verbum Dei esse Ecclesiæ notam, quum illius vnius ope Ecclesia inueniatur, & in illa existat maximè? Deinde, qua fronte restringit Hayus autoritatem Scripturæ? *Quum de fidei rebus orta controuersia*, inquit, *ex Scripturis commodè sedari potest, insanus esset, qui neglecta Scripturarum autoritate in hominis vllius sententia acquiescendum esse existimaret.* quod certè significauerat Augustinus, vt supra dixi. Idem igitur iudicet de terminis motis & finibus regũdis. *Quæ* (ad Ecclesiam pertinent nimirum, de his enim agit) *si in Scripturis sanctis nõ inuenirentur, nullo modo esset vnde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura.* & *Mementote quid illi diuiti dictum sit, quum apud inferos torqueretur, & ad fratres suos aliquem ex mortuis mitti vellet*: Habent illic, *inquit*, Moysem & Prophetas. *Et quum ille diceret, non eos credituros, nisi ad eos isset aliquis mortuorum:* Si Moysem, *inquit*, & Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis resurrexerit, credẽt. Ecqua est ergo, Hay con-

cõtrouersia, quæ ex Scripturis sedari cõmodè nõ possit: aut si quid inuolutissimum, atque iudicatu difficillimum inciderit, quod nonnisi maxima autoritate componi possit: quænã maior dari potest autoritas Scripturç sanctæ autoritate? Insanus ergo es, ex tua quidem cõfessione: &, vt ne ab eiusdem Augustini verbis desciscam, *Quid ad hæc dicunt qui Christianos se esse superbissime dicunt, & Christo apertissimè contradicunt? Nos hanc Ecclesiam tenemus, contra has diuinas voces nullas humanas criminationes admittimus. Monet enim nos plurimùm quod Dominus noster ait, cui non credere sacrilegum & impium est, nouissimis verbis suis quæ habuit in terra, hæc primitiuæ Ecclesiæ documenta salubria & nouissima dereliquit. his. n. dictis mox ascendit in cœlum: præmunire voluit aures nostras aduersus eos quos procedentibus temporibus exsurrecturos esse prædixerat, & dicturos esse hîc Christus, ecce illic. Quibus ne crederemus admonuit. Nec vlla nobis excusatio est si crediderimus contra vocem Pastoris nostri tã claram, tã apertam, tam manifestam, vt nemo vel obtusus & tardus corde possit dicere,* Non intellexi. CAP. X.

Denique, vt idem Augustinus hunc sermonẽ suis verbis claudat, *Hæc sunt causæ nostræ documẽta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quòd quotidie scrutarentur Scripturas, an hæc ita se haberent. Quas itaque Scripturas, nisi canonicas Legis & Prophetarum? Huc accesserunt Euangelia, Apostolicæ Epistolæ, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum quo demon-* CAP. XVI

stretis Ecclesiam. Nec verò in huiusmodi testimoniis quæramus Ecclesiam quæ obscurè sunt posita, & figurarum velaminibus inuoluta, & interpretẽ quærunt. Aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat. &c.

CAP. v.

Hęc verò Augustinum aduersus te tuósque dicere non sentis & quidem tam perspicuè ad hãc controuersiam quæ inter nos agitatur componẽdam, vt *contra has voces* (sicuti ille de Donatistis dicebat) *nisi hæretici animosa peruersitate, cæcóque furore latrare non possint: quippe qui victi animositate, nolint vinci veritate.*

Egóne igitur D. Augustini orationem astutè interruperim ex superiori demonstratione luculentis illius verbis conformata, Lector eruditus iudicabit, & Iesuiticum coccysmum perspiciet in manifestæ calumniæ probatione non desinentem perstrepere.

Generalis doctrinæ hactenus explicatæ peculiaris applicatio in quęstionis institutę propria circũstantia.

Itaque, vt quæ vniuersè sunt à nobis allata instituto nostro accommodemus, Quæris, Hay, vbinam gentium sit Christi Ecclesia, si verũ est quod affirmamus, nostras Ecclesias illius Catholicæ esse membra? Respondeo ex Augustino, vel potius è Christo cuius vocem Augustinus interpretatur, *Non in angulo quodam Orbis terrarum*, id est Romæ, vbi sit Pontifex ementito Christi nomine Antichristus, sed *vbicunque prædicabitur Verbum Dei, ibi Ecclesiam esse: & in ea quicunque vocem Christi audierint, Oues, id est ad veram Ecclesiam pertinere credam: sive pauci sint, sive multi*, in Asia, Europa, Africa, America. i. in omnib⁹ vniuersi terrarum Orbis regionibus, vt sit verè Catholica Ecclesia.

Ecclesia, Filiorum Dei nimirũ per vniuersum terrarum Orbem dispersorum collectio & communitas. Catholicæ autem Ecclesiæ multa sunt mẽbra quæ Catholicæ Ecclesiæ appellantur, illa Verbi nota illustres. Quum igitur in Ecclesiis nostris verum Dei Verbum sonet, & à credentibus recipiatur: omnino efficitur eas ad Catholicam pertinere, ac proinde Catholicas esse Ecclesias. Ex eodem autem principio argumentum in Iesuitarum capita sic retorquetur: Quum nulla sit extra veritatem Ecclesia, nulláque illius cõmunio: Iesuitæ autem sint acerrimi hostes veritatis, écquis non videt necessariò effici illos ad Catholicã Ecclesiam minimè pertinere, sed ψευδώνυμον Ecclesiæ larua veræ Ecclesiæ illudere? Atque hæc quidem ad testimoniorum ex Augustino à me citatorum defensionem breuiter dicta sunto. Quid enim ego plura ex infinita Antiquitatis copia commemorem?

Retorquetur argumentũ Iesuitarũ in Iesuitas.

HAYVS.

Hoc est logicè argumentari, silentio inuoluere quæ tuum errorem probare poterant. pag. 54.

SERRANVS.

Est nimirum logicè argumentari, veras solidásque rationes è Verbo Dei & Ecclesię cõsensu petitas ita depromere vt non quàm fusè, sed quàm bene dicatur & ad ipsam quidem rem accommodatè, prouideatur. Nostræ enim Logicæ decretum est, NON QVAM MVLTVM, SED QVAM BENE. At Iesuitica Logica, id est loquacitas & ἄλογος & ὑπερφυῶς λόγος, & sine ratione & sine fine loquẽs,

Iesuitarũ logica rationis & ordinis planè expers.

vt veritatem rerum ita veritatis explicandæ modum ignorat,omnia quôuis loco dicit,concludit in propositione, proponit in conclusione,hactenus se rectè loquutã ratã,modò ne tacuerit, præfricta fronte ad omnem impudentiam peruicax. Hic enim est illius princeps primariúsque finis,vt loquendo vicisse videatur.

Demõstrationis vniuersę œconomia & series ex bene demõstrãdi legibusco formata.

Iam verò ordinis mei ratione atque adeò sermonis seriem sic, Lector,paucis accipito. Acturo de Ecclesiæ autoritate, Ecclesia quídnam ipsa sit erat mihi explicãdum,ac proinde primaria illius nota demonstrãda qua ipsius natura definiretur. Hanc dixi esse Verbum Dei quo Deus Ecclesiam colligit,sanctificat,seruat. Ad hanc igitur Ecclesiæ definitionem rectè constituendam,tria Axiomata à me erant docenda,& ex lege quidem καθόλου generalius probandum erat primo loco, *Verbum Dei esse primariam notam Ecclesiæ*: secũdo secũdum,*Verbum illud Dei nihil aliud esse quã Scripturam*:(erat enim necesse intelligi quódnã sit illud Verbum Dei, quum eo nomine complures abutantur.)tertio tertium,*Omnia ad salutem necessaria in Scriptura siue in scripto Dei Verbo cõtineri*. Ita autem erat progrediendum vt ex lege καθ' αὐτὸ propriæ & certæ probationes adhiberentur. quod me præstitisse ostendunt testimonia ex Verbo Dei & eruditæ Ecclesiæ monumentis deprompta, & ad ipsam rem probandam propriè adhibita. Denique,ex lege κατὰ παντὸς,probationum ξυναλίθειαν & constantiam à me fuisse constitutam,cohærens certóque tenore cõformata vniuersi sermonis series sobrio & moderato Lectori,opinor,ostẽdet: quantùm quidem pro meo modulo id præstare potui. Hunc tamen ordinem à me obseruatum fuisse eruditis iudicibus me probasse confido. Primo igitur Axiomate sic

sic à me probato proximũ est vt ad secundi Axiomatis κένωσιν accedam.

SECVNDVM AXIOMA,

Verbum Dei nullum aliud est quàm Prophetarum & Apostolorum doctrina scripto ab eis commendata, quæ Scriptura proprio vocabulo appellatur.

Secũdi Axiomatis cũ priore nexus.

OSTENDERAM nexum huius Axiomatis cum primo axiomate à nobis iam explicato: videlicet, Deum voluisse Verbum suum sanctis hominibus olim reuelatum literis commendari, ne humanæ opinionis adulterio corrumperetur. Idem ergo planè esse Verbum olim Patribus sine scripto reuelatum,& nũc à Prophetis & Apostolis scriptũ. Fidem autem publicam solennémque Notariorum intercessisse vt de Dei voluntate certò & sine vllo dubio constaret,& perspicuũ esset quidnam habendum sit pro Verbo Dei. Ratum igitur fixúmque esto, Illud esse sine vlla controuersia Verbum Dei,quod Dei mandato Prophetæ & Apostoli perscripserunt: quæ sacra indubitatæ veritatis monumenta vocantur BIBLIA siue SCRIPTVRA. Id ergo nunc agitur vt probemus,Nullũ aliud esse Verbum Dei quàm scriptum. Hoc nos affirmamus, negat Hayus. Ipsius itaque ἐνστάσεις expendamus.

HAYVS.

Si Verbum Dei scriptum est primaria Eccle-

siæ nota, ante Verbum scriptum cognosci non potuit. pag. 54.

SERRANVS.

Antequàm tibi, Hay, respondeam, ἀχνμάπτερν illud tuum & prorsus informe argumentum à me conformandum est: eóque potissimùm nomine quòd in eo proram & puppim colloces. Hoc nimirum ostendis, quum illud decies variis in locis tanquam ratiocinationis tuæ palmarium inculcet. Sit ergo argumentum huiusmodi,

TERTIVM HAYI ARGVMENTVM.

Si Verbum Dei primaria esset Ecclesiæ nota, Ecclesiæ semper fuisse proprium necesse est.

Palmariũ Hayanũ, decies inculcatum

Atqui non semper fuit Ecclesiæ proprium, quia tempus fuit quum non extaret scriptum Dei Verbum, & tunc tamen extabat Ecclesia.

Fuisse ēpus quum nondum esset scriptum Dei Verbũ.

Ergo Verbum Dei scriptum non potest esse primaria Ecclesiæ nota.

Hac de re equidem egi supra in ipso disputationis primordio, quum controuersiæ nostræ vocabula distinguerem: hîc tamen sæpius inculcatũ argumentum à nobis quoque rursum nouis machinis proculcandũ est, vt constet sobrio Lectori hanc cramben sine vlla ratione Hayano palato tantopere arrisisse.

Illud argumentũ refelliturquum vatic pec cet nimirum

RESPONDEO Hay, te tribus quidem strophis illudere Veritati, non ita tamen vt vllum de Veritate trophæum apud eruditos reportes, quibus omnis conatus tuus est ridiculus lusus. Strophæ verò tuæ hæ sunt, *Diuisio, Homonymia, Vitiosum consequens.* DIVISIONIS enim fallaciâ peccas, quum ea diuidis atque discerpis quæ nullo modo seiungi aut possunt aut debent, Verbum Dei videlicet & Ecclesiam Dei. Perinde enim facis ac si animal sine anima definire velles, vel ipsum hominem sine anima rationis participe. Quî autem ECCLESIA esset, nisi è vocis etymo ἐκκαλουμένη, id est vocata: & ἐκλητὸς, voce illa segregata è colluuie generis humani? Quænam verò vox illa est, nisi Verbum Dei? Vocis notatio rei naturam designat. Ecclesiam enim ὄνομα τὸ ἐκκλησίας dictam, quasi Euocatam dixeris, quis nescit? Æternũ quidem est Dei de Ecclesia sua decretum: sed destinato à se tempore ita hominem creauit vt lapsus culpa in homine hæreret tota: instaurationis & redemptionis gloria ipsius gratiæ & misericordiæ tota agnosceretur. E corrupta igitur humani generis massa vt eos seligeret quos ab æterno elegerat, βουληθεὶς, ait Iacobus ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, id est quia voluit, progenuit nos sermone veritatis. Hæc sunt Ecclesiæ incunabula. Vocauit ad se Deus filios suos in Filio vnigenito suo, idque voce Euangelij sui. Ille ipse Filius, ὁμοούσιος Patri λόγος, Verbum æternum & Patri consubstãtiale, Christus per quem creauit Deus hoc vniuersum, ita ex vniuerso terrarũ Orbe colligit Ecclesiam suam. Loquutus est ergo Deus, dixit & facta sunt: æterni illius sui Verbi vim omnipotentẽ loquendo exercuit in Mundi creatione: hæc fuerunt Mundi incunabula. Sic Ecclesiam suam progenuit sermone veritatis, qui sermo Æterni illius Verbi quod pro nobis caro factum est & Ecclesię caput est, vis est & efficacia salutaris. Hæc itaque promissio de Christo generis humani Redẽptore & vero homine, fuit Ecclesię felix μαῖα, obstetricatio, ἀποκύησις, natalia, incunabula: SEMEN MY-

Diuisionis fallacia.

LIERIS CONTERET CAPVT SERPENTIS. Natæ in Adami familia Ecclesiæ accessit commoda nutricatio, & pro variis quidē illius ætatibus apta: adiuncta Verbo Sacramenta, promissio clariùs expressa, ERO DEVS TVVS ET SEMINIS TVI, Mosis & Prophetarum ministerio luculentius significata: donec Christus ipsæ Ecclesiæ suæ caput sponsam suam propria voce, solenni Euangelij præconio ad se vocaret. Ecquis denique Ecclesiam potest animo concipere & verbo definire, sine Verbo Dei? Non magis certè ac hominē sine anima, & huiusmodi quidem anima quę sit λόγος. Iccirco, magnifice Hay, quoniam didiceram è Philosophis Animā esse corporis ἐντελέχειαν hac voce vsus sum vt arctissimam & planè indiuisibilem Verbi & Ecclesiæ coniunctionem repræsentarem, illúdque etiam fundamentum quo Ecclesia vnico innititur: non incōmodo, nisi planè fallor, genere dicēdi: sicuti & Basilius verè Magnus, Pietatem veræ solidæque eruditionis ἐντελέχειαν appellauerat. Atque hæc quidem de prima tua fallacia.

Excipies fortasse te minimè negare hanc Verbi cum Ecclesia coniunctionem: sed non hîc agi de Verbo Dei vniuersè, sed propriè de Verbo scripto. Respondeo hunc quoque secundum esse tuæ fallaciæ nodum, HOMONYMIAM nimirū cū superiori illo Diuisionis dolo connexū. Ita enim agis quasi Verbum antequàm scriberetur & postquam scriptum est, duo essent Dei Verba, quum vnum sit vnius Dei Verbum: vnus idéque ὄντως λόγος, vnum τὸ πρᾶγμα eiusdem Verbi subiectum, Christus: vnum iter, vna veritas, vna via. Perinde enim facis ac si diceres puerum non esse hominem antequàm adoleuerit, neque hominis definitione posse intelligi, quum tamen perspicuum sit vna hominis definitione illius naturam explicari. Atqui vehementer erras. non enim Verbum à Prophetis & Apostolis scriptum, fuit aut Prophetarum aut Apostolorum Verbum, sed Verbum Dei per Prophetas & Apostolos hominibus declaratum. Eò enim spectant Prophetarum & Apostolorum præfationes, *Verbum Iehouæ in manu Isaiæ: Sic dicit Dominus: Euangeliū Iesu Christi secundum Ioannem.* &c. Est igitur hîc crassissimus dolus Homonymiæ. quum enim scriptum Dei Verbum amplectimur, non eò facimus quasi non esset Verbum Dei antequam non esset scriptum, sed quoniam Deus ita suæ Veritati prouidit vt eam scripto voluerit commendari, in eum nimirum finem vt à commentitiis hominum doctrinis distingueretur: Verbúmque illud suum literis cōmendatum, esset perpetua & constans regula suę veritatis. Sicut contrà, quum vestrum illud ἄγραφον siue non scriptum Verbū detestamur, non idcirco faciamus quasi non scriptū sit (quot enim sunt scriptorum vestrorum Non-scripti illius Verbi quod vocatis, plaustra:) sed quòd Scripto Dei Verbo repugnet.

Homonymię strophа.

Denique fallitur & fallit Hayus vitioso consequenti, quū ait Ecclesiam non potuisse cognosci ante Verbum scriptum. Eodem planè modo ac si quis diceret, Nullam esse hominum fidem in cōmerciis antequam interceſſerit Notarij scriptū: quū tamen consensus & fides, non tabulæ efficiāt contractum: licet vtilissimè accedat Notarij manus, vt fides publica fidem priuatam confirmet atque corroboret. Ecquis igitur bonæ fidei homo non videat insulsam Iesuitæ logices consequutionem, Non scriptum erat Dei Verbum Adami, Noah, Abrahami temporibus: Ergo nullum extabat Dei Verbum: vel, A Mose & Prophetis scriptū

Vitioso consequēti.

est Dei Verbum: Ergo aliud quodpiam fuit Dei Verbum quàm quod illis Patribus innotuit? Nũquid te pudet, Hay, blasphemę tuę impudentiæ siue dementię? Imo in te retorquetur argumentũ, Non potuit scribi à Prophetis & Apostolis nisi antea extitisset. alioqui fuisset falsarij: perequè ac notarius qui id in acta referret quod nusquã extaret, quum id quod inter partes conuenerit, scripto commendent. Est igitur necessaria consequutio, Prophetæ & Apostoli verbum Dei, idque Dei mandato, literis commendarunt. Ergo extabat antequàm scriberetur: & quũ sint testes omni exceptione maiores, ministri non autores veritatis, illud ipsum Dei Verbum quod extabat sanctis olim Patribus & sibi reuelatum: atque ex vi consequentis, Vnum idémque Dei Verbum est & antequam scriberetur, & postquam scriptum est. Esset hìc mihi agendum de gradibus doctrinæ illius à Deo reuelatæ quam Scripturam θεόπνευστον vocat Apostolus, sed quoniã Hayus variis in locis hac de re agit, cogor expectare opportunitatem locorum ad vitãdam βατταλογίαν. Atque hæc quidem breuiter in illius argumentum.

Retorquetur argumentum.

HAYVS.

Si tibi Turca aliquid de secta vestra litem moueret, in quo Verbo scripto istam tuam primariam notam inuenires? pag. 54.

SERRANVS.

Si Sectę nomine, sicuti Tertullus Pauli accusator, Christianam religionem intelligis, Iesuita, cũ Turca sic agerem quemadmodum Paulus egit cũ Athe-

Act. 24. 5

Athenienſibus & cũ omnibus Gentibus. E mundi creatione & gubernatione probarem Deum esse, eúmque vt Spiritum & Veritatem in spiritu & veritate colendum. Omnes verò homines impietatis & iniquitatis reos peragerẽ, quippe qui Deum quem nouerunt, non vt Deum glorificauerunt, sed veris illis religionis principiis in varias corruptelas transformatis, sese quoque infinitis sceleribus contaminarint: vt necesse sit eos vel perire, vel ab homine seruari, qui infinitę Dei iustitiæ possit satisfacere. Illum verò hominem demonstrarem esse Iesum Christum, vnicum redemptorem & seruatorem generis humani. Huic deinceps fundamento sic collocato cætera adiũgerem quæ euincerent, Christianam Religionem veram esse: ex perpetua & consentanea conclusionum cum principiis ἀλληλουχίᾳ & serie. Illa autem omnia depromerem è Prophetis & Apostolis, id est è Verbo scripto. Licet enim Naturæ cognitio in animis nostris naturaliter impressa est atque ingenita, per fidẽ tamen intelligimus constructum fuisse mundum à Deo. Fides autem non potest esse sine Verbo Dei, & valdè distat à notitiis omnibus naturalibus, quæ in tenebris humanæ cæcitatis elucent. Quod argumentum Philippus Plessiæus, nostrarũ Ecclesiarũ non Iesuitarum alumnus, verè aureus scriptor luculentissima disputatione pertractauit, & Religionem nostram, id est verè Christianam, à Turcarum, Iesuitarum, Atheorum, Epicureorum (estis enim omnes peræquè in eadem Categoria, veræ religionis hostes, licet variis nominibus mendaciíque inuolucris illudatis veritati) furoribus potenter vindicauit. Hoc ego Turcæ respõderem ex illa doctrina quæ in Verbo scripto pleniùs vberiúsq; tractatur. Hoc addo, Naturalẽ etiam notitiam de Deo & de se-

Naturalis cognitio de Deo in scripto Dei Verbo luculẽtius quã in cõmunibus notitiis explicatur.

Philippi Plessiçive rẽ aurei scriptoris luculentissimũ scriptũ de Veritate Christiana.

licitate esse Legem scriptam, in animis primùm nostris (iccirco γεγραπτὸν νόμον vocat Apostolus) deinde, Mosis ministerio fuisse instauratam Lege scripta.

Rom. 2.

HAYVS.

Scriptum Dei Verbum (non enim τὸ ἄγεγραπται agnoscis) tuo iudicio est quasi ἐντελέχεια. Ecclesia fuit ergo Christi Ecclesia imperfecta ante noui Testamenti ἐντελέχειαν scriptam. & c. pag. 54.

SERRANVS.

Eadē veritas in scripturis Veteris Testamēti quæ in Scripturis Noui.

Quasi verò antequàm noui Testamenti codex scriberetur, non extarent Legis, Psalmorum & Prophetarum libri, in quibus caput & corpus Ecclesiæ hauddubiè inueniuntur: ac proinde non perfecta fuerit Ecclesia, capite & corpore suo absoluta, id est Patres ante Legē & sub Lege Christum Seruatorem non agnouerint: aut aliud docuerint Prophetæ, aliud Apostoli: siue voce siue scripto! Hóccine est negare Verbum scriptum extitisse, ante solennem Euangelij prædicationem Apostolorum literis scripto commendatam? Imo quídnam est insanire, si hoc non est? Non fuit ergo imperfecta Ecclesia Patrum sub Lege, quippe quæ eiusdem Verbi scripti efficacitate, in Christo collecta fuit & conseruata.

HAYVS.

Si Logicogrammaticus tuam infantiam exagitaret, nescio an tua oratio cohæreret. Cogita tibi cum huiusmodi homine negotium esse (nam meum hac de re iudicium non interponam) ne illi repugnare videar qui scripsit, Res contenta doceri. *vis ea quæ sine Verbo scripto in arte aliqua traduntur, disciplinam ab aliquo accipere posse, hoc enim non obscurè significat, tua ex intima Philosophia petita oratio;* quæcunque sine hoc Verbo docentur. *Suscipe quæso hanc curam vt res inanimas tandem ratiocinantes ad normam tuæ nouæ Logicæ habeamus.* Hactenus Logicogrammaticus. pag 54.

SERRANVS.

Quid nescias, tu ipse víderis. Equidem scio & omnes eruditi animaduertunt, te in hac tui Logicogrammatici εἰ φλοποιίᾳ non modò esse insignem & ψωροποιὸν nugatorem, quippe qui in re seria ioceris: sed lymphaticum, qui nescias quid velis. tanta est verborum tuorum obscuritas: quæ idcirco exscribēda curaui vt re ipsa ex tuis ipsius verbis iudicare Lector possit. Quicquid tamen velis, plana hæc est & perspicua verborum meorum sententia: Quæcunque tandem homines de religione constituant siue Verbo Dei, esse peregrina & adulterina commenta: quæ fideles totis animis debeāt execrari, Hoc vocat Paulus ἑτεροδιδασκαλεῖν Christus ἀλλοτρίαν φωνὴν, id est alieni siue peregrini vocem, & iubet fideles fugere illā ξενοφωνίαν. Omnes autē sanæ doctrinæ corruptelas Scriptura ideò vocat *alienam* siue *diuersam doctrinam*, & *vocem peregrini*, quòd vna simpléxque Veritas sit, & vna sanorum sermonum forma: vt

Insulsi Sycophantæ ioci.

Hominū commēta vocantur ἑτεροδιδασκαλίαι & *Voces peregrini* 1. Tim. 1. & 1oā. 10.

qui ab illo Verbo abscedat, is mendacium inducat, quascunque tandem veri species & personas induat. De fidei siue religionis rebus hic sermo est institutus. Cur ergo tuus ille Logicogrammaticus, vel tu potius Λογικογραμματικολαποποιὲ nugator(Sic .n. Dityrambico te Sophista bene cõgruo vocabulo affabor) hoc mihi obiicis de quo neque vnquam cogitari neque ex meis verbis elici vllo modo potest. Est enim magna Ignoratio Elenchi, quo genera rerum permiscentur,& ὕδωρ διάνοιαν inducuntur. quod Sophistarum commentum λόγου φαδιούργημα & scelus, vocarunt Academia & Peripatus.Id nolo quod per dilucidam calumniam mihi imponis, *ea quæ sine Verbo scripto in arte aliqua traduntur, disciplinam ab aliquo accipere posse*(non enim hîc de artibus siue disciplinis humanis loquimur) sed hoc volo,Nefas esse sine DeiVerbo scripto(hoc enim est Verbum Dei, fidei nostræ vna & constantissima regula)quicquam à quôquam constitui quod ad Dei cultum pertineat: & omnia sine illo Verbo & extra hoc verbum commenta, pro hominũ volũtate & arbitratu constituta & decreta(id est ἐθελοθρησκείας, ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας hominum, licet λόγον habeant σοφίας, id est rationem siue speciem sapientiæ, vt inquit Apostolus)esse voces Peregrini, quas Ecclesia de Christi instituto debeat execrari.

Cur itavocentur.

Coloss.2.

Artium& sciẽtiarũ humanarũ propria sunt & distincta principia. August. de Ord.li.

Artes autem & Disciplinæ habent sua principia, suum propriúmque sciendi & demonstrandi modum.Sua illis principia,suas demonstrationes relinquit Verbum Dei:neque sunt ἐπιστήμαι, quũ sint οἰκεῖοι & ξυναληθεῖς διδασκαλίαι & μαθήσεις omnium artium & scientiarum. Quum Logica Ecclesiæ *sit scientia veritatis, disciplina disciplinarum quæ docet docere & discere, scit scire & alios scientes facere:* eadémque suos doceat, Sophistarum calumnias enecare primùm hoc pronuntiat, Μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, ac proinde scelus esse & furorem inuadere in artium & scientiarũ fines. Amentem igitur esse & verè auium Hayum qui velit hac importuna stropha illudere Verbo Dei, quasi sit Lullij & Cabalistarum farrago. Res certè inanimes, amens Sophista, aduersus te ratiocinantur, quæ in sinu sapientis Naturæ Opificẽ suum agnoscant, dum tu miser Apostata insulsos iocos comminisceris aduersus veritatem, neque verò te tam insciteæ dicacitatis pudet. Illæ igitur te increpent, vt olim Asina Balaamum.

2.ca.12. & contra Acad. lib.3.

HAYVS.

Ad tuam libidinem vis Ecclesiæ Christi Maiestatem minuere, quum ipsius de fidei rebus iudicium, hominum esse existimas. pag.54.

SERRANVS.

Est merè Iesuitica περιέργεια. Hoc enim mihi affingit Hayus quod disertè negaueram. Dixeram enim ipsissimis verbis, Res tantas támque augustas quæ ad salutem nostram pertinent, hominũ arbitrio non fuisse homines relinquendas. Hominis ergo fidem Lector consideret.Certè vt Ecclesia verè sit columna & firmamentum veritatis, veritatem suam Deus fidorum notariorũ monumentis voluit consignari,illorúmque sacrosanctã autoritatem esse voluit, & ex communi hominũ numero illos eximere. Hoccine est impiè sentire de Ecclesia Dei, Credere ex Apostoli luculento

Præfracta Hayi impudentia id mihi affingentis quod disertè negaueram.

Ephe.2.20

teſtimonio, eam ſuperſtructam eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, cuius imus angularis lapis eſt ipſe IeſusChriſtus: in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, creſcit vt ſit templum ſanctum Domino? Ita Verbo illo Prophetarum & Apoſtolorum literis Eccleſiæ conſecrato, & fundata eſt & quotidie vel exædificatur vel inſtauratur Eccleſia. Eſt verò impiè ſentire de Eccleſia eiúſque Maieſtatem non modò minuere, ſed, quantùm humana audacia poteſt, planè violare atque peſſundare, id moliri in quo omnis Ieſuitarum labor maximè verſatur: Humanis ſcilicet traditionibus tantùm tribuere, vt pro hominum ſententiis & decretis variè exęq; ἀβάσαντοι (vt inquit Chriſtus) leges conſcientiis imponantur: ac proinde fluctuent & circũferantur quouis vento doctrinæ, quemadmodum ait Apoſtolus Domini ſui commodiſſimus interpres: In his ſcilicet Pontificum & Conciliorum Pontificiorum conſtitutionibus præclarè conſtat Eccleſię autoritas. Quæ igitur Verbo Dei ſcripto per calumniam affingis, écquis non videt Verbo non ſcripto veſtro propriè conuenire?

Quod adiungis, de Verbi antequàm ſcriberetur, vſu, eſt βαττολογία. Huic decipulæ bis iam reſpondi, ne hîc actum agam.

HAYVS.

De Eccleſiæ in rebus ſuæ fidei creditis, conſtantia tuo iudicio Deus videtur dubitaſſe, qui membranis commendauit, quod caſtiſſimæ ſponſæ committere noluit. pag. 55.

SER-

SERRANVS.

Eſt noua βαττολογία. Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, *Membranas* vocat Ieſuita, inuidioſo quidem vocabulo, Antichriſti tamen mancipio apprimè digno. Quaſi verò non idem ipſum ſit Verbum quod Patribus priſcæ Eccleſiæ conſtitit antequàm ſcriberetur: ſitque obſcurũ Chriſtianis, Deum multifariam multíſque modis loquutum fuiſſe, & ad Chriſtum æternum ſuũ Verbum fideles ſuos reuocaſſe externi illius Verbi ſui auſpiciis, quod literarum monumentis commendari voluit, ne hominũ libidini exponeretur? Nõ ſunt, Ieſuita, *membranæ*, aut *humanum iudicium* Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta. Sed hoc primum nos vult noſſe Petrus (cuius nomen impiè prætexit Pontifex Romanus, non ſcripti Verbi faber.) vult hoc eſſe πρῶτον, ἀμεσον, ἀμεταπτωτον, ἀδιαπόπτωτον, πρωτογενὲς, ἀϊδιόθετον ἀξίωμα, id eſt immediatum, infallibile, ſempiternum, per ſe ratum, primigenium, minimè poſitum, ſed ex ſe cõſtans principium, aut ſi quod aliud eſt vocabulũ quo primorum principiorum certitudo & aſſenſus explicari poſſit: *Omnem prophetiam Scripturæ non eſſe ἰδίας ἐπιλυσεως.* id eſt *propriæ explicationis.* i. Nimirum ab humano iudicio arbitrióque eã minimè pendere, non eſſe humanum inuentum, ſed Deum illius eſſe autorem. Quod Prophetæ, Dei mandato, præſentem Eccleſiam docuerant, eiuſdem quoque iuſſu ſcripto mandaſſe vt eadem veritas ad poſteros tranſmitteretur. Hoc perſpicuè ſignificat Petrus, ac proinde hanc controuerſiam diſertis verbis dirimit, quum & loquutos fuiſſe Prophetas dicat, & Scripturæ voce vtatur, vt ſignificet de Prophetis quod de ſeipſo teſtatus erat

Impius Hayi ἄθεος, id eſt Atheiſmus. *Prophetarũ & Apoſtolorũ ſcripta, eſſe membranas:* quaſi Prophetarũ & Apoſtolorũ doctrina ſit humanũ cõmentũ.

2. Pet. 1. 20

idem esse Dei Verbum & antequàm scriberetur & postquam scriptum fuit. Tu igitur vel pharmaco vel supplicio non eges, qui tam luculentæ veritati apertè reluctéris?

Irenæi & Augustini testimonia explicantur.

IRENÆI dictum quod mihi obiicis, non tollit Verbum scriptum, sed verum solidúmque illius vsum ostendit, in veræ religionis & studio & fructu: qui maximus est in mendacio detestando. Illum quoque vsum luculenter describit Augustinus. Hic vsus in seria Dei cognitione, morum integritate & efficaci charitate maximè elucet. Dicendi autem genus est figuratum, sicuti illud Apostoli, *Legem iusto non esse positam*. quod vniuersè & simpliciter dictum, κατὰ τι est intelligendũ, & ad id de quo propriè agitur accommodandũ. vt voluntarium fidelium obsequium significetur qui vltrò Deo obtemperant, & inanis loquacium hominum professio damnetur qui legis cognitionem solo nomine metiebantur. Sic igitur Augustinus ait eum qui magnos fecerit progressus in Christianæ religionis præcipuis virtutibus, fide, spe & charitate, *sine sacris codicibus viuere*: quum id vita exprimat quod Verbũ Dei scripto iubet. At ἐμπείρως hæc dici optimus quisque experitur qui sentit se his adiumentis maximopere indigere. Idcircóne igitur Verbi autoritas eludetur, neque opus fuerit Scriptura? Certè, vt cibo corpus quotidiano, ita & animus Verbo indiget. Hæreditatis iura scriptis probantur. De hæreditamẽ dicetur, illum scripto non indigere vt probet se hæredem esse. Quis tamen dicat inutiles esse hæreditatis tabulas hæredi? Hæreditatis nostræ ius obsignat Dominus in animis nostris per Spiritum sanctum. Ecquis verò præter Iesuitas & Anabaptistas vel huiusmodi phanaticos, dixerit de Ecclesię iure aliquid decedere, quum ius suum è Prophetarum & Apostolorum scriptis probabit Ecclesia aduersus mẽdacium spirituum commenta?

1. Tim. 1. 9

Quomodo sit intelligẽdũ *vere Christianos sine sacris codicibus viuere.*

HAYVS.

Quorsum si ectat hæc tam alitè repetita comparatio Christus Dominus (vt scribit Apostolus) dilexit Ecclesiam, &c. pag. 55. 56.

SERRANVS.

Eò nimirum vt ostendam perpetuam esse in Verbo Dei principiorum cum suis conclusionibus seriem & constantiam, συμπλήρωσιν & ἁλληλουχίαν vera Logica appellat. Est autem illa in hoc argumento huiusmodi, Deus Ecclesiam suã progenuit sermone veritatis. Illam eodem Verbo sanctificat. Illud Verbum est doctrina Prophetarum & Apostolorum ac proinde Verbum illud scriptum, est vera Ecclesiæ nota. Sic primo secundum respondet Axiomati Axioma. Respexeram quidem ad locum Apostoli, sed ἀναγωγικῶς tantũ. non enim patiebatur ordo legitimæ demonstrationis vt de Sacramentis hîc agerem: quæ Verbo ὁμοούσιοι & eiusdem planè essentiæ, atque adeò Ecclesiæ esse notas, dicemus suo loco. At Iesuitarum Logica omnia perturbat atque effundit. Hîc de Baptismo agit Hayus, & suo loco mihi Thrasoni-cè indignabitur, quum de eo agam opportunè. Multiplicium autem commẽtorum Chaos hîc animaduertat Lector, & lympharici erroris vertiginem in luxatæ orationis vndiquaque dissectis atque dissipatis partibus tanquam phrenetici de-

Quorsum de Verbo Dei in hac demõstratione fiat mentio.

Iesuiticæ vanitatis in vanissimis reprehensionibus monumẽtum.

liria recognoscet. Ita hîc nihil cohæret,& rerum cæca ignoratio vagatur, vt mihi quidem non sit non fastidiosum hæc insomnia explicare. Singula tamen expendam veritatis causâ.

Si nomine Verbi, inquit Hayus, *Bibliorum volumen intelligi dixeris, planè insanies.* Ego verò id nec dixi nec dicam. non sum enim Iesuita, id est præstigiator. Vestrum quippe est amuletis & fascinis sacrum Dei Verbum obstringere,& dum veritatem in sacris Bibliis comprehensam detestamini, vel codicem ipsum vel defectas illius particulas obtrudere imperitis deosculandas. Insaniunt igitur, Hayo autore, Iesuitæ qui Bibliorum nomen in laruas transformãt. Quid autem VERBVM DEI appellemus, dixi suo loco: Scripta videlicet Prophetarum & Apostolorum, siue doctrinam in ipsorum scriptis comprehensam.

Quid sit Verbum Dei.

At Verbi appellatione Hayus Baptismo restringit, quasi nullum sit Dei Verbum aliud præter formulam Baptismi, aut quasi formula Baptismi in Verbo scripto minimè contineatur, aut quasi Apostolus Baptismi vsum exorcismis alligauerit. Sacrosancta est & verè augusta Baptismi formula, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti*: at illa intelligenda est ex Verbo Dei. Ideò ait disertè Paulus, IN VERBO, vt Baptismi vsum ostenderet qui sine Verbo nullus est. *Verbum* autem appellat promissionem gratuitæ in Christo iustificationis & sanctificationis: at videndum est ne nudam verborum pronuntiationem existimemus satis esse ad salutem. Explicanda est Dei promissio & fide percipienda: ne superstitione in magicam incantationem vertatur, sicuti ab exorcistis Antichristi factitari videmus, inter quos Iesuitæ dominantur.

Verus Baptismi vsus ex ipsius institutione Verbo Dei cõprehensa pendet.

Verùm, ait Hayus, *fefellit te fortassis analogia & similitudo verborum quibus Apostolus ad Timotheum vtitur*, Sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem. *At hoc loco de sanctificatione cibi agit, vt ex integra Apostoli oratione perspicuum est.* Ecquis hæc deliria intelligat, vel écqua specie eliciat ex meis verbis, vel cum ipsa oratione cõpingat? Existimásne, Hay, mihi aliquid veniisse in mentem de vestrarum precatiuncularum susurris, vt vestra illa verba dicerem esse Verbum Dei quo Ecclesia sanctificaretur, sicuti vel missifici panes vel aqua lustralis siue benedicta dicũtur sanctificari vel benedici. Nobis quidem Christianis solenne est cibum sumere antegressa precatione, eámque adhibere clausulam cibo, vt precatione agnoscamus autorem cibi. Precatio, est certissimum fidei effectum. At fides non potest esse sine Verbo Dei. Quî igitur precatio sine Verbo Dei rectè possit institui? non enim temerè precandum est, sicut nec temerè credendum. Quódnam verò est & fidei & precationis nostræ firmamentum, nisi in Verbo Dei? Scriptum est enim, *Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te. Petite & dabitur vobis* &c. Quod de Athanasio profers, nihil ad rem facit. Vult sanctus vir cibum precatione consecrandum esse, Crucis signum adhiberi: & pro sui quidem temporis ritu, accõmodatè. Crucis enim signum Ecclesię primitiuæ pia erat Christianorum tessera, non veneficorum fascinus: sicut hodie à Iesuitis vsurpatur. Vt autem propter superstitionem æneum serpentem rectè sustulit Ezechias, sic & Crucis signum in Ecclesia rectè sublatum est propter abusum superstitionis.

Precatio innititur certa Dei promissioni in ipsi⁹ Verbo cõprehensa.

Crucis signum in antiqua Ecclesia recte adhibitum.

2. Reg. 18. 4.

Sequitur grauissima Hayi accusatio, *Scio equidem*, inquit, *Caluinianum vestrum dogma de sanctificatione quæ fit per vestras conciones eódem planè modo quo per sacramenta. Sic enim vester ille*

Coryphæus: Fixum maneat, non esse alias Sacramentorum quàm Verbum Dei partes: quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum, & in eo cœlestis gratiæ thesauros. Optimus verò est Hayus Caluini interpres, Quasi ipsa concionum auditione & ipsa nuda & simplici Sacramentorum perceptione Christiani sanctificentur! Malus es Caluinianus, mî Hay. Hoc nũquã docuit Caluinus. Necessarium quidem docuit esse prædicationẽ Verbi in Ecclesia: quum fides sit ex auditu, & auditus ex Verbo Dei, vt qui prædicationem tollat, fidem fideique omnia effecta planè tollat. Verùm non ipso (vt vestri loquuntur) opere operato necessariam esse concionem docuit Caluinus, non ipsam Sacramentorum perceptionem: sed ipsum Verbum creditum, & Sacramenta fide percepta sanctificare credentes. Fide enim corda nostra sanctificantur.

Quatenus sũ necessaria Christianis sacre cõciones.

Terrificam verò Hayus impingit Caluino dicam & accusationem, Quòd arbitretur idem esse & Verbi & Sacramentorum officium. Cur ita mî Hay?

Huius dogmatis absurditatem conuincunt quæ in Apostolorum actis scripta sunt: si enim Apostolorum concionibus fuissent primi illi qui Christi nomen dederunt, sanctimoniam ac peccatorum remissionem adepti, cur eis D. Petrus suasisset corde compunctis vt pœnitentiam agerent, & baptizaretur vnusquisque eorum in remissionem peccatorum. Cur Philippus Eunuchum non tantùm erudire in fidei rebus, sed & Baptismo initiari voluit, si omnem innocentiam soli verbo deberi existimauit? Tui igitur argumenti hæc summa est, Apostoli ad suas conciones adiunxerunt Baptismum: quod frustra fecissent si idem vnúmque esset Concionum & Sacramẽtorum officium. Accipimus conditionem. Eandem Apostolicarum & nostrarum concionum doctrinam esse fatemur, eãdem quoque Sacramentorum. Concionũ quoque & Sacramẽtorum formam & finem fatemur nobis esse cum Apostolis communem: sed negamus consequi diuersam esse Concionum siue Verbi prædicati & Sacramẽtorum officium. Quid enim suis concionibus Apostoli aliud annuntiarunt nisi pœnitentiam & remissionum peccatorum, quam Baptismo iusserunt obsignari? Imo argumentum planè retorquetur aduersus te. Quomodo enim obsignaretur, si esset diuersum quidpiam? Perinde enim est ac si quis diceret nouum contractum adhibito sigillo confirmari. Quid autem obsignaret sigillum, nisi aliquid obsignandũ prius exilteret? Sacramentorum certè illud esse officium & diximus supra & dicemus infra suo loco, quum de Sacramentorum vsu agemus. Nónne igitur vides te importunè ἀδολεσχεῖν, magne Theologe? Argumentum saltem instituere debebas quod ad primarium tuum institutum pertineret, Verbum Dei nimirum non esse Ecclesiæ notam, sicuti ego affirmo. Hoc quidem perspicuũ est te velle, sed παρευγίζειν. Alas igitur adiungam tibi frustra per te nitenti. Itaque hoc tuum sit

Concionum sacrarum & Sacramentorum idẽ subiectũ & vsus.

Irritus & ridiculus Hayi conatus in rebus etiã suis.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Si Verbum Dei esset primaria Ecclesiæ nota, soli ipsi id conueniret: Atqui Sacramentorũ idem quoque officium est, Ergo non solum Verbum est primaria Ecclesiæ nota.

Dixerat supra, Verbum Dei non esse proprium

Fatetur Hayus nõ modò Verbum Dei esse Ecclesiæ notã, sed ipsa quoque Sacramẽta esse Ecclesiæ notam.

soli Ecclesiæ, quum sit illud commune hæreticis: nunc soli Verbo competere negas. Ergo fateris competere etiam Verbo. Perspicua est hæc tua confessio. Totum ergo argumentum amplector & amplifico ex tuis verbis: vt cõstet maximè proprium esse Verbi Dei, quòd sit nota Ecclesiæ. Hactenus docui id semper ei conuenire: nunc verò non modò soli, sed toti: & idcirco quidem soli, quia toti: sicuti ex Apostolorum verbis probatum est. quum enim eandem veritatem & ipsorũ concionibus annuntiari & Sacramẽtis obsignari demonstrauerimus, quis non videt toti Verbo proprium esse, vt sit nota Ecclesiæ? Totum autẽ Verbum est quod & auditu & visu percipitur: sicuti suo loco ostendam. Tuæ autem huius confessionis memineris, vt temeritatem tuam postmodum agnoscas: quum hoc ipsum quod modò vt perspicuum vides, tanquam prorsus importunum detestaberis. Itaque *Verbo Dei proprium esto vt sit Ecclesiæ nota*, SOLI, SEMPER, TOTI & quidẽ ἀπαθῶς. Porrò quòd ais, Nos infantibus communicare Baptismum, licet conciones minimè percipiant nihilò plus ad rem tuam facit: confirmat tamen quod modò dicebam. Certè fidelium infantes sunt promissionis hęredes, & in fœdere comprehenduntur. Idcirco ipsis communicatur Baptismus, rei ipsius (id est fœderis, hęreditatis, promissionis) tessera & signaculum. Mirificè verò ad rem faciunt quod excipis de Euangelij vi & efficacitate: & erat maximè operæpretium vt Anselmi fidem auxiliúmque implorares. Ita hîc omnia cohærent vt phrenetici siue somniantis ἀλλοπρόσαλλα πάθη. Denique, palabundus Hayus ad propugnaculum redit suum. Occinit enim nobis iterum illud παρῴδιον, ter iam excantatum. Si Ecclesia sanctificatur per Verbum (id est vt ait me inter-

Scopæ dissolutæ.

interpretari) per scripta Prophetarum & Apostolorum, non semper fuisse Christi Ecclesiam sanctam, quum non semper habuerit Apostolorum & Prophetarum scripta. Atqui habuit semper idem (vt iam dixi) Verbum Ecclesia, & literis mãdata est fundamentis promissio, *Semen mulieris conteret caput serpentis*: &, *Ero Deus tuus & seminis tui*. Ita autem argumentatur Hayus, quasi esset Verbum Prophetarum & Apostolorum, non Verbum Dei per Prophetas & Apostolos & voce & scriptis Ecclesiæ denuntiatum. Est igitur crassa Diuisionis stropha: quum non magis possint esse duo Dei Verba quàm duo Dij. Sicut autem Deus quum sine scripto per reuelationes Patribus sese patefaciebat, Verbum suum à seminiis hominum distinguebat: ita notariorum suorum scriptis cõmẽta hominum de religione omnia à Verbo suo voluit distinguere. Legem & rerũ Origines primœuámque historiam Ecclesiæ per Mosem scribi voluit: Verbi illius scripti interpretes accesserunt Prophetæ. Per Filium suum his vltimis temporibus loquutus, Apostolorum scriptis veritatẽ suam voluit consignari: vt in eo Ecclesia fundamentũ suum agnoscat & ab eo incrementum firmitatémque suam mutuetur. Denique, vt Verbum Dei manet in æternum, ita in Verbo semper fuit, est, & erit Ecclesia: ac proinde sempiterna in sempiterni Dei sempiterno Verbo.

παρῴδιον Hayanum de Verbo nondum scripto.

ATQVE hæc quidem de Hayi insomniis (si ipsa quidem spectentur) satis supérque: si lectoris vtilitas, necessariò dicta sunto. Huius autẽ à me propositæ veritatis testimonia à Iesuitæ calumniis sunt porrò vindicanda.

TESTIMONIORVM TVM E SCRIPTVRA, TVM EX Orthodoxis Ecclesiæ Patribus desumptorum, quibus priori libello meo demonstraueram, *Verbum Dei esse Scripturam sanctam, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam*, HAYI OPPVGNATIO & MEA DEFENSIO.

HAYVS.

Ad disertas tuas testificationes venio, in quibus quum causæ tuæ præsidium omne colloces, mirum est quàm Logices ac cæterarum bonarum artium inopiam prodant. pag. 56. 57.

SERRANVS.

Scripturæ testimonia Iesuitis videntur infirma.

Infirmas probationes è Scriptura petitas Iesuita arbitratur, bonus scilicet Theologicè dissecrendi artifex. Vnde igitur, Monache, firmiores quã ex ipsa ratione rationes afferri posse censes? an ex Aristotele vel Thoma, Scholarum vestrarum oraculis? Quòd si nudam vel solam (vt ais) Scripturæ recitationem damnas, ipsam nudam simplicémq; Veritatem negato esse Veritatem, eò quidem

ἁπλῶς ὑπάρχει τὸ ἀληθὲς λόγος.

neruosiorẽ & validiorem (vt inquit Cyprianus) quò simpliciorem. Laruas quidem & cothurnos Sophisticos vobis Sophisticis iure relinquimus. Quídnam ex his luculentis testimoniis efficiatur, perspicuum est. Egóne veræ Logices præcepta adhibuerim nécne in his commemorandis, Lector eruditus iudicabit. Institutum mihi erat secũdum Axioma illustrare Scripturæ & Ecclesiæ testimoniis. Illorum autem testimoniorum hæc est Oeconomia & series.

E SCRIPTVRA.

Primus locus, loquebatur de Scripturis vniuersè, ex ipsius Christi ore. Ioan. 5.

Secundus locus, de Prophetarum & Apostolorum doctrina distinctè, licet vnà: è Pauli verbis. Ephe. 11.

Tertius locus, de Prophetarum doctrina propriè & peculiariter, è Petri verbis. 2. Pet. 1.

Quartus & quintus locus, de Apostolorum doctrina, propriè. Ex Pauli verbis 1. Corint. 3. & Galat. 1.

Inde conficiebatur è totius & partium enumeratione, quod erat demonstrandum, Verbum Dei esse Scripturam, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam.

Hos locos quomodo oppugnet Hayus, videamus: vt oppugnata Veritas, vincat illustriùs.

HAYVS.

De loco primo, *Scrutamini Scripturas. &c. Ioan. 5.*

De Scripturis Veteris Testamenti tantùm hic locus intelligi potest. Si quid ergo pro te facit, conclude solas Veteris Testamenti Scripturas esse Ecclesiæ ἐντελέχειαν & notam primariam. Iustæ ratiocinationem, vt tibi certi aliquid respondeamus pag. 57.

SERRANVS.

Perfacilis est ratiocinatio. Scripturæ quidem appellatione, Christus notabat Vetus Testamentum, quod tantùm erat eo tempore consignatum literis, ac proinde nulla tũc poterat esse alia Scriptura. Atqui Nouum Testamentum Apostolorum literis perscriptum, non potes negare esse Scripturam, eiusdem saltem autoritatis ac Vetus Testamentum. Ita igitur argumentor. Si Christus verè dixit, è Veteris Testamenti Scripturis quæ solæ ante ipsius aduentum erant in vsu, constare salutem Ecclesiæ: quídni potiùs cõstituamus, Noui Testaméti Scripturis quibus ipse Christus patefecit omne consilium Dei (id est plenam perspicuámque veritatem quę ad salutem satis esset) Ecclesiæ Dei constare certam solidámque rationem consequendæ salutis: atque adeò salutaris doctrinæ clausulam esse notam primariam Ecclesiæ? Itaque si verum est quod confiteris, Hay, vos credere omnibus quæ scripta sunt, Nouúmne Testamentum negabis esse scriptum, Nouíque Testamenti scripturis fidem non adhibebis? Eandẽ quidem doctrinam & in Veteri & in Nouo Testamento contineri certum est, at in Nouo vberiùs, dilucidiùs, augustiùs Dei voluntatem explicari, nemo sanus negauerit, & scriptum peræquè esse ac vetus vt Scripturæ nomen mereatur. Hoccine igitur non est ratiocinari?

Firmissimũ argumentumè Scripturis Veteris Testamẽti ad Scripturas Noui Testamenti.

HAYVS.

De loco secundo, Ephes. 2. 20. *Superstructi super fundamentum &c.*

Quid

Quid opus fuit mutare sensum orationis Apostoli, tuáque noua interpretatione eam obscuram facere? &c. pag. 57.

SERRANVS.

Si tibi esset, Hay, mens integra, integrum esse verborum Apostoli quæ ego citaui, sensum iudicares. Verba autem illa, Ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, cur non rectè exponũtur, *Cuius angularis lapsis est Iesus Christus?* Sic enim loquuntur Latini. Tuo verò, Attice, palato magis arridet Helenismus, *Existente summo angulari ipso Iesu Christo*: neque te pudet barbara balbutie affectare famam eruditæ venustatis? Verùm de re ipsa.

Munditię Hayanæ.

Si fidem doctrinámque Prophetarum & Apostolorum intelligit Paulus, cur nõ literarum monumenta? Vbi enim vel Prophetarum vel Apostolorum doctrina, nisi in ipsorum scriptis? Vbi fides, nisi in doctrina? Prophetarum credo, omnia monumenta Pauli tempore scripta fuisse nõ negabis. Apostoli superstites & iam multa scripserant, & quod postea scripserunt, eiusdem fuit autoritatis: neque aliud quodpiam fundamentum Ecclesiæ dederunt. Prophetæ, Christum futurum prædixerant: Apostoli, & illum venisse & omnia quæ à Prophetis prænuntiata fuerant, adimpleuisse docuerunt. Ita Ecclesiæ salus patefacta est, comprobata consensu Prophetarum & Apostolorum, salutaris doctrinæ σωματηθεία, fuit fundamentum Ecclesiæ: vt omnes fideles Christo, vni vnius Ecclesiæ post natos homines capiti, inserãtur. Hæc est plana & certa horum verborum sententia. Quę affers etiam ascitis patronis, sunt verè Iesuitica, id est falsa & ridicula.

Hayi verba in Hayum retorquentur.

Prophetarũ & Apostolorum consensus in eadem fide. Rom. 3. 21

Turrianũ & Stapletonũ adnocat in auxilium Hayus.

HAYVS.

De tertio loco, 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere. &c.*

Nihil de scripto Verbo hoc loco inuenis, nisi fortassis, ipsum Christum Dominum scriptum esse Verbum sentias, sicq; perinde tibi erit, dicere scriptum Verbum esse notam Ecclesiæ, & Christum esse notam Ecclesiæ. &c. pag. 58.

SERRANVS.

Verbi scripti, id veri Verbi Dei subiectum notaui, Iesum Christum, vt debui: vt enim Verbum Dei scriptum certam esse Ecclesiæ notam è Verbi Dei testimonio debebã ostendere, sic Iesum Christum, Ecclesiæ sponsum, Verbi illius scripti subiectum esse atque animam, debebam ex eodem illo Dei Verbo demonstrare. Demonstrationis igitur meæ ἀλληλοχίαν & nexum quis non videt, nisi cæcus Iesuita?

Demõstrationis series.

Paulus in hoc loco diserte loquitur de Verbo scripto, cuius fundamentũ statuit, Iesũ Christũ.

De Verbo autem Dei eóque scripto, id est vero, hauddubiè agit Apostolus, vt & ex initio & progressu disputationis maximè elucet. Disputat aduersus Pseudapostolos, qui phalerata eloquentia Euangelij simplicitatem deturpantes, Christi crucem (quantum in ipsis erat) eneruabant, & Apostolicæ doctrinæ detrahebãt. Illis autem se opponit, suçque prædicationis subiectum, modum & finem luculenter describit. id est quid, quomodo & cur doceat. *Aedificandi* autem vocabulo vtitur vt doctrinæ rationem & efficaciam ostendat. Aedificij prior & potior pars, est fundamentum, cui cætera omnia videlicet superstruuntur. *Fundamenti* igitur nomine Christum designat, ad quem videlicet omnium & Prophetarum & Apostolorum doctrina, veluti ad principem primariúmque finem refertur. Illam autem doctrinã scripto definit. sunt enim diserta hęc illius verba, *vt discamus* SVPRA ID QVOD SCRIPTVM EST, *non sapere*. Quis ergo non videt Christum in Euangelio suo ita proponi? id est perspicuè doceri à Paulo, Iesum Christum sese in Verbo suo patefecisse Ecclesiæ suæ: quum non possit magis à Verbo suo separari, quàm sine Verbo suo intelligi?

Blasphemi & scelerati Iesuitarum ioci.

Insipidi igitur sunt & planè ridiculi Monachales Iesuitę ioci, insanáque illius conuitia. Quasi verò quũ ex Apostoli verbis doceo, Iesum Christum esse subiectum Verbi scripti, dicerem, Iesum Christum esse verbum scriptum! Peræquè enim est ac si diceret, Historiã de Abrahamo & Dauide scriptam, esse Abramum vel Dauidem. Insciitiæ certè crimen ita opponebatur Paulo à cincinnatis illis sophistis, quibus sermo de cruce vel insciitia erat vel scandalum, sicuti nobis à Iesuitis: quibus quum verus Christus in Verbo suo sese patefaciens non sapiat, quomodo non illi desipiant cum vesana & Græcorum & Iudæorum caterua: quorum illis Euangelium stultitia est, his scandalum: Iesuitis Antichristi mancipiis, vtrunque?

Hayus cõfundit Iesum Christum æternũ & Patri ὁμοούσιον Verbum, cum Verbo exteriori.

Vt autem Hayi in veritate oppugnanda ingenium perspiciatur, duplex hîc eius Sophisma Lector notet *Homonymiæ* & *Blasphemiæ*. quibus figuris nihil est Iesuitis magis vernaculum & proprium. Est profectò blasphema & procax homonymia, Verbum æternum, æterni Patris æternũ Filium, Patri & Spiritui sancto ὁμοούσιον, Patris splendorem & characterem, cum Verbo suo confun-

Universidad de Deusto Biblioteca

dere, quum Λόγος ille sit ὑφιστάμενον, hoc verò ῥῆμα sit προφορικὸν ab æterno Filio emanans. Perinde enim est (vt exemplo humano Maiestatem repræsentem) ac si quis Regem cum suo edicto confunderet. Qui hāc necessariam distinctionem ignorat, Christianæ religionis imperitus est: qui tam augustum mysterium audacia sua inuoluit, aduersus præcipuū religionis Christianæ caput blasphemat. Vtrunque Verbum sic rectè distinguit Apostolus, *Deus vltimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium, quem constituit hæredem omnium: per quem etiam mundum condidit: qui quum sit splendor gloriæ & character personæ illius, sustineatq; omnia verbo vllo suo potenti, purgatione peccatorum nostrorū per seipsum facta, sedit ad dexteram Maiestatis illius excelsissimæ.* Non te igitur pudet, Hay, in rebus seriis tam profanè iocari: neque animaduertere, te, dū perspicuè veritati obstrepis, palam confiteri te nihil habere quod veritati opponas præter præfrictam frontem: eôque ipso te à veritate victum grauiores manere pœnas, quippe qui exploratæ veritati sciens volens reluctēris?

Heb. 1.

Christus Verbi & Ecclesiæ suę fundamentū & anima.

SVMMA EST, Christus est Verbi scripti subiectum, Ecclesiæ caput & anima, spiritualis Dei domus fundamentum, sacri illius ædificij amussis & regula. Quum verò primariæ Ecclesiæ nota inuestigaretur, & in Verbo scripto inueniretur, Verbi illius subiectum indicādum erat, Christus nimirum: quū & in suo Verbo agnoscatur Ecclesiæ suæ caput, & in eodem Verbo vocem eius Ecclesia agnoscat, vt sit sempiterna illius vocis auctoritas, OVES MEÆ AVDIVNT VOCEM MEAM.

Necessaria consectio, Christus est Ecclesiæ fundamētum. Ergo non Petrus.

Quod verò Caluino Hayus opponit, vt planè Iesuiticum & inane, nulla indiget responsione. Si enim

enim Christus Ecclesiæ fundamentum est, necessariò consequitur, *Petrum non esse* Ecclesiæ fundamentum, quum vnius Ecclesiæ plura esse fundamenta non possunt. Opportunè igitur hunc locum à me citatū, incommodè & per calūniam ab Hayo refutatum esse, Lector eruditus animaduertit.

HAYVS.

De loco Petri, *Nulla Prophetia Scripturæ, propriæ est explicationis.*

1. Pet. 1. 20.

Ad disputationem de notis Ecclesiæ hic locus non pertinet. Vera quidem est D. Petri oratio, at ex ea non efficies scriptum Verbum esse Ecclesiæ notam. pag. 58.

SERRANVS.

Imo maximè. quid enim est ædificare Ecclesiā, nisi docere rationem, qua veram salutarémque Christi doctrinam fideles, Ecclesiæ membra, consequuntur? Hoc vnicè facit Petrus, & Prophetici sermonis cum Euangelio consensum docet. Idem igitur affirmat quod Paulus, *Aedificari Ecclesiam doctrina Apostolorum & Prophetarum.* nam de se loquutus erat: tum de Prophetis agit. Itaque primariam Ecclesiæ notam sic designat Petrus.

Vera sententia huius loci, De Prophetica & Apostolicę doctrinę cōsensu.

Porrò, propria est circūstantia de Verbo scripto. Testatur enim Petrus, se (quòd sciat breui futurum vt deponat tabernaculum suum, id est vt de vita excedat,) daturum omnem operam vt

Petrus diserte agit de Verbo scripto.

post exitum suum doctrinæ salutaris memoria sit Ecclesiæ perpetua. Horum enim illius Verborum hæc est sententia, Ἐκάστοτε ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον πλὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. Quomodò autem Petrus doctrinæ illius quam de Christo superstes prædicauerat, memoriam propagauit, & ad posteritatem transmisit, nisi scriptorum illorum monumentis quę Ecclesiæ reliquit? De scripto igitur Verbo Petrum agere, planè perspicuum est.

Demõstrationis nexus & series.

Demonstrationis autem meæ hæc est ἀλληλοχία siue συναλήθεια. Dixerã de Verbo Dei vniuersè, & de illius subiecto. Proximum erat vt de Veteris & Noui Testaméti doctrina agerẽ peculiariter. Primũ igitur de Veteris instrumenti monumentis, quæ tanquam lucerna prælucebãt Ecclesiæ, antequàm Sol ille iustitiæ Christus oriretur. De Noui Testaméti, quod EVANGELII nomine propriè insignitur, doctrina mox ago.

De loco, *Non est aliud Euangelium &c.* Galat. 1. 7.

HAYVS.

Vos Caluini inuertitis Euangelium Christi, dum commenta Caluini pro sacrosanctis religionis nostræ oraculis populo proponitis. Non nominat hoc loco Paulus scriptum Verbum. Implora Græcorum opem, & comminee Apostolorum nomine Euangelij, scriptum Verbum significasse. pag. 58.

SERRANVS.

Redit ad suas fugas Hayus & suo more præuaricatur.

ricatur. Verùm hæc βαττολογία indigna est respõsione. Hic vnus de Verbi Dei autoritate locus euincet nos Euangelium Christi integrè amplecti: vos, euertere.

Inanis Hayi repetitio.

Loquitur diserte Apostolus in hoc loco de Euangelio quod Galatis prędicauerat & literis mandauerat dũ ad eos scriberet id est de Verbo scripto.

De Verbo autem scripto hîc Apostolum loqui, sic demonstro. Quódnam Euangelium vult retineri à Galatis Apostolus? Nõne illud quod ipsius prædicatione acceperunt? Certè, ait enim, παρ' ὃ ἐυηγελισάμεθα. Illud autem quódnam sit, tota epistola ipsa docet: ac proinde Euangelium illud vnum, ipsum illud est, quod Apostolus literis mandauit. Ita de Verbo scripto agit. Qui hoc negat, negat Paulum scripsisse Epistolam ad Galatas, id est penitus insanit. Nihil est igitur causę cur Grę-corum opem, σκοτεινὴ attice, tuo hortatu imploret. Res ipsa, epistola ipsa, Apostolus ipse in suis scriptis superstes, clamat te esse stellionem & profligatæ quidem audaciæ: quippe qui rẽ omnibus plenam & perspicuã neges. Abi igitur cum inepta tua crassáque impudentia, & iudicet Lector quàm infeliciter nugeris aduersus Veritatem.

TESTIMONIA PATRVM ad idem Axioma probandum adhibita, oppugnantur ab Hayo, à me propugnantur.

HAYVS.

Si fundamentum erroris tui non aliter in Ecclesiæ consensu posueris quàm in Scripturæ veritate fecisti, omnis tua firmitas per se sine dubitatione corruet. pag. 58.

SERRANVS.

Iesuiticę ἀλαζονείας bullę.

Sunt verba & voces,& Sophistarum loci communes. Rerum autem ipsarum quæ & hactenus agitatę & posthac agitabuntur inter nos,iudicium penes eruditum & Christianum Lectorem est. Vobis autem sanctam Antiquitatem aduersari, te verò,Hay,ridiculum esse & malignũ obtrectatorem, ex hac defensione mea perspicuum fore confido.

De loco Tertulliani in lib.de præscriptionibus hæreticorum *siue* aduersus hæreticos, *Nihil nobis licet ex nostro arbitrio inducere*.&c.

HAYVS.

Tertullianum si diligenter legisses, nunquam librum eius de præscriptionibus aduersus hæreticos, appellasses de præscript.hæreticorum. Vidisti apud tuum Caluinum, Tertull. de præsc.hæret. & ne vox manca & imperfecta veniret, eam sic perficere tibi visum est. Adiciam quæ antecedunt verba illa quæ nobis obiicis, vt quid voluerit Tertullianus omnes planè intelligant. &c. pag.59.

SERRANVS.

Non te pudet,Hay, de re nihili triumphos captare, id est thrasonicè & sycophanticè nugari? quum

quum enim Tertulliani verba sint à me fideliter descripta,écquod tantum esset scelus,si in tituli vel paginæ notatione lapsa esset memoria, vel vt sæpe fit,typographicè peccatum? Iccircóne minus verum fuerit Tertulliani testimonium, vel tua minus impudens tergiuersatio effugia rei captans,ne ad rem ipsam respondeas?

Pudenda Antiquitatis ignoratio in Hay o certis argumentis deprehensa.

De re quidem ipsa mox viderimus: at in tituli illius quem rectè notaui, inepta & imperita vellicatione,videris quàm sis ridiculus! Reprehende quoque tuum Turrianum qui in præfatione eius libri quem scripsit aduersus Sadeélem nostrum, citans hunc librum Tertulliani,eo ipso titulo eũ laudauit quo ego, multarum editionum & manuscripti codicis vetustissimi fidem autoritatémque sequutus, *De præscriptionibus hæreticorum*. Certè duplicem ei libro titulum vel à Tertulliano vel ab erudito quodam inditum è subiectę rei argumento fuisse constat, *De præscriptionibus hæreticorum,& aduersus hæreticos*. Duo enim præscriptionum genera ibi recensęt Tertullianus: vnum,hæreticorum: alterum,Ecclesiæ. illud verò refutat primo loco,hoc confirmat secundo. Inde duplex libro titulus accommodatè tributus est. Ego verò priorem illum de præscriptionibus hęreticorum Titulum notaui,quòd locus à me citatus, in priore disputationis parte contineretur. Dum hoc ignorat meus Monachus, Antiquitatis cumprimis peritus, Iesuiticè mihi insultat,quasi Tertullianum nunquam legerim nisi apud Caluinum. Atqui hæc quidem de titulo. Quum autẽ de re ipsa maximè agatur,méque etiam eo nomine potissimùm reprehendat quasi Tertulliani in eo libro consilium corruperim, vniuersæ disputationis summam & seriem inuerit breuiter notare.

Tertulliani liber de præscriptionibus hæreticorum, vel aduersus hæreticos.

Finis, súma & œconomia illius libri.

INSTITVTVM est Tertulliano docere, hæreticis nihil esse causæ cur ab Ecclesia Catholica deficerent nulliúsque esse momẽti ea omnia quę ad insaniam suam prætexerẽt: ac proinde ad Ecclesiæ autoritatem esse reuocandos, quæ vt interpres est & custos veritatis, sic in illius sinu fideles veram salutarémque doctrinam debeant discere, & ex illius doctrinæ auspicio omnium hæreticarum peregrinarúmque doctrinam adulteria dignoscere atque detestari. Præfatus igitur Tertullianus in ipso disputationis primordio, hæreses esse veræ doctrinæ abortus, & fugam ab Ecclesia, neque tamen vel de veritate dubitandum vel ab Ecclesia resiliendum, sic ingreditur priorem partem disputationis: in qua docet quídnam ab Hæreticis proferreretur, cuius specie & obtentu Ecclesiæ præscriberent. id est Ecclesiæ autoritatem eleuarent atque eluderent. Vtitur autem vir iuris peritissimus vocabulo in iure ciuili vsitato. *Præscribere*. n. est excipere: & *Præscriptio* est vsucapio. quum enim (inquit doctissimus Iurecõsultus) vni dicanti rem suam Domino possessio longi temporis obiicitur, præscribi ei dicitur: eáq. *præscriptio longi temporis*, præcisa locutione, pro *præscriptio ex longi temporis possessione*, appellatur. Sic *Præscriptionem hæreticorum* vocat Tertullianus, illud omne quod iuris cuiusdam specie Hæretici Ecclesiæ Catholicæ opponebant, quasi nimirum exquisitam quandam veritatis cognitionem haberent. Nam Traditiones quasdam non-scriptas, ἀνυπογράφους atque sanctiores proferebant quæ in Prophetarum Apostolorúmve scriptis minimè continerentur. Neque verò omnes Scripturas recipiebant: & quas receperant, aut interpolabant, aut si quas integras agnoscerent, pro arbitrio interpretabantur. Duo autem exquisitioris illius doctrinæ

doctrinæ genera (cuius obtentu præscriberent Ecclesiæ de veritate) afferebant. Primum genus erat, subtilis quædam rerum indagatio, è philosophorum institutis præceptísque conformata: quæ simplicitatem Euangelij (teretioribus videlicet auribus exquisitam illam docendi rationem quã σοφίας λόγον appellat Apostolus, philosophici characteris exemplar & fœtum, impensè amantibus sordentem) magnifico quodam ampullatóq; dicendi genere emendaret. Id autem & in re & in ipsa docendi ratione ab Hæreticis factitatum fuisse Tertullianus docet. aiebat enim neque omnia Apostolos scisse, neque ea quæ sciuerint, omnia omnibus tradidisse: ac proinde pleniorem quandam veritatis cognitionem aliunde quàm è Scriptura hominibus posse cõtingere. Secundum autem doctrinæ illius exquisitioris genus, erat libera & curiosa quædam indagatio veritatis, & sine Scriptura & cum Scriptura. quum enim incertam & obscuram esse Scripturam dicerent, tum demum illius vberiorem quandam cognitionem ei constaturam, qui ingenij sui aciẽ ad hanc disquisitionẽ vehementius efficaciúsque intendisset. Inde peruulgatum apud illos dictum, QVÆRITE ET INVENIETIS. Ecquis autem non videt idem hodie à Iesuitis dici & factitari? Est illis verbum non Scriptum, magnorum mysteriorum matrix. Aristoreles sedet illis summus veritatis arbiter. Allegoriarum mysteriis summum apud eos pretium: Euangelij simplicitas illis sordet: vt cæteras comparationis circunstantias prætermittam. Horum igitur commentorum specie, Hæretici plausum quærebant, vt præscriberent ei doctrinæ quæ in Ecclesia Catholica sonaret, tanquam & minus validæ & minus illustri, & ad homines docendos permouen-

dósque minus aptæ. Istam hæreticorũ præscriptionem Tertullianus copiosissimè & neruosissimè refutat luculentissimo Scripto.

Indicatis, vti dixi, Hæreticorum incunabulis, id est eos à veritate & Ecclesia defeciſſe, vniuersę disputationi primum & immediatum substernit ἀξίωμα, Doctrinam salutis non ab hominis arbitrio pendere, sed ab vno Deo salutis autore accipiendam esse: deinde, singulas hæreticorũ præscriptiones refutat: denique, Ecclesię præscriptionem luculenter describit, reliqua disputationis parte. Hic scopus est; hæc summa, hæc œconomia illius libri, qui à gemino argumento geminum nomen inuenit. Tituli igitur rationem, & Hayanæ in me fine causa reprehendẽdo suggillandóq; procacitatis & virulentiæ demonstrationem Lector eruditus & sobrius animaduertit. Ita ad cætera quæ propriam loci à me citati circunstantiam pertinent, iam respondeo.

Quídnam & q. orsũ è Tertulliano citaueram ex hoc loco.

Illud ipsum quod disputationi suæ posuerat Tertullianus, ego meæ probationi posueram primordium: Deum videlicet, non hominem quemquam, autorem esse Verbi sui: cuius non autores, sed ministri, interpretes & custodes sunt, vel inter homines illustrissimi atq; sanctissimi. Hæc est perspicua germanáque Tertullianeæ orationis sententia.

Ineptam Hayi reprehensiõnẽ ex hoc loco Lector animaduertat.

Quid hic meus Iesuita, exquisitissimus scilicet Antiquitatis Mystes? Ne nihil dicat, infarcit quę nihil planè faciunt ad institutum, neque pro se neque contra me nisi fortasse contra se voluit Apostoli & maximi Doctoris sententiam proferre, vt omnes norint ipsum esse ἀυτοκατάκριτον, id est, vt noster Tertullianus interpretatur, sibi damnatum: quòd miser apostata, ab Ecclesiæ profugus, conscientiæ suæ testimonio conuincatur, se agnitæ veritati bellum indixisse & furiis apostasiæ inflammari. Quod excipit, eiusdem est ingenij & pudoris: Me idcirco falsum esse illis verbis, *Sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt.* Mihi enim perinde esse, Assignare disciplinam & eam scribere.

Cedò igitur, mî homo, si vera est illorum verborum interpretatio quam affers, *Apostolos eruduſſe nationes in Christianæ religionis mysteriis, nihilque ad earum salutem necessarium, ipsis occultũ esse voluisse*: quomodo nationes erudierunt, nónne eò modo quem Tertullianus notat (vt è Tertulliano Tertullianum tueamur) *tam viua (quod aiunt) voce quàm per epistolas postea*? Ergo *Assignare disciplinam*, quídnam aliud Tertulliano esse potest, quàm vniuersos homines docere, & verbis & scriptis? Cur scripta sua Apostoli Ecclesiæ constare voluerunt, nisi in eum finem & vsum quem Petrus designat, vt eadem illa doctrina quam superstites docuerant, mortuis viua superesset? *Nulla doctrina diuersa sibíque dissentiens potest esse testimonium veritatis*, inquit Tertullianus. Non aliud viua voce docuerunt Apostoli, aliud scriptis. Id & verbis & literis assignarunt quod Deus ipsis assignauerat, Deus salutis nostræ autor ipsis salutaris doctrinæ ministris atque præconibus.

Ergo maiorem (inquis) *Apostolorum partem probabis susceptum à Christo Domino docendi munus non diligenter sustinuisse: quum paucorum tantùm scripta habeamus.* Quasi verò omnium seruorum suorum opera peræquè vtatur Dominus in Ecclesiæ suæ administratione: aut minus sint fideles serui, quid quod Dominus mandauerit, sint exequuti! Varia variis suis seruis pensa Deus distribuit, in omnibus efficax pro ea mensura quam

ipse distribuit omnibus Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthęum, Iudam voluit esse scribas atque notarios suæ veritatis: cæterorum Apostolorum ministerio si noluit vti ad eam scribendi operam, idcircóne minus illud fuit efficax Ecclesiæ, & vbi, & quando, & quomodo & quibus voluit Domini sapientia: aut minus illi fuerunt fideles in ipsius domo? Eádem veritate concludo, Apostolos, quorum scripta ad nos minimè peruenerunt, aliud quoddam vel diuersum vel contrarium doctrinæ genus habuisse quàm ipsorum collegæ habuerint, quorum scripta ad Ecclesiam suam transmitti voluit Deus.

Abi igitur, Hay, & negato Verbum scriptum non esse verum veri Dei Verbũ, id est illud ipsum Dei Verbum quod omnes vno ore Apostoli prædicarunt. An aliud quodpiam sit Verbum, an verò in eo omnia ad salutem necessaria contineantur, quando ita vis aduersus te, nouiq; Verbi patronos & fabros, suo loco differemus. Hoc certè modo per te constat, Verbum Dei Prophetarum & Apostolorum literis perscriptum, esse verum & ἀναμφισβήτητον Dei Verbum: illúdq; ipsum quod voce prædicauerant, scripto fuisse commendatũ. Illúdne sit solum nécne, an aliud quodpiam sit Verbum non-scriptum eiusdem cum scripto fidei & autoritatis, (sicuti Iesuitæ affirmant) suo quidé loco viderimus: certè, ex hoc Tertulliani libro perspicuum est, fidem nostram Scripturarum firmamento inniti: quemadmodum ex vniuersa disputatione Lectori constabit, maximam ex eo vtilitatem hauddubiè percepturo. Hæc verò ibi sunt illustria, *Nullam esse sine Scripturis fidem: &, Aliunde scilicet loqui possunt de rebus fidei, nisi è literis fidei? &, Sed credant sine Scripturis, vt credant aduersus Scripturas:* ne cætera ἀξιομνημόνευτα commemorem. Scripti igitur Verbi autoritatem Tertulliano teste sic sartam tectámque habemus, quicquid responserit Hayus. Cur autem necesse fuerit Verbum Dei scriptis mandari, iam exponet noster Tertullianus, quem quoque à Iesuitæ calumniis vindicabimus.

De loco Tertulliani in Apologetico, *Quò plenius & impressius &c.*

HAYVS.

Lubenter te ex hac Tertulliani oratione pro tua nota disputantem audirem, vt notare & obseruare possem argumenti tui vim. Nos tibi veram esse Tertulliani sententiam concedimus. At ille neque solis Scripturis ait contineri fidei nostræ dogmata, neque Scripturas esse Ecclesiæ Christianæ primariam notam asseuerat. Quid respondebis Tertulliano in illo tuo &c. à pag. 59. vsque ad pag. 61.

SERRANVS.

Audi igitur postquam Tertullianus Ethnicæ superstitionis vanitatem refutauit, ad Christianæ religionis demonstrationem aggreditur. Docet primum Christianæ veritatis de vno Deo testimonium ex Naturæ luce constare. Ex illius quidẽ lege & instituto coli à Christianis vnum Deum, qui Vniuersum hoc condiderit: Deum inuisibilẽ: incomprehensibilem, inęstimabilem, immensum: ex huius autem præconio eundem cognosci, par-

Vera & germana loci è Tertulliano à me citati sententia.

tim ex operibus suis, partim ex testimonio conscientiæ, bonum, magnum, iudicem: vt certum sit testimonium animç naturaliter Christianæ. Verũ vt vberior certiórque hęc esset cognitio de Deo, quam in hominum animis per Naturam insereuerat. id est vt & ipsum, & ipsius voluntatem intelligeremus: neque id hominum arbitrio relinqueretur, qui naturalem illam de Deo notitiam contaminauerat, docet Tertullianus Deum excitasse idõneos Veritatis suæ testes: qui non sermonibus tantùm sed literarum monumentis veram sui cognitionem hominibus patefacerent, illúdq; Naturæ & conscientiæ testimonium pleniore & certiore lumine confirmarent: atque adeò generi humano certum ad felicitatis iter commonstrarent. Hæc est summa pulcherrimi sermonis quẽ apud Tertullianum orthodoxæ antiquitatis studiosus cum maxima vtilitate recognoscet. Audiat itaque meus Hayus argumenti mei ex his Tertullianeis collecti vim & finem.

Argumentũ meum ex hoc Tertulliani testimonio.

Tertullianus docet Deum ad naturalem sui cognitionem adiecisse Verbum suum, & illud quidem literis mandari voluisse, vt per illud ab iis quos felicitati destinauit, agnosceretur & coleretur.

Hoc ipsum quoque docemus, Verbum nimirũ esse notam Ecclesiæ, illúdque Verbum esse Scripturam, quæ salutis æternæ iter commonstret.

Itaque Veritatem hanc quam docemus, Tertulliani testimonium confirmat.

Maior ex ipsa Tertulliani lectione elucet: minor, ex illius doctrinæ cum nostra comparatione. Nos affirmamus collectam fuisse Ecclesiam Verbo Dei: Verbum Dei sanctis hominibus patefactum fuisse vt non tantùm Naturæ luce sed proprio

prio Dei testimonio Deum cognoscerent. Hoc autem Dei de se testimonium ne incertum esset aut ambiguum, literis consignasse, Prophetarum & Apostolorum suorum ministerio. Ecquid aliud ait Tertullianus? sunt enim hæc ipsius verba: *Quò plenius & impressius tam ipsum quàm dispositiones eius & voluntates adiremus, instrumentum adiecit literaturæ.* Quomodò? *Viros enim iustitia & innocentia dignos Deum nosse & cognoscere à primordio m seculum emisit spiritu inundatos, quo prædicarent Deum vnicum esse* &c. Illos autẽ *prædicatores* ait *Prophetas* fuisse appellatos, quorũ *voces & virtutes* ait *in thesauris literarum manere*, & illas quidem *proprias & vernaculas literas* esse Ecclesiæ: quarum Scripturarum maiestatẽ variis argumentis probat, illarum autorem Christũ esse ait. In quem finem? *Vt de Deo homo inquireret, inquisitum inueniret, inuento crederet, credito deseruet.* &, *Vt vitæ æternæ & præmia & supplicia intelligeret.* Hóccine non est luculenter describere Ecclesiam Dei, veritatis & felicitatis hęredẽ? Atqui non possunt hæc nisi in Verbo Dei intelligi: neque ex hominibus quisquam hoc intelligit nisi per Verbum Dei: neque facer ille cœtus veritatis & felicitatis hęres aliis auspiciis ad veritatem felicitatémque aspirat, non aliis eas consequitur quàm per Verbum Dei, non aliter à fanorum hominum cœtibus discriminatur quàm illa Verbi Dei nota. Ecquis igitur non videt vim argumenti mei in Tertulliani testimonio, quod de scripto Dei Verbo & de Ecclesia sua illa nota illustri luculenter concionatur, cuius defensionem vir pius & eruditus toto illo scripto instituit. Itaque de importuna Hayi reprehensione Lector ex his iudicato.

Verùm, quum ad rem nihil potuerit dicere,

extra rem Hayus euagatur. Nouum mihi opponit locum è Tertulliano: quem veritati ab ipso tam luculenter explicatæ veluti aduersantem vult à me explicari. &: *Quidrespondebis*, inquit, *Tertulliano negantis hæreticos admittendos ad disputationem de Scripturis, tum etiam quòd Catholici sint legitimi Scripturarum possessores, tum etiam quòd eiusmodi disputationes plus calamitatis quàm boni dare soleant.*

Pag. 59.

Hayi ὑποπλάσμα sive aberratio nouũ è Tertulliano locũ mihi opponentis.

Tria tibi, Hay, respondebo. Primum, te insigniter calumniari. non enim simpliciter & absolutè ita loquutus est Tertullianus, sed κατάπ. Erat nimirum illi res cum præfractis hominibus qui ab Ecclesia transfugæ, illius autoritatem sic eludebant vt vel Scripturas aliquas non reciperent, vel quas reciperent adiectionibus & detractionibus interpolarent, denique quas reciperent pro libidine interpretarentur. Interea Scripturæ nomine fusè gloriabantur. Et personas & rem ita designat Tertullianus. Quid ille? Affirmat frustra de Scripturis iniri disputationem, quum omnibus vtrinque commune sit nomen, nisi prius constet quæ nam sint Scripturæ quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturæ, à quo, per quos & quando Christiana doctrina qua ædificatur Ecclesia, inuenerit. Itaque non esse ferendam audaciã priuatum quendam hominem contempta Ecclesiæ autoritate Scripturas nullo iudicio prætexere, suumque iudicium publico Ecclesiæ iudicio anteferre. Itaque non temerariis huiusmodi cõdonandum vt de Scripturis instituatur cum illis disputatio: sed primùm explorandum esse an sint Ecclesiæ alumni velintne se illius iudicio submittere. Atqui ponit veram Ecclesiam Tertullianus quam qui negat esse veritatis custodem, &

Triplex Hayi calumnia in hac ἐκτάσει.

Prima est in personis & rebus. At negat Tertull. neq; cum quibuslibet personis neque de quibuslibet rebus disputationem esse instituendam.

interpretem, planè insanit. Abusum igitur non vsum Scripturarum notari, ex his perspicuum est.

Secundò, constat esse principij petitionem. id enim Hay, quod est in controuersia ponis tanquã ratum. Atqui neque nos sumus hæretici, neque vos estis Catholici. Catholici appellatio vobis est ὁμώνυμος & falsa: nobis, συνώνυμος & vera, quum penes nos sit pura simplexque Veritas: vos Mẽdacium veritatis nomine & specie, amplectamini & osculemini. Sacrorum codicum custos esse non potest pseudocatholica illa Ecclesia vestra, quum Antichristi Romani ductu & auspicio audeat de Verbo Dei pro arbitratu statuere, & vocem peregrini illi anteferre.

Secunda, quũ causa indicta nos vt hæreticos damnet.

Tertiò, perspicuũ est te noua fallacia illudere. Sicuti .n. neq; de quibuslibet hominibus neque de quibuslibet rebus loqui Tertullianum ostendimus, ita neque quolibet modo disputationem vult institui. Non omnes enim disputationes damnat quę cum hæreticis habentur (cur enim ipse aduersus hæreticos Scripturarum autoritati sub ipsarum nomine detrahẽtes de Scripturis disputasset?) sed eas quæ præposterè & inconsideratè fiunt: cuiusmodi sunt Iesuiticæ & Thrasonicæ rixæ, quales λογομαχίας damnat Apostolus, & nos detestamur, Christianas de Veritate ζητήσεις perreptantes, vt perutiles & necessarias ad illustrandam veritatem. Huiusmodi congressus siquando dabitur inire præsente Gallia, accipiemus, Hay, quam nobis offers conditionem, vt videamus quid ab Apostolis didicerit, & quid docuerit, & quid nunc doceat Romana Ecclesia.

Tertia, quũ legitima disputationis modũ cõfundat.

Iesuitica vecordia nos amandat ad tribunal Tridentinicõciliabuli.

Tuam verò interea amentiam Lector mirabitur, qui nos ad Concilij Tridentini decreta autoritatémque reuoces, vt te tua regula metiãre, & meretricem proprio testimonio probes esse castã

Universidad de Deusto Biblioteca

matronam. Nunquid igitur te pudet in re seria tam supinè nugari, id est eos Iudices nobis præscribere quos partes eásque hostili animo odióque infensissimas quotidie experimur? Concilium Tridentinum tribus aut sex dentibus si mauis arripito: nos terdentatos illos iudices repudiamus, & te dentes ne quicquam intentantem vt vecordem negligimus.

HAYVS.

De loco Hjlarij, lib. 1. de Trinit. *Quum itaque de rebus Dei.*

Hilarium planè non intelligis, qui eum erroris tuo fauere existimas. &c. pag. 61.

SERRANVS.

Hilarij testimonij scopus & sententia.

Verbi illius quod primariam esse Ecclesiæ notam affirmamus, demonstrãdus erat autor, Deus: vt cur Verbum Dei dicatur, intelligeremus. Illustre est ad hanc veritatem ostendendam Hilarij testimonium: cuius plana est perspicuáque sententia, Non hominum arbitrio nos stare aut cadere, sed salutaris doctrinæ autoritatem totam esse à Deo vt ipsum autorem, homines ministros esse intelligamus, illiúsque Verbo idcirco acquiescamus & obtemperemus, vt Dei non hominum Verbo. Meæ demonstrationi necessariam fuisse illam circunstantiam, nemo non videt: eámque Hilarij testimonio commodè probari.

Deus Verbi sui autor.

Itaque tuis, Iesuita, nugis quid nugacius, facetiis

cetiis quid infacetius infeliciúsve excogitari potest?

HAYVS.

Nemo est nostrûm qui neget Verbum Dei scriptis Apostolorum & Prophetarum contineri. Cæterum à te libenter discemus, quid sentias de scriptis Marci & Lucæ, quos Apostolos non fuisse constat. Quid item per Prophetarum scripta intelligas. difficile enim vobis erit probare omnia quæ in Veteri Testamento leguntur à Prophetis esse conscripta. Vehementer etiam cupimus vt omnes Scriptores Veteris Testamenti nominatim esse numerandos, subtili aliqua ratiocinatione ex Dei Verbo comprobes. Certè Caluinus negat. sine Paulum siue alium quemuis ex Apostolis scripsisse Epistolam ad Hebræos, quamuis multis in locis secum pugnans, Apostolo eam tribuat.

SERRANVS.

Hayus tãdem fatetur esse verũquod à nimamus.

Causa igitur profligata est, Lector. Id. n. cõcedit aduersarius in quo sita est nostra controuersia. Si ita est, Hay, cur nouis dubitationibus luculentã veritatem inuoluis? At ne infinita sit contentio, certis conditionibus litem definiamus. Hactenus fateris Verbum Dei scriptis Prophetarum & Apostolorum contineri, ac proinde nostris rationibus acquiescis. Nouum argumentum opponis, cui si satisfecerimus, nunquid euicerimus? Certè, si non te veritati cedente, erudito saltem Lectore

Noua tamen exceptione reponas.

iudice sic dirimatur controuersia. Sit ergo tuum argumentum huiusmodi

QVINTVM HAYI ARGVMENTVM.

Si Prophetarum & Apostolorum scriptis Verbum Dei scriptum continetur: omnino necesse est nullum cuiusquam scriptum quàm illorum esse Verbum Dei.

Atqui scripturæ omnes libri, neque sunt Prophetarum neque Apostolorum tantùm.

Ergo Prophetarum & Apostolorum scriptis Verbum Dei scriptum minimè continetur.

Maior per se probata est. Minorem Hayus probat ex vtriusque Testamenti, Veteris nimirum & Noui, libris. neque enim omnia quæ in Veteri Testamento leguntur, à Prophetis fuisse conscripta, neque omnes Noui Testamenti libros ab Apostolis: quum perspicuum sit Marcum & Lucam, Euāgelij tamen scriptores, in sanctorum Apostolorū numero minimè censeri.

Inepta Hayi vellicatio, *Marcum & Lucam non esse Apostolos:* ac proinde Prophetarum & Apostolorū scriptis tātū Verbum scriptum minimè contineri.

Respondeo, esse crassam & planè ludicrā Homonymiā. Quis enim nescit, Prophetarum appellatione, omnes Veteris Testamenti scriptores: Apostolorum autem nomine, omnes Noui instrumenti scribas censeri? Ita loquitur passim Scriptura: vt ex illis dicendi generibus constat, *Sicuti scriptum est in Prophetis: Ecclesiam superstructam fuisse super fundamentum Prophetarum & Apostolorum: Deum loquutum fuisse Patribus per Prophetas*: &c. Mosem maximum Dei Prophetam fuisse non, opinor, negabis: Dauidem singulari Prophetiæ dono excelluisse. Conscriptas quoque fuisse historias à Propheta quodam qui negauerit, ex ipsa

ipsa historia conuincetur. De Apostolis quoque constituendum est, licet peculiari significatione Apostoli vocentur κατ' ἐξοχὴν singularibus illis donis illustres quos Deus vocauit ad extraordinarium Euangelij sui præconium, tamen & Marcum & Lucam in illorum censu haberi: quorum vt notariorum opera & ministerio Deus vsus est ad historiam Euangelij conscribendam. Apage igitur prophanas & verè Iesuiticas λεπτυνσεῖας, quarum vanitas ab ipsis pueris deprehendi & cōuinci possit. Omnes sacri Codicis autores θεοπνεύστους esse qui negabit, eo ipso se impium & blasphemum prodet. Et audebis adhuc, miser Apostata, mendacis Spiritus vertigine perculsus, iniicere dubitationem in hominum imperitorū animis an Marcus, Lucas, sint Apostoli, omnésq; Veteris Testaméti scriptores, sint Prophetæ? Qui seruorum Dei tot authenticis testimoniis omni exceptione maiorum personis detrahit, ipsorum profectò doctrinæ detrahit. De autore autem Epistolæ ad Hebræos quod ais, est planè tuum, id est vanum & importunum. Græcorum & Latinorum Theologorum vetus quæstio est, de autore illius Epistolæ: vt non cum vno Caluino, sed cum tota Antiquitate rem tibi esse perspicuū sit. Verū cur de notario siue scriba disceptatur, quum de ipso autore constet, nimirum Spiritu sancto? quē admodum sæpe Caluinus inculcat. Atque hæc quidem aduersùs tuum argumentum, vt te etiam αὐτοσχεδιάζοντα teste, plena sit Veritatis victoria.

TERTIVM AXIOMA.

Omnia fidei nostræ dogmata ad salutem nostram necessaria, in Scripto Dei Verbo planè & perfectè contineri.

HAYVS.

Vt malè posuisti initia disputationis tuæ, sic cætera quæ ex his sequi existimasti, pessimè à te sunt constituta. Ponis axioma demonstrationi, *prorsus non essequor orationis tuæ venustatem. Magister tuus te hoc modo barbarè effatur quicquid in buccam venit, docuit.* pag. 62.

SERRANVS.

Iesuitæ rerũ ipsarũ & Logices imperiti. id arroganter reprehendũt quod nesciunt.

Non mirum est te ordinis seriem non assequi, qui ordinis planè es imperitus. neque enim cæcus iudicare potest de coloribus: erroris tamen cæcitatem demens arrogantia comitari solet, & procax reprehendendi res incognitas libido, vernaculum Iesuitarum insigne. At quò petulantius insultas, eò magis insanire te ex teipso iudicabit Lector: quum Veritatis odium sic tibi oculos obcæcarit, omnémque adeò sensum ademerit, vt de rerum etiam earum quas profiteris quæque in communi vitæ vsu versantur, summam prodas imperitiam. Demonstrationem esse certissimam viam ad Definitionem illam quæ τεκμηριώδης & τὸ διότι siue per causam definitio dicitur, (qualé ego in Ecclesia definiẽda quæro) è Peripato perspicuum est: cuius extat Decretum passim promulgatum, *πᾶσαι ὀπιστῆμαι διʼ ὁρισμῶν γίνονται, Omnes scientiæ per definitionem constituuntur*: ac proinde nõ rectè sciri Ecclesiam posse nisi rectè & è veris suis causis definitam, nemo non videt præter cæcos Iesuitas. Demonstrationis verò fulcra, esse Axiomata è Logica si nescit Hayus, ἄλογον se eo ipso profitetur, quòd logicæ orationis vim & ordinem (est enim illa Logices vera & natiua venustas) se minimè assequi palàm profiteatur. Iam verò demonstrationis meæ qua iter sterno ad Ecclesiæ definitionem, seriem & contextum, id est (vt Logicis vocabulis à me sæpiʼ inculcatis vtar) συμπλοκὴν & ἀλληλοχίαν ostenderem, vt nõ esset necesse me hìc actum agere, nisi me aduersarij cogeret importunitas. Primum posui Axioma, *Verbum Dei esse primariam Ecclesiæ notam*: quum illo Deus vtatur instrumento ad suorum salutem quorum communio Ecclesia est, & illa sit interior nota electorum, & exterior nota qua sacer Deo cœtus à profanis hominibus distinguatur. Sic veras causas notari, eruditus Lector animaduertit. Secundum Axioma erat, *Scripturam, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam, esse verum & indubitatum Dei Verbum*. quod necesse fuit perspicuè notari, quia ὁμωνύμοις nominibus Mendacium illudit Veritati. Proximum igitur est vt quænam sit illius Verbi scripti vis & efficacitas, demonstretur: quum Ecclesia illius Verbi auspicio salutem suam quærat. Iccirco necesse est vt doceam, in illo Verbo scripto contineri ea omnia quæ ad Ecclesiæ salutem sunt necessaria. Hinc tertium ponitur Axioma, *Omnia ad veram solidámque salutis nostræ cognitionem necessaria in Prophetarum & Apostolorum scriptis contineri*. Hanc legitimam esse Demonstrationis meæ σύνταξιν & ordinem, perspicuum est. Abi igitur, Hayus, & agnosce summæ esse temeritatis & insolentiæ, id reprehendere quod nescias.

Demõstrationis huiusce quæ tribus Axiomatis conficitur series & conformatio.

HAYVS.

In quo quæso Apostolorum aut Prophetarum o-

pere ſcriptum inueniſti fundamentum illud Sectæ veſtræ à Caluino præclarè iactum, Fidem eſſe diuinæ erga nos beneuolentię firmam certámque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata, per Spiritum ſanctum & reuelatur mentibus noſtris & cordibus noſtris obſignatur. pag. 61.

SERRANVS.

Noua Hayi fuga ſiue aberratio à primario inſtituto

Quorſum hæc? hæc ad rem ipſam minimè pertinent, ſed tu rei penuria, ad tuas ἀποπλανήσεις ſiue fugas excurris. Non erat meum te vagãtem perſequi: ſatis erat me oſtendiſſe te vagari. Si enim te ἀδολεσχίας reum, demonſtraſſem à veritate conuictum eſſe. Largiar tamen aliquid, ne ex meo ſilentio fidem facias apud minus rerum peritos loquacitati tuæ.

Fatetur Hayus, fidē eſſe fundamẽtum noſtræ religionis.

Peropportunè verò, Hay, dum res alias agis, Fidem dixiſti eſſe fundamẽtum religionis noſtræ (quam tu videlicet variarum ſectarum periclitator, inoleto tibi nomine emanſori & perfugæ, Sectam falſo appellas) quum non alio quàm fidei fundamẽto innitatur. Definitionẽ fidei vis à me probari diſertis Scripturæ teſtimoniis. Rem alioqui ampliſſimam paucis indicabo: ſingulas tamẽ definitionis partes perluſtrabo. Genus eſt huius

Definitio fidei.

definitionis. COGNITIO. Chriſtus Prophetarum & Apoſtolorum verus princeps ſalutarem hanc notitiam, vocat cognitionem. *Hæc eſt vita æterna* vt te ſolum cognoſcant verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioannis quoque pater Zacharias, cognitionem ſalutis appellat. &c. Illã autem non eſſe opinionem quandam aut hiſtoricam

cam notitiam Differentiæ generi adhibitæ oſtendunt. Prima eſt, FIRMA & CERTA. Hanc iccirco Apoſtol⁹ modò vocat πληροφορίαν, i. firmã & certã perſuaſionẽ, modò πεποίθησιν. i. fiducią, modò ὑπόστασιν, id eſt firmamentum. Diſerti ſunt loci. De Abrahamo fidelium patre, Aduerſus promiſſionem Dei non diſceptauit infidelitate: ſed robuſtus factus eſt fide, tributa gloria Deo, καὶ πληροφορηθεὶς plenè perſuaſum habens. &c. Et, Accedamus cum vero corde & certa perſuaſione fidei, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Et, In quo (. i. Chriſto) habemus libertatem ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, cũ fiducia per fidem ipſius. Ideo hæc firma & certa ſalutis noſtræ cognitio, vocatur AGNITIO ab eodem Apoſtolo: Pater ille gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, in agnitione ipſius. &c. Secunda & tertia differentia eſt, DIVINÆ BENEVOLENTIÆ IN IESV CHRISTO. Hæccine verò tam rata axiomata vis me probare? Si das eſſe vera, ſuperuacaneus eſſet in re per ſe confeſſa labor: ſi negas, eo ipſo conuinceris. Itaque in probando hoc principio non immorandum mihi eſſe exiſtimo: neque fortaſſe in illo, *Promiſſionum Dei obiectum eſſe Chriſtum*, in quo nimirum illæ factæ ſunt Etiam & Amen. At te Eccleſiæ emanſorem qui de rebus fidei ſoles Academicè in vtranque partem diſputare, cui præter illam dubitationem è Pontificiis cloacis hauſtam omnis religio eſt tantùm veriſimilis non vera: non eſt mirum dubitare de virtute Spiritus ſancti in mentibus & cordibus fidelium, quam fortaſſe nunquam ſentiſti vel cuius ſenſum omnem, infeliciſſime Apoſtata, ex animo tuo euellere moliris vt callum conſcientiæ tuæ obducas. Hanc Apoſtolus intimam Spiritus ſancti virtutem ſenſerat, & vult nos fideles ſentire:

Quòd ſit firmus & certus aſſenſus in promiſſionibus Dei.

Quotquot Spiritu Dei ducuntur, sunt Filij Dei. non enim accepistis Spiritum seruitutis rursus ad metum, sed accepistis Spiritū adoptionis, per quem clamamus Abba pater, Qui ipse Spiritus testatur vnà cū Spiritu nostro nos esse filios Dei. Fidelium autem & auribus & cordibus hæ voces circumsonant: In Christo sperastis & vos, audito sermone veritatis, Euāgelio salutis vestræ: in quo etiam posteaquàm credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ. Apostoli verba non audis? Apostoli igitur non Caluini verba, Mome, carpito. Scientiam autem illam salutis cum conscientia coniunctam esse idem Apostolus sæpe testatur, bonam conscientiam & fidem ἀνυπόκριτον non-simulatam, vt indiuiduas comites coniungens, & fidelibus eas solicitè commendans, proposito etiam tristissimo exemplo vt cautiùs ambulemus: de quo, hominum miserrime, si quando cogitares, naufragij saltem tui tessellas colligeres, vt in Ecclesiæ sinum redux, agnita veritate, nouum cor peteres à Deo misericordiarū patre.

HAYVS.

Vbi rursus in Prophetarum aut Apostolorum scriptis legisti alterum illud doctrinæ vestræ axioma, Fidei radicem nunquam è pio pectore euelli, quin ima in parte defixa hæreat, vtcunque decussa huc aut illuc inclinare videatur? pag. 62.

SERRANVS.

Dauidem inter Prophetas, Petrum inter Apostolos

stolos non agnoscis? Dauid in maguā licet culpā prolapsus esset, eámque grauissimas pœnas mereri fateretur, hoc tamen inconcussum fidei suæ firmamentum substernit, *Etiamsi ambulauero per vallem vmbræ mortis, non timebo malum, quia tu mecum es:* & Bonitas & misericordia prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ. Quamuis autem post perpetratum facinus acribus conscientiæ stimulis percelleretur, non dubitat tamē Deū adire hac fide fretus, & spe impetrandæ veniæ: quod nunquam fecisset, si fides prorsus ex ipsius animo excidisset, imo nisi fides aduersus omnes carnis insultus fortiter depugnans, non conseruasset hoc ἀξίωμα, *Iehoua perficiet pro me opus suū, Iehoua misericordia tua in seculum: opus manuum tuarum non dimittes.* De Petro autem cuius quoque lapsus grauissimus memoriæ proditus est, extat dissertum Christi testimonium, *Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua*, licet Satanæ cribro horribiliter fuisset ventilata. Certè, inter omnes carnis, mundi & Sathanæ impetus, fides certissima est victoria. Dauid igitur & Petrus post periculosissima certamina victores, non erunt idonei testes Christianæ firmitudinis vt fideles statuant fidem ab se excidere non posse? De infidelibus autem qui dicuntur facere naufragium fidei, dixit Ioannes: *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Nunquā illis fuit vera fides sed persona tātùm siue larua fidei, quæ si homines fallebat, non tamen Deum fallebat: qui nouit eos qui sui sunt, & qui fidelis est vt eos quos in communionem Filij sui vocauit, confirmet ad finem vsque per angustæ viæ salebras inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi.

Fidē è credentiū animis nū quam dimelli. Psal. 23.

Psal. 138.

Luc 12 32

1. Ioan. 2. 19.

1. Cor. 1. 8. 9.

HAYVS.

Non negabis etiam numeri Sacramentorum cognitionem, Christiano homini esse imprimis necessariam. Profer ergo Scripturæ locum in quo planè scriptum sit, duo tantùm esse Sacramenta. pag.62.

SERRANVS.

Duo tantum esse Ecclesiæ Catholicę Sacramenta.

Quò te rapiunt, Hay, tua insomnia? quorsum enim hæc de Sacramentis? De numero Sacramentorum inter nos Catholicos & vos Pontificios peruulgata quæstio est. Nos è Scriptura duo tantùm agnoscimus, Baptismum & Cœnam Domini: Vos è Verbi illius non-scripti mysteriis septé esse affirmatis. Nostrum est probare duo illa esse vera Sacramenta: de cæteris quinque vos cogitabitis quæ nos Sathanæ excrementa appellamus. De nostris duobus nulla est controuersia: quum è luculentis Scripturæ testimoniis constet, Baptismum & Cœnam à Domino fuisse instituta Ecclesiæ Sacramenta, de quibus ne vos quidem mouere potestis controuersiam. Cætera de quibus silet Scriptura, de mendacio præiudicanda quis non videt, quum Christum autorem non habeāt? Ecquid igitur de numero controuertitis? Duo esse Ecclesiæ Sacramenta minimè dubium est. Nihil nobis probandum est. Vos vestrorum sacramentorum manet probatio: quæ eo ipso nulla esse potest, quum duo tantùm Sacramenta à Christo Ecclesiæ suæ his vltimis temporibus fuisse instituta è cæterorum silentio perspicuum est. Atque hæc quidem breuiter huic Hayi insomnio; quum

quum hac de re vberius dixerim in tertio Antiiesuita quem Scoticis illius quæstionibus nuper opposui.

TESTIMONIORVM TVM E SCRIPTVRA, TVM EX Orthodoxis Ecclesiæ Patribus desumptorum, quibus priori meo libello astruebam hoc tertium Axioma, *Omnia fidei dogmata ad salutem necessaria in scripto Dei Verbo cõtineri*, HAYI OPPVGNATIO & MEA DEFENSIO.

Illorum autem testimoniorum hæc est œconomia & hic nexus.

E SCRIPTVRA.

Duo priores loci, de Scripturæ vi & energia agunt vniuersè.

Tertius, reuelatæ doctrinæ gradus ostendit.

Quartus, docet clausulam doctrinæ salutaris tandem impositam fuisse per Euangelium Spiritus sancti efficacitate obsignatum: vt constet eandem veritatem Ecclesiæ semper constitisse.

Quintus, Sextus, Septimus idem accommodāt distinctè Legi & Euangelio.

Quidnam verò his à me in hunc finem citatis Hayus opposuerit, videndum est. neque enim placet Thrasonicis illius ampullis quibus hîc exæstuat, respondere. De re ipsa dicendum, ex qua iudicium rerum fieri æquum & consentaneum est.

De primo loco, 2. Timoth. 3. 13. *A puero sacras literas nouisti, quæ te possunt &c.*

HAYVS.

Si quæ proximè antecedunt orationem illam diligenter perpendisses, fortassis non tam audaciter locum hunc aduersus nos ausus fuisses adducere. Tu verò, inquit Paulus, permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Quæro ex te num tuo iudicio, his verbis Apostolus fidei nostræ mysteria sit complexus, vt & illis, Formã habe sanorũ verborũ quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu. De scripto Verbo nihil audis. Si verò Apostolus omnia literis commendata fuisse existimasset, superuacanea fuisset hæc ipsius oratio. pag. 63.

SERRANVS.

Κενότητα & absurda quibus se Hayus inuoluit.

At tu si vel mentis vel conscientiæ scintillã haberes, non ita tuo te gladio iugulares. Quasi verò non possit aliquid disci & audiendo & legendo simul: & audiri etiã scripta non possint: aut quod viua voce explicatum sit, scripto nequeat commendari. Hîc certè ἱερῶν γραμμάτων Scripturarum sacrarum diserta fit mẽtio: ac proinde duplici fallacia ludis: vna quidem quam *A non causa*: altera verò quã ἀπὸ διάνοιαν appellant. Accedit triplex error vitiosi consequentis. Vides enim quàm bellè ista consequantur, Timotheus à Paulo aliquid didicit. Ergo Paulus reconditam habuit doctrinã quandam quæ non sit scripta. Vel, Timotheus à Paulo aliquid audiuit. Ergo Paulus idipsum non scripsit: ac proinde non omnia scripsit quæ viua voce docuit. Num potuit Timotheus discere aliquid nisi viua voce eruditus: aut audire nisi Pauli voce? Itaque inepti Sophismatis laqueis se irretiri sentiens Hayus se conatur extricare.

Variis modis aliquid potest dici non sola voce.

HAYVS.

Sed quid, dices, respondendum est illis verbis, A puero sacras literas nosti? Nodum hunc (siquis est) facile tibi expediemus. Apostoli sententia est de Scriptis Veteris Testamenti intelligenda, quorum intelligentiam Timotheus à puero fuerat consequutus. Si argumentum quod in his verbis reside re existimas, pro tuo errore quicquam faceret, cõcluderes nihil in Marci & Lucæ scriptis ad salutem reperiri necessarium, quod in Prophetarum & Apostolorum libris perspicuè non reperiatur.

SERRANVS.

Nouis te absurditatum nodis implicari, Hay, non vides? Si enim, vt te Veritas cogit confiteri, de Scripto Verbo loquitur Apostolus, negare audes SCRIPTVRÆ appellatione vniuersam Scripturam cõprehendi, quæ non minus Euangelium quàm Legem complectitur? Quasi Euangelium, sacræ doctrinæ clausula, augustum Scripturæ nomen peræque ac Lex, non mereatur! At *Legis, inquis, intelligentiam Timotheus à puero fuerat consequutus.* Sit ita sanè. Idcircòne consequitur, Ti-

motheum ex ipsa etiam Lege Euangelium nõ didicisse? quum enim finis Legis sit Christus, vt de seipso ait Christus,& Euangelij subiectũ sit Christus,quis neget Patribus sub Lege sic Euangeliũ illuxisse,vt ad salutem ipsis fuerit satis? Quũ igitur Paulus ait, Timotheum sacras literas à puero didicisse,significat ei minimè proponi peregrinã & nouam doctrinam,sed eam cuius elemẽta puer hauserat in Ecclesia Dei, in qua & natus & educatus fuerat:vt maximum agnosceret adiumẽtum sibi à Deo tributum ad veram salutarémque doctrinam feliciter docendam atque propagãdam. Certè SACRARVM LITERARVM appellatione, Euangelium designari à Paulo,hæc verba diserté ostendunt: *Per fidem quæ est in Iesu Christo.* Omnẽ autem salutarem doctrinam, quæ vel ad dogmata cognoscenda siue explicanda, mẽdaciúmque refellendum,vel ad mores rectè conformãdos pertinet,scripto Dei verbo definiri,vt ex illo vno sapiat Ecclesiastes,luculẽter idem docet his verbis, *Quæ te possunt sapientem reddere in salute*: &, *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* Quidnam enim adiungi potest ad perfectionem? At argumẽtum aduersus te retorquetur,etiamsi verum sit quod ais, Sacrarum literarũ appellatione Vetus Testamentũ notari: Si enim ita est vt dicis, tantam esse vim veteris instrumẽti vt satis possit ad salutem: quantò id magis de Euangelio constituendum est: quod minimè negabis Legis esse complementum? Audi ergo quàm bellè quadraret argumentũ ex tua sententia confectum: Paulus Scripturę sacrę id tribuit vt homĩnem perfecta doctrina perfectè instructũ reddat: Atqui Loquitur de Veteris Testamenti scriptis tantùm. Ergo non cõpetit Euangelio vt perfectam doctrinam tradat,quum id sit propriũ Legi.

Loquitur Apostolus de tota Scriptura, id est de Lege & Euãgelio.

Retorquetur argumentum aduersus Hayum.

Hac de re etiã egimus supra suo loco.

gi. Non vides consequutionis absurditatem? Cõsentanea igitur & necessaria erit consequutio, Si id Legi competit,multò magis Euangelio,Si Legi,& Euangelio. Ergo toti Scripturæ vel,Si toti Scripturę,Ergo Legi & Euãgelio. Sunt enim hęc planè ἀντίστροφα & reciproca. Abi igitur Hay cum tuis ἀδυνάτοις & absurdis, & disce nihil esse tam ἀχυμάτιστον & absurdum quàm Mendacium.

Porrò,terrificum argumentum mihi opponit Hayus: Si literarum Sacrarum appellatione omnia Bibliorum volumina intelligantur,inde consequi,Nihil in Lucæ & Marci scriptis ad salutem reperiri necessarium,quod in Prophetarum & Apostolorum libris perspicuè non reperiatur. Est ita,mî Hay. Hoc ipsum profectò consequitur. Hic nimirum est Veteris & Noui Testamenti consensus. Sic ait Christus, Sermones eos quos ipse dum in terris versaretur dixit, & quos Euangelistæ literis commendarunt, ęò referri vt ostenderent, omnia quę scripta sunt in lege Mosis, Prophetis & Psalmis de Christo, fuisse impleta. Et Apostolus docet, fidei doctrinam testimonio Legis ac Prophetarũ comprobari. Hæc sunt αὐτότυπα Christianæ doctrinæ axiomata, Vnicum esse Deum, vnicum Mediatorem Iesum Christum, vnicam veritatẽ cuius efficacitate post natos homines collecta sit ex humani generis dissipatione Ecclesia. Quòd si Lucam & Marcum veluti leuis armaturæ milites posteriori loco constituendos arbitraris, vide quàm importunè duplici blasphemia veritati insultes: dum Prophetarum & Apostolorum consensum negas, & sacrosanctæ testium omni exceptione maiorum autoritati impudenter detrectas.

Importuna & blasphema Hayi exceptio de Lucæ & Marci scriptis.

Luc.24.27
Rom.3.21

HAYVS.

Neque etiam negabis, vt suspicor, hanc sententiam de singulis Scripturæ partibus optimè posse intelligi, quamuis πᾶσα γραφὴ *tu malè verteris, Tota Scriptura.* pag. 63.

SERRANVS.

Bellè suspicaris. hoc ipsum est quod volo. Illúdne igitur mecum fateris, Hay? Si ita est, memor esto postmodum confessionis tuæ. Interea, te malè bonam doctissimi interpretis (id est Theodori Bezæ) interpretationem reprehendere, res ipsa clamat. πᾶσα, inquit Apostolus, γραφὴ θεόπνευστος, supplendum est τὸ προσκατηγορούμενον, EST: vt ita vertatur, *Tota Scriptura est diuinitus inspirata*, sitque hæc prima enuntiatio, Verbi scripti essentiâ naturámque ostendens: quæ Petri verbis sic explicetur, *Hoc primùm noueritis, nullam Prophetiæ Scripturæ esse propriè explicationis. non enim libidine aut arbitrio hominis allata est olim prophetia, sed electi à Spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Ecquam igitur Scripturam intelligit Apostolus? Eam certè de qua proximè loquebatur, nimirum de Sacris literis, quæ κατ' ἐξοχὴν SCRIPTVRA appellatur. Non rectè igitur *Omnis*, πᾶσα vertitur ne de qualibet Scriptura loqui Apostolum Iesuitæ calumniarentur, ac proinde Aristotelis & Scholasticorum omnem Scripturam, à Deo inspiratam esse, Apostoli autoritate contenderent. Sic Matth. 2. 3 πᾶσα Ἱεροσόλυμα apud Matth. tota Ierosolyma vel Ierosolymorum ciuitas. πᾶσα πόλις, tota ciuitas. nam de vna ciuitate, non verò de omni siue qualibet

Cõmoda Theodori Bezæ interpretatio imperitè ab Hayo reprehensa. 2. Petr. 1.

πᾶς pro ὅλος.

libet ciuitate sermo est. πᾶσαι δ' ἀνέῳγντο πύλαι, exponitur, ὅλαι: *totæ fores patuerunt*: ne in re leui cum meo leuiculo χαμαιπετείᾳ immorer. Verùm, quid inde colligis, magne Theologe?

Sæpe apud Hom.

HAYVS.

Si in vnam Scripturæ partem conuenit optimè Apostoli sententia, verbi gratia, in epistolâ ad Philemonem, ergo hoc Apostoli testimonium, breuissimæ huic Epistolæ, omnium rerum ad salutem necessariarum cognitionem asserit. Cur ergo tantam summus operam in cæteris sacræ Scripturæ libris euolueãdis ponam in huius vnius Epistolæ angustiis, omnia ad salutem necessaria nobis abundè suppetant? pag. 64.

SERRANVS.

Non est argumentari, sed ludificari. ecquis enim non videt esse fallaciam *Diuisionis*, quâ pars à suo toto discerpatur? Atqui vt totum suis partibus constat, ita partes in toto suo necessariò cõseruãtur. Iccirco rectè Apostolus *Totam Scripturam* dixit, vt sacræ doctrinæ ipsam ὁλοκληρίαν repræsentaret: cuius omnes singulatim partes sint sacra Scriptura, & ex fidei analogia id perfectè tractent in quo versantur. Itaque nec debent discerpi à suo toto, neque confundi cum suo toto, tanquam vel angustiores vel latiores: quum vnà συμφωνοτάτῃ coniunctæ, totam illam Scripturam conficiant cuius autor est Spiritus sanctus. Hanc totius Scripturæ indiuisibilem inconfusámque

Noua Hayi argutiola. *Si id singulis Scripturæ partibus conuenit, consequitur omnia Scripturæ libra sacra esse, ac proinde inanè operã sumi in cæteris Scripturæ libris euoluendis.*

Respõsio. *Esse strophã dimissionis,* quũ pars à toto (uo discerpatur.

συκοφαντίαν & necessitudinem qui vel detrahendo vel adiungendo tentat immutare, blasphemus est atq; sacrilegus: ex regula, *Quicquid ego præcipio, id obseruabitis. ad hoc nihil addetis, ab hoc nihil detrahetis.* Sicuti igitur aquæ gutta, gutta est, (vt ad tuam λεπτομερῆ exceptionem λεπτομερῶς respondeam) sic Epistola ad Philemonem Scripturę particula, est Scriptura. Nemo tamen sanus dixerit, inutiles esse cæteras Scripturæ partes, quasi ad vnicam illam partem referri debeant: quemadmodum neque dixerit quisquam vnicam aquæ guttã quam tamen constat aquam esse, vniuersam aquã complecti, vt vniuerso Mundo sit satis. Qui hoc negaret, veratro sanandus esset non argumentis. In illorum quoque hominum numero recensendus est Hayus, quorum ὁ ἔλεγχος ἴασις: vel propter Apostasiæ & impietatis virus, supplicium: quòd audeat sacrosancta Verbi Dei autoritate neglecta, impietatis suæ semina iniicere in animis imperitorum. Hæc quidem nulla veritatis specie ab ipso opponi huic Pauli testimonio, nemo non videt: ne tamen his fumis obstruat lumina Veritatis apud simpliciores, qui leuiculis subtilitatibus sæpenumero mouentur magis quã argumentis: rem per se alioqui non obscuram enucleatius explicabo: & ex Philosophiæ quidẽ cuius nomine minatur mihi Hayus, legibus atque institutis.

Accuratior respõsionis illius explicatio, è Totius & Partiũ descriptione.

QVANDOQVIDEM id Totum est quod ex partibus constat, & multiplex est partium vis atque natura: ad hanc quęstionem enodandam, partium differentiæ cognoscendæ sunt, vt partium cũ toto necessitudo intelligatur. Duplex partium ratio constituitur. aliæ enim partes sunt ἀσύνθετοι, id est subsantiales: aliæ πεπλασμέναι, id est integrales & definientes totum. *Integrales* vocant. Totum igitur est à quo nulla pars abest earum ex quibus totum

natura dicitur: & propriè partes ex quibus totum componitur. sunt enim verba Philosophi, Ὅλον λέγεται ᾧ μηδὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει: &, Μόρια ἐξ ὧν συγκειται τὸ ὅλον. Inde Axioma, *Totum maius sua parte.* Et sic idem ait, *Pars de toto nullo modo dicitur*: quum partes omnes Totum complectatur. Metaphy. 5.26. &,25. Topi. 45.

Ipsarum deinde Partium bimembris illa distributio expendenda est. *Substantiales* partes sunt, quæ rei substantiam constituunt: ac proinde sic natura comparatæ vt siqua partium desit, rem interire nonẽnque suum amittere necesse sit: vt sunt materia & forma: quemadmodum corpus & anima partes hominis: arboris lignum & humidum radicale: argentei poculi, argentũ & ipsa poculi forma. harum enim rerum huiusmodi cõditio est, vt siqua partium illarum absit, nõ res esse, neque tueri suum nomen possit. *Integrales* verò partes, rem integram constituunt, atque componunt: sic appellatę quòd vnà collectę totũ perficiant. non enim vna singulatim pars Totum cõponit, sed simul compositæ partes, totius rei integritatem explent: sicuti in corpore, Caput, vẽter, pectus, manus, crura, & reliquæ corporis partes, quæ corpus quidem ipsum absoluunt, seorsim tamen ipsæ stare non possunt.

Iam *Integralium* illarum partium non vna est differentia. Nonnullæ enim sine rei interitu abesse possunt, quædam verò nullo modo possunt: vt in corpore, Capitis abscissio, corporis vniuersi interitus est: manus aut pedis, non item. Deinde, partium illarum alia quædam est differentia. nõnullæ enim generis sunt eiusdem, & ὁμογενεῖς siue ὁμοιομερεῖς, id est cognatæ & similium partium, appellantur. *Similares* vocant scholæ, quæ eiusdem suos rationis, & in similes planè diuiduntur: vt

caro,ossa,nerui,cutis.nã carnis partes omnes sunt caro,itémque cæterorum. Aliæ autem sunt ὁμοιομερεῖς ὕλης siue ἀνομοιομερείας,quæ sunt diuersorum generum partiúmque dissimilium: de quibus singulis totum dici non potest.non enim cõsequitur,Caput est. homo ergo est. neque item carnes,nerui, ossa,quæque istis partes sunt similes, sunt homo. Illarum autem dissimilarium partiũ aliq ita sunt comparatæ vt sine rei pernicie abesse nõ possint: cuiusmodi sunt primaria illa siue vitalia corporis membra,quæ κύριαι vocantur,vt caput,cor,iecur, venter &c.Aliæ non item,vt sunt non-præcipuæ partes,sine quibus totum constare potest: veluti manus,pedes,oculi,aures &c.

Inde nascuntur Axiomata, *A toto ad partes,& à partibus ad totum valet argumentum. Toto posito,partes primariæ ponuntur: Sublato toto,partes necessariò tolluntur. Sublatis quoque partibus primariis,totum tollitur: & illis positis omnibus, ponitur. Secundariis partibus sublatis,non idcò tollitur totum.*

Toti' Scripturę cũ partibus suis descriptio.

IAM VERO, hæc instituto nostro accommodata sunt. Tota Scriptura,est ipsa sacrorum librorum vniuersitas quam BIBLIA vernaculo proprióque nomine Ecclesia appellat. Illius autem vniuersi veluti corporis,varia sunt quidẽ membra, ita tamen vt ad certam quãdam definitámque doctrinæ ὁλομέρειαν & summam referãtur quem Apostolus analogiam fidei vocat. Hæc doctrinę vniuersitas per omnia quidẽ Biblia diffunditur, & in singulis ferè libris conseruatur: in nonnullis tamen illustriùs atque vberiùs:vt minimè dubium sit de illa sacrorum codicum amplitudine atque diuersitate,partium illas quas notauimus,differentias notati quoque commodè posse. Substantiales videlicet quidam sunt atque primarij libri, in quibus salutaris doctrinæ fundamenta explicantur: cuiusmodi sunt illi in quibus Mundi & Hominis creatio, eiusdem hominis lapsus, & instauratio, Ecclesiæ incunabula,incrementa,ætates exponũtur: Substantiales quoque sunt illi in quibus sacræ doctrinæ gradus,series,efficacitas, propagatio edisseruntur:quomodò illa miserum hominẽ post lapsũ erexerit per fidẽ Mediatoris,quomodò in mediis peccati erroríque tenebris illuxerit, quomodò tandem quibúsque articulis plenã Euangelij lucem vniuerso mundo accenderit. Ad hanc classem reuocantur libri Mosis, & Prophetarum, quos illius fuisse interpretes verissimum est. Historiarum quoque monumẽta doctrinæ œconomiam Ecclesiæque statum quum ostendant, in hoc sensu collocari debent. Euangelistarum quoque veluti solennium testium notę, substantiales sunt maximè Bibliorum partes:quippe quę exponant aduentum Filij Dei, & plenam patefactionem salutaris doctrinæ in ipso & per ipsum. Petri,Pauli,Iacobi,Ioannis,Iudæ scripta singulari Dei prouidentia conseruata sunt vt sacræ illius doctrinæ vniuersitatem explicarent. At quis sobrius negauerit in communi illo adæquatóque orthodoxæ doctrinæ subiecto aliis alias illustriores ditiorésque esse Epistolas,quę tamen coniunctæ veræ doctrinę ὁλομέρειαν corpúsque cõponant? Epistola ad Romanos exponit necessariã doctrinã de iustificatione fidei in Iesu Christo: ad Hebræos,eiusdem personam duabus naturis perfectè constantem,officium, beneficiúmque docet: ne cęterarum argumenta persequar. His explicationibus carere non potest Ecclesia, quæ vt sunt commentarij doctrinæ de redemptione generis humani per Christum,sic aliis quibusdã argumentis meritò anteponuntur, quę tamen ipsa

plurimum habẽt momenti ad illam sacræ doctrinæ vniuersitatem constituendam. Hìc igitur integralium partium discrimen obseruandũ est. Quędam enim sunt huiusmodi vt sine veritatis ignoratione intercidere non possint: quales sunt substantiales illæ atque primariæ. Quædam verò huiusmodi vt licet desiderarentur, intelligi tamen ex aliis libris posset ea doctrina quæ in illis cõtinetur. Desiderãtur quippe Prophetarũ libri cõplures & didactici & historici, desiderãtur Solomonis Ethici & Physici: desiderantur Pauli cæterorúmque Apostolorum epistolæ quædã nullo tamẽ veritatis incommodo, quũ in illis qui supersunt, libris cumulatè intelligatur. Hìc applicari potest differentia partium Similarium & Dissimilarium. *Similares* enim sunt illi Bibliorum libri qui in eodem argumento versantur: sicuti Epistola ad Galatas eãdem tractat doctrinam quam Epistola ad Romanos, vario quidem modo explicatam, ac ἐν μορφῇ & σχηματι, de discrimine & vsu Legis & Euangelij, de fide eiusque effectis. Ita ad eiusdem doctrinæ fontes ambæ referuntur. &c. *Dissimiles* sunt libri qui in diuersis quasi generibus & partibus versantur: cuiusmodi sunt ij qui notant applicationem generalis doctrinæ aut refutationem quãdam, aut hortationem: sicuti complures loci in Epistolis ad Corinthios, Philippẽses, Colossæos & c. Ad hanc maximè classem referri debet Epistola ad Philemonem. agit enim de repetuata, insigne tamen Christianæ charitatis exemplum proponens in persona Pauli seruum apud dominum excusantis & commendantis. Non igitur certus quidem definitúsque doctrinæ locus διδακτικῶς illic exponitur, sed applicatur generalis doctrina rei familiari, vt norimus quomodo in communi vsu vitæ nos gerere debeamus. Hæc pecu-

peculiaris facti circunstantia veluti λόγου ὀρθοτομία, ad primarium doctrinæ fontem reuocari debet.

Vt autem ex ipso partium discrimine communia illa axiomata accommodemus, omnino valet cõsequutio: *Tota Scriptura est diuinitus inspirata:* &, *Epistola ad Philemonem est scriptura diuinitus inspirata.* Valet quoque consequutio, *Tota scriptura perfectè complectitur ea omnia quæ pertinent ad salutem, vitámque adeò bene beatéque instituendam:* non item, *Epistola ad Philemonem, Scripturæ particula, omnia huiusmodi complectitur.* Ratio est: quia parti non id conuenit quod toti: siue primaria sit pars siue integralis. Ecquis enim ita colligat, Caput est ergo totum corpus, ac proinde cętera corporis membra sunt inutilia, quum vnum caput homini sufficiat. Vel, Manus est, ergo totum corpus: ac proinde cæterorum membrorum inutilis est opera.

Responsionis huius summa.

Eadem est Hayanæ Logices cõsequutio, Si singulis Scripturæ partibus conuenit quòd sit diuinitus inspirata & vtilis ad salutem consequendã vitámque rectè componendam: efficitur vnicum Scripturæ librum satis esse, ac proinde inanem sumi operam in cæteris sacræ Scripturæ libris euoluendis, quum in vnius Epistolæ angustiis omnia ad salutem necessaria nobis abundè suppetãt. Ego verò respondeo id nullo modo consequi: & ratio manifesta est. Singuli quidem libri Scripturæ id perfectè docent in quo versantur: quum tamen sint partes Scripturæ non tota Scriptura minimè consentaneum est eas singulas complecti sacræ doctrinæ vniuersitatem, quæ nimirũ in tota Scriptura singulis suis partibus cõstare continetur. Alioqui non esset tota Scriptura, neque singuli libri essent totius Scripturæ partes: quũ totũ

cum partibus partes cum toto confunderentur. Vt autem Totum à partibus suis distinguitur, sic in Toto ipso singulis partibus totum constituentibus sua constat natura, sua autoritas, sua vtilitas, ac proinde singulæ partes sunt cognoscendę, vt tota Scriptura intelligatur: & blasphemus est Hayus qui vel negat quod disertè docet Spiritus sanctus, *Totam videlicet Scripturam ad hominem Christianum perfectè informandum valere*: vel Scripturam, quantum in se est discerpit, veluti Christi vestimentum carnifices humanæque opinionis aleæ ludibrióque eam subiicit. Ὁλομερὴς est, perpetuáque suarum partium ἀλληλοχία & serie secum consentiens Veritas, vt Iesuitarum furoribus scindi violarive nullo modo possit. Singulis igitur Scripturæ partibus sua constet perfectio atque autoritas, dummodò Totam scripturâ, sicuti à Deo nobis est per fideles seruos exhibita, reuerenter & seriò amplectamur. Atque de hac partium à toto dilaceratione hæc quidem Hayo satis. Verùm quídnam ille excipiat, audiamus.

HAYVS.

Quòd si errorem tuum consistere non posse dixeris, nisi Apostolum p● omnem Scripturam, Bibliorum volumina omnia intellexisse obstinato animo tuearis: quid de his Scripturis quæ dũ hæc ab Apostolo scriberentur, nondum extabant, senties: qualia sunt Ioannis Euangelium & Apocalypsis?

SERRANVS.

Sentio esse eiusdem planè cum cæteris autoritatis,

tatis, quia eiusdem sunt veritatis, neque referre quicquam maturiùs seriúsve sit scriptũ, dummodò sit scriptum, & in sacris Bibliorum monumẽtis contineatur. Quemadmodum non minorem autoritatem noua quàm vetera scripta, quum eadem fidei publicæ autoritate peræquè contineãtur. Certè, & Euangelium & Apocalypsin licet extremo tempore conscripserit Ioannes, in sacris tamen Bibliis suum habent locum. Hęc sunto igitur pondera Logices Iesuitices: ad quæ adiungit risum Hayus, vt quum ratione non possit, vincat ἐξωθεισμῷ. At cachinni Hayani causam cognoscamus.

Vltima Bibliorũ scripta eiusdẽ sunt cũ cęteris autoritatis.

De loco Act. 20. 27. *Non subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* &c.

HAYVS.

Non ait Paulus se scripsisse omne Dei consilium. Existimas fortasse Apostolum ex scripto ad populum semper declamasse. Age, Caluini Minister, elice ex hac Apostoli sententia tuum axioma, quod demonstrationi tuæ, venustè sanè, posuisti. Hoc modo tibi erit necessariò ratiocinandum. Apostolus nõ subterfugit quominus annuntiaret maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ omne consilium Dei. Ergo Prophetarum & Apostolorum scriptis certam indubitatámque omnium rerum ad salutẽ necessariarum cognitionem asseruit. Quis oro non dicam Dialecticæ tuæ peritus, sed etiam rudis, ad tam ineptam & Caluini ministro dignam ratioci-

nationem, risum tenere poterit? Tu aliter ἐνθύμημα tuum non formabis, si tibi cōstare volueris, quū ego disiunctas illius partes, verbis tuis paululum immutatis, conglutinarim. pag. 64.

SERRANVS.

Hayus abutitur vocabulo *Annuntiandi* quasi de viua voce tantū tribuatur, quū scripto etiam cōueniat.

Glorioſi militis vocem, Lector, audis: at tuipſe de ipſius triumphis mox iudicabis. Argumentationis igitur tuæ, Ieſuita, ſequar veſtigia. *Non ait*, inquis, *Paulus ſe ſcripſiſſe, ſed ſe annuntiaſſe.* vtitur enim voce εὐαγγέλλειν. Inde maximum abſurdum colligis quaſi è meis verbis efficiatur, *Paulum de ſcripto ad populum ſemper declamaſſe.* Cedō igitur, inî Thraſo. Aὐαγγέλλειν ſiue Annuntiare num dicitur tantū de viua voce, & non de ſcriptis? Apoſtolus Eccleſiæ quidem Epheſinę verbum Dei annuntiauit, quum præſens præſentem Eccleſiam affatus eſt: at quum pulcherrimam illam Epiſtolam quæ Epheſinæ Eccleſiæ nomen circumfert, nonne etiā hoc modo ei Verbū Dei annuntiauit? Certè, annuntiandi Euangelij præconium minimè tantùm circunſcribi, ſed ſcripto quoque conſtare ipſe Paulus teſtabitur qui Euāgelij prędicationem voce, auditione: ſcripto, lectione luculenter deſcribit his verbis, ipſam illam Eccle-

Epheſ. 3. 7. ſiam compellans: *Poſtquam audiſtis diſpenſationē gratiæ Dei quæ data eſt mihi apud vos, Deum videlicet per reuelationem notum mihi feciſſe myſterium illud, ſicuti antè ſcripſi paucis: ex quo perlecto poteritis intelligere quæ ſit mea intelligentia in myſterio Chriſti.* Eandem doctrinam ſe & docuiſſe & ſcripſiſſe, atque adeò illam ipſam eſſe doctrinam quæ omnibus ſeculis Eccleſiæ innotuerit, Apoſtolum his verbis teſtantem non ſentis, Ieſuita: & ita es demens

demēs vt exiſtimes craſſa vocabuli ὁμωνυμία quæ vel à pueris ipſis dignoſcitur, viros à te circūueniri poſſe? At reliquam argutiolæ tuæ partem expendo.

Quum ait Paulus *ſe nihil* ὑποστείλασθαι, id eſt *ſubterfugiſſe quominus annuntiaret omne conſiliū Dei*, ſignificat ſe vniuerſam ſalutis doctrinam planè & perſpicuè Eccleſię patefeciſſe, ſe nihil diſſimulaſſe quaſi palàm aliud docuerit, aut ſcripſerit, aliúdve quoddam exquiſitum reconditúmque doctrinę genus penes ſe retinuerit quod non eliminaret: ſicuti de ſummorum Philoſophorū ἀπορρητοποιοῖς illis quæ appellantur myſteriis perhibetur. Teſtatur Paulus ſe nihil huiuſmodi in Euangelio docendo feciſſe, ſed omne Dei conſilium annuntiaſſe. Βουλὴ ſiue *conſilium Dei* vocat Euangelij doctrinam qua Dei conſilium ſiue voluntas de ſalute generis humani reuelatur: auguſto quidem vocabulo vt Deus illius autor, homines tantūm miniſtri & diſpenſatores agnoſcantur. Πᾶσαν *omne* adiungit, vt totam perfectámque nō diſtractam atque diminutam doctrinam ſe expoſuiſſe teſtaretur: ac proinde ſe immunem eſſe ab omniū ſanguine, quum nullo modo deteſtauerit omnem ſalutis doctrinam illis patefacere. quibus verbis perſpicuè ſignificat ſummum eſſe ſcelus eorū qui veritatem ſe hominibus docere profitentur, ſiquid homines celauerint quod ad ipſorum ſalutem ſpectet.

Vera & perſpicua horū verborū ſententia.

Ex illis igitur Pauli verbis ita argumētor. Si omne Dei conſiliū (quod quidē ad noſtrā ſalutem pertinet) Epheſinæ Eccleſiæ Paulus annuntiauit, hæc duo conſequuntur: & illius doctrinam omnibus numeris eſſe perfectam atque abſolutā vt nihil in ea deſiderari poſſit, & illā doctrinā quā Epheſinę Eccleſię annūtiauit, ex ipſius ſcriptis eſ-

Argumentū ex hoc Pauli teſtimonio propriè naſcens.

se cognoscendam: quum non aliud docuerit quã scripserit,eámque doctrinam ad communé perpetuúmque Ecclesiæ vsum scripto commendarit. Verum est antecedens.Ergo & consequens. Iam verò hic syllogismus cum eo coniungendus est quem ex primo loco exponebam modo: vt duo prosyllogismi ad κύριον illud primariúmque ἀξίωμα ad quod me Hayus reuocat, illustrandum referantur.Prior locus, etiam per te, Hay, propriè refertur ad Vetus Testamentum:hic verò de Euangelio perspicuè loquitur,vtpote doctrinæ salutaris vltima clausula.Sic igitur plena est ex duobus his locis argumentatio: Quum tota Scriptura,id est Vetus & Nouum Testamentum,perfectã doctrinam complectatur quæ homini viam certissimam commonstret ad bene beateque viuendum: Scriptura autẽ sit Prophetarum & Apostolorum doctrina: omnino consequitur,certam indubitatámque omnium rerum ad salutem necessariarum cognitionem in illorum scriptis contineri.

Plena argumentatio his testimoniis collecta.

Hóccine argumentũ sobriis & eruditis ingeniis erit ridiculum: vel tu probabis extare quodpiam exquisitioris doctrinæ genus quod Paulus homines celarit, vt eum scelerati & sacrilegi silentij reum peragas?Quin tu potius miser Apostata,cũ Ismaëlitico profanóq; cachinno tuo abito.Quòd si ridere sine causa signum est stultitiæ:veritati illudere, blasphemiæ argumentum: écquid de te pium & Christianum Lectorem iudicaturum arbitraris?

De tertio loco,ad Hebr.1.1.Multis vicibus multísque modis. &c.

HAYVS.

HAYVS.

Tibi videtur vox Multifariam *barbara: cuius loco substituisti,* Multis vicibus. *Disce quid sit græcum vocabulum* πολυμερῶς, *ac tunc primùm liberè corrige aliorum interpretum errores.*

SERRANVS.

Mihi non videtur. laudatissimos enim autores illa voce vti scio. Et licet apud Ciceronem non inueniretur,non idcirco tamen vox barbara nobis videretur vlla quæ rem commodè repræsentaret,vt sunt termini artis. Theodorus Beza, doctissimus,quicquid obgannias,interpres(cuius ego interpretationem sum sequutus)magno iudicio sic vertit vocem πολυμερῶς, vt partium in hac Apostoli distributione ἀνταναπληρώσεων vim sententiámque exprimeret. non .n.idé est πολυμερῶς & πολυτρόπως Apostolo:at his duabus vocibus de industria vtitur vt sacræ doctrinæ œconomiam, id est in illius reuelatione gradus,seriem, mensurã, modum formámque significet. Neque verò Bezam aut me docebis,Σκοπεινὲ Attice,quid sit græcum vocabulum πολυμερῶς. scimus enim significare *Multis partibus*,siue *particulatim*,vel *multis vicibus*, vt distincta voce ætatum articuli & momenta, quibus Deus Verbum suum Ecclesiæ suæ patefecit,notarentur:sicuti dicimus, *A pleusieurs parties,à pleusieurs fois,& non pas tout à coup.* Nõ enim Deus eodem tempore plenam Euangelij sui cognitionem hominibus dedit, sed temporũ successionibus atque interuallis edocuit Eccle-

Harũ vocum πολυμερῶς & πολυτρόπως vera significatio apud Apost.

siam, in ipsis quidem incunabulis tenerioré, deinde verò adolescentiorem, tandem ad virilis ætatis constantiam Dei beneficio proué&tam. Sic igitur luculento dicendi genere Ecclesiæ ætates significauit Apostolus. Hæc quoque temporum ratio & dispensatio explicatur in epist. ad Galatas præclaro simili à variis hominis ætatibus sumpto, & ἐπὶ καιρῶν οἰκονομία τῦ πληρώματος alibi appellatur. Vt autem ætatum in homine proprium est & suum decorum, ita mensuram siue modum in singulis Ecclesiæ suæ ætatibus, prout consentaneum erat, gubernandæ adhibuit Dei sapientia: qui modus πολυτρόπως vocabulo expresè significatur. Ita & temporum vicissitudines, & variam docendi formam duabus vocibus ostendit Apostolus. Quum autem *Multifariam & Multis modis* idem planè sit, est βάτπολογία in interprete culpanda, qui autoris sui sententiam omni ambiguitate semota, debet commodis verbis repræsentare. Hoc quum doctissimus vir præstiterit, qualis scientiæ est commodam illius interpretationem insciticæ accusare? Mihi quidem cum illo inuolui, perhonorificum est.

HAYVS.

Quid vis ex hac sententia efficere? Axioma fortassis quod demonstrationi tuæ posuisti, vt sic tecum loquar: Mihi crede, ad normam Dialecticæ Aristotelis, nunquam institues ratiocinationem, vel probabilem quæ axioma tuum confirmet. pag. 64.

SER-

SERRANVS.

Argumentū ex hoc testimonio nascens.

Ex his Apostoli verbis sic instituo ratiocinationem ad tertiū ἀξίωμα illustrādum, Si Deus per Prophetas primùm, deinde per Filium in carne his vltimis temporibus manifestatum, & per Apostolos Filij solennes ministros sic loquutus est vt omnia Ecclesiæ suæ patefecerit quæ ad ipsius salutem pertinerēt: omnino consequitur, in Prophetarum & Apostolorum scriptis & Verbū Dei contineri, & in his Ecclesiæ salutem esse quęrendam: At verum est antecedēs. Ergo & consequēs. Antecedēs patet ex disertis Apostoli verbis. Hęc nimirum probabiliter à me non tantùm dici sed necessarium & verè τεκμηριῶδες argumentū à me institui, vident eruditi: quod æternis & incōcussis principiis innitatur: ac proinde consentaneum esse necessariam certámque conclusionem ex illis cōstare, nimirum, Verbum *Dei ad Ecclesiæ salutem necessarium quærendum esse tantùm in scriptis Propheticis & Apostolicis*: quo nimirū fundamēto ædificetur Ecclesia, Quod erat à me demōstrandum. Demōstrationis huius materiam è suis fontibus haustam intelligunt Christiani: at formam ipsam ex veris demonstrationis legibus esse constitutam, Academia etiam & Peripatus iudicabunt. Tu verò, magne demōstrator quid opponis huic tam luculentæ veritati?

HAYVS.

Deus multifariam multisque modis Patribus in Prophetis loquutus est. nemo nostrū hoc negat. Dico eum esse loquutum per Prophetarum scripta.

Esto. Et per Prophetas eos qui nihil scripserunt, vt per Heliſæum. Loquutus est etiam Apostolis in Filio. At scripta Filij Dei, quæ rerum ad salutem necessariarum cognitionem continent, proferre nō poteris. Pauca scripsisse legimus Filium Dei in terra. Si autographum huius scripti apud te habes, magno nos beneficio afficies, si illud nobis legendū transmiseris. pag. 65.

Ioan. 8. 6. 8

SERRANVS.

Impura Hayi exceptio.

Hæret primùm in salo Monachus, & se à Veritate teneri sentit: tum, erroris audaciæque æstu è salebris auulsus, ad blasphemiæ scopulos iocans abripitur: sicuti profanus Esau offam absorbens, primogenituræ iacturam irridebat.

Argumēti illius explicatio ex ipsius Testimonij diſertis verbis.

Sic nimirū est, Hay, Deus per Prophetas loquutus est: ac proinde Verbū Dei illud est quod Dei mandato Prophetæ hominibus annūtiarunt, Vtrū illius ministri non autores. Cedò verò, qui stare tuere possumus quídnam Prophetæ annūtiarint nisi ex ipsorum scriptis nobis constaret: quæ idcirco Deus extare voluit vt venturis seculis Ecclesia eodem Verbo, quod per os Prophetarum suorum superstitum hominum auribus insonuerat, edoceretur? quemadmodum de veteris instrumenti scriptis nominatim testatur Apostolus:

Propheta rū doctrina illud ipsum est quod scripserunt.

Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem haberemus. Nūquid igitur vides te tuo ipsius ore conuinci? Si enim vera est Prophetarum doctrina quæ in ipsorum Scriptis continetur, cedò aliam quandam Prophetarum doctrinam quæ nō sit scripta? *At Elizæus*, inquis, *nihil scripsit.* Quasi verò

Rom. 15. 4

verò aliud quidpiam docuit quàm cæteri Prophetæ: aut minus verum fuerit quod dixit, quia non extat id literis mandatum: aut aliud quoddā doctrinæ genus illa scripta complecterētur, quæ memorat sacra historia intercidisse. Est crassum sophisma, *A non causa vt causa.* non enim idcirco Verbum Dei est, quia scriptum (quis enim insanus dicat, omne scriptum esse Verbum Dei?) sed quia est Verbum Dei, idcirco Dei mandato scriptum est, ne hominum audacia corrumperetur: sicuti veritas periclitari solet in mendacium linguis. At omnis homo est mendax. Vobis autem peregrinæ doctrinæ architectis optimè quadrat Christi increpatio, *Si crederitis Mosi, crederitis mihi: de me enim ille scripsit. Quòd si illius scriptis non creditis, quomodò verbis meis credetis?*

Ioan. 5. 46

Apostolorū quoque doctrina illud est quod Apostoli scripserunt.

De Apostolorum scriptis idem planè constituendum est qui non autores fuerunt sed notarij tantùm veritatis. Hac de causa rectè Apostolus ait, *Deum loquutum fuisse per Filium.* non ait *per Apostolos*, licet Filij sint ministri & testes omni exceptione maiores, sed *per Filium*: tum quòd ipse Prophetarum princeps, Prophetis ministris olim ante suam ἐνσάρκωσιν vsus est, doctrinæ illius quam Prophetæ annuntiabant, autor & dominus: tum quòd statо tempore ipse ad suos venit vt proprio ore impleta fuisse à seipso Prophetarū suorum vaticinia concionaretur: tùm quòd nihil aliud Apostoli aut viua voce aut scriptis annuntiarunt, quàm quod ipse illis mandauerit. Eadem de causa vocatur *Euangelium Iesu Christi secundum Matthæum, Marcum, Lucā, Ioannem*: quòd scripti autor Christus, interpretes atq; notarij fuerint illi: quemadmodum erit Regis Edictū quòd secretarius scripserit, præco promulgauerit. Denique nemo pius dubitat Prophetarum & Apo-

Prophetiçe & Apostolicè doctrinę autor est Christus: Prophetæ & Apostoli, interpretes & ministri.

Impia & blasphema Hayi argutia de Christi scriptis.

stolorum scripta non esse hominum scripta, sed ipsius Christi, Prophetarum & Apostolorũ principis, qui vt ipsa est veritas, ita illius Spiritu impulsi & Prophetæ & Apostoli omnino & loquuti sunt & scripserunt. Hæc sunt certa & rata omnibus piis axiomata. Te igitur nõ pudet, blaspheme Iesuita, tuæ impudentiæ? *Scripta Filij Dei quæ rerum omnium ad salutem necessariarum cognitionem contineant, proferri non posse* audes & dicere & scribere: méque lacessere vt *autographum ad vos legendum transmittam.* Scripsit hauddubiè Filius Dei non modò *in terra*, vt tu iocabundus ais, sed in cœlo horribilem sententiam aduersus Apostatarum virulentos iocos. Extant in autographo decreta: *Eorum conuitia qui conuitiantur tibi, inciderunt in me*: & *Videbunt quem transfixerunt.* Hunc si redemptorem aspernaris, senties ex Euangelio suo iudicem & vltorem.

De loco Ioan. 16. 13. *Quum venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.*

HAYVS.

Non inde concludes quod in tuo axiomate posuisti, Omnia nimirũ ad salutẽ necessaria Prophetarũ & Apostolorum scriptis contineri. *Gaudeo verò te à Magistri tui blasphemia abhorrere, quum fatearis Spiritum sanctum Apostolos in omnem veritatem sine vlla restrictione deduxisse. Caluinus autem partes suggerendi tantùm, quas antè Christus docuerat, ei assignet. Quod nihil aliud*

aliud est quàm cum Eunomianis & Macedonianis Spiritum sanctum Patris & Filij ministrum facere. &c. pag. 65.

SERRANVS.

Argumentũ ex hoc Christi testimonio nascens.

Imo id concludam firmissimo argumento. Si enim omnem veritatem quæ ad hominum salutẽ pertinet, Apostoli didicerunt à Spiritu sancto, postquam Christus in cœlum ascendit, eámque illi veritatem & verbo annuntiarunt & scripto commendârunt: quum non possit secum Veritas dissentire, vbique semper, omnibus & hominibus & seculis vna & constans: écquam aliam in Verbo quodam non-Scripto veritatem somniat Ecclesia Romana, Christi vocem aspernans, Antichristi fascinos amplectens. Hoc est meum, Hayi, argumentum.

Caluinus aduersus virulentã Hayi calumniam vindicatur.

Tu verò videris quónam te reprehendendi abripiat libido, Caluinum reprehendis tanquã Eunomianum vel Macedonianum. Quid ais, ἀκεντρόμωτε Mome? Caluinus sanctæ Trinitatis Maiestatem aduersus hæreticorum latratus neruosissimè defendit. Caluini igitur verba quæ notas, expendamus. Sic ille disertè loquitur, *Esto igitur hoc firmum axioma, Nõ aliud esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod Lege primùm & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis contiaetur: nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex eius verbi præscripto & norma. Hinc etiam colligimus, non aliud permissum fuisse Apostolis quàm quod olim habuerunt Prophetæ: nempe vt veterem Scripturam exponerent, ac ostenderent in Christo completa fuisse quæ illic traduntur: idipsum*

Caluini verba.

tamen non facerent nisi ex Domino, hoc est praeeunte & verba quodammodo dictante Christi spiritu. Hac enim lege eorum legationẽ definiuit Christus, quum iussit vt irent ac docerent, non quæ temerè ipsi essent fabricati, sed quæcunque ipsis praeceperat. Inde addit, *Et quia quæ audierant ac didicerant ex ore magistri, capere pro sua rudita-te non poterant, Spiritus veritatis promittitur, à quo dirigantur in veram omnium intelligentiam.* *Illa enim restrictio aitẽtè notanda, vbi partes Spiritui sancto assignat,* SVGGERERE *quæcũque ante ore docuit.* Quidnam ex his Caluini verbis colligere potes, Iesuita, aut Eunomianum aut Macedonianum aduersus sacrosanctam Spiritus sancti diuinitatem? Nunquid quòd ipsum vocat *Dominum*, id est verum Deum? An quòd eum agnoscat *autorem omnis veritatis & à Prophetis & ab Apostolis reuelatæ*? sunt enim ipsissima Caluini verba. Quidnã verò aliud Caluinus dixit nisi quod Christus dixerat priùs? hæc enim sunt ipsa Christi verba de Spiritus sancti erga suos fideles vi & efficacia loquentis. *Ille docebit vos omnia, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν.* Quidnam verba illa significant? Vetus Interpres vertit, *Et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Est ergo Eunomianus siue Macedonianus vetus ille interpres cuius verbis tantùm vsus est Caluinus: qui Spiritus sancti officium describens, cùm *Suggerere* ait, *quæ Christus ante ore docuit.* Quasi verò quòd eandem veritatem quam Christus ipse docuerat, Spiritus sanctus reuocauerit in Apostolorum memoriam, sit idcirco minister & famul⁹ Patris & Filij! Quin potius deitatem Spiritus sancti certo argumento probari perspicuum est, quum videlicet salutaris doctrinæ à Christo Apostolis exhibitæ, & ab illis deinde

Vera & germana horũ Christi verborum sentẽtia.

Spiritus sancti ὑμοούσιον diuinitas ex his verbis elucet.

deinde Ecclesiæ & voce & scriptis annuntiatæ vim autoritatémque in credentium animis obsignet. vnius autem Dei opus est mentem illustrare, cor efformare. Deinde, dulcissima est promissio Ecclesiæ facta, fore vt à Spiritu sancto illustretur in agnitionem veritatis: sicuti dictum est, *Spiritus meus qui in te est, & verba quæ posui in ore tuo.* &c. Quomodò autem commodiùs vertes vocem ὑπομνήσει, quàm in *memoriam reuocare*, siue *suggerere*? Saltem debebas tibi in memoriam reuocare illud Ciceronianum, *Si forte memoria defecerit, tuũ est vt suggeras.* Abi igitur, Iesuita, cum tuis deliriis, & scito te non sine blasphemia blasphemiæ Caluinum accusare potuisse.

Quid sit ὑπομνήσει.

De loco Psalm. XIX. *Lex Iehouæ perfecta, &c.*

HAYVS.

Ex hac Dauidis sententia sic formabis ratiocinationem, ni fallor. Lex Iehouæ est perfecta, & testimonium Iehouæ fidele. Ergo Verbum Dei, Prophetarum & Apostolorum scriptis tantum definitur. &c. pag. 65.

SERRANVS.

Scelus est nouo huic Rabino ἀνεκφώνητον IEHOVÆ nomen, augusto DEI nomine enuntiare. Quasi verò Iehoua nõ sit Deus, posítve commodius vocabulum Dei essentiæ significandæ inueniri! Contextum Hebræum describit, eundémque inculcat characteribus Latinis, prouidus & a-

Tricæ Hayanæ.

quus aduersarius vt nobis videlicet consulat legendi imperitis. Non te pudet tot nugis libri tui molem exantlare?

Hayani argumenti ἀδελαχία.

Verùm argumenti Hayani vim pondúsque expendamus. *Aut imperfecta*, inquit Hayus, *Lex est aut perfecta*. Nos quidem negamus esse imperfectam. Quid tu? *Est perfecta*. Id vnicè nos affirmamus. Quidnam inde colligis? *Ergo est perfecta*. Hęc enim tua est cõclusio subtiliter ex antegressis cõformata. Atqui non vides te ἀδολεσχεῖν & nugari, idem inculcando?

Verùm, ais, *quomodo colliges, Verbum Dei Prophetarum & Apostolorum scriptis definiri?* Hoc nõ quæritur, sed an omnia ad salutem necessaria in Scriptura contineãtur: cuius primarię partes sunt duæ, Lex & Euangelium. Duo loci quos hîc citaueram, de Lege agunt disertè: tertius, de Euangelio quãquam & hîc de Euangelio. nominatim enim sit mẽtio remissionis peccatorum quam Euangelium nobis offert in Iesu Christo. Meum igitur est, Hay, huiusmodi argumentum. Si Veteris Testamenti Scriptura fuit perfecta, quum ea cõplectatur quæ ad bene beatéque viuendum sunt satis, & ipsa plenam omnibúsque numeris constantem doctrinam exhibeat, & erga pios sit efficax: postquam ad eam Scripturam Apostolorum Scriptura adiuncta est, veteris Scripturæ testimoniis confirmata, & ostendit omnia fuisse à Christo impleta quæ olim in Lege prænuntiabantur: omnino consequitur, totam Scripturam suis illis partibus compositam atque conformatam, perfectam esse atque absolutam: quippe quũ nihil in ea desiderari possit quod ad Ecclesiæ saluté pertinere possit. Habes meum argumentum.

Argumentũ meum ex hoc Dauidis testimonio.

Legẽ scriptã. i. vera tantum intelligi.

Tu verò quid excipis? *Nomine*, inquis, *Legis putas tantùm Legẽ scriptam esse intelligendã*. Puto. ecquænã enim alia Lex posset intelligi quæ vera sit Lex, quàm ea quæ scripta est à Mose & Prophetis? Cedò mihi aliã Legẽ. *At sine scripto*, ais, *olim constit t.* Βατταλογεῖς. Centies respondi, Illam ipsam legem olim Patribus sine scripto datã, nunc scripto commendatam fuisse, ne opinionum humanarum adulteriis pollueretur. Est crassum Sophisma Diuisionis. cur enim vltima tempora à veteribus discerpis? Primis parentibus Lex sine scripto data, in ipsorum posterorúmque animis insculpta erat. Efficacissima sunt Scriptura, κοιναὶ illæ ἔννοιαι quæ indelebilia atque sempiterna principia continent, & præscribunt κεφάλαια rerum & actionum. Idcirco eas *Scriptam Legem* vocat Apostolus: quæ quum peccati labe & caligine fuissent obscurata & quasi obsoleta, fuit instaurata & illustrata scripto, quod consignatis ministerio Mosis tabulis extare Deus voluit, ad memoriam hominum integritatémque rei sempiternam. Itaque fuit, est & erit illa Lex scripta, veta Lex: neque est alia quæpiam Lex Dei quã hæc Lex scripta. Non te igitur pudet, Hay, vnum atque idem ad nauseam vsque passim obtrudere?

Crambe Hayana de Verbo nondum scripto.

De loco Deuter. 12. &c. *Quicquid ego præcipio. &c.*

HAYVS.

In extremis verbis cap. 12. Deut. scriptum est, Quod præcipiò tibi, hoc tantùm facito Domino, non addas quicquam nec minuas. *Tu verò addis Scripturis & addendo violas præceptum Domini, quum in cap. illo 12. scriptum esse*

vis, quod non fuit à Moſe ſcriptum, fortaſſe in tuo autographo habentur & illa verba, non declinabitis ad dexteram, & alia multa quæ tu inſinuas hac tua venuſta clauſula &c. pag. 66.

SERRANVS.

Ridicula Sycophantæ ſcutrilitas ἐνάντιος deprehenſa.

Quum iocos tam ſæpe aſpergas, vis vrbanus haberi, belle Ieſuita: neque cogitas aliud eſſe appositè & opportunè iocari, aliud inſulsè obgannire, ſicuti faciunt inepti ſcurræ, ſiue improbi Sycophantæ: quemadmodum tu facis qui non vereris inſipidos putridósque tuos ſales in ſacrũ Dei Verbum illidendo, Deo ipſi ſceleratè illudere. Quis non videt me nihil de meo addidiſſe ei teſtimonio quod citaui? Hęc nimirum ipſiſſima verba in ſacro Bibliorum autographo leguntur: capite nimirum quinto Deuteronomij verſu 32. vt ego notaueram: *Cuſtodite ergo vt faciatis quemadmodum præcepit Iehouah Deus veſter vobis: ne declinetis ad dextram vel ad ſiniſtram. Per omnem viam quam præceperit Iehouah Deus veſter vobis, ambuletis.* Habes clauſulam explicatam. Abi igitur, nugator, & memineris tibi rem eſſe cum Deo qui non μυκτηρίζεται, id eſt qui tuas illas ſannas, ſiue Apoſtaſiæ tuæ virulentum ſputum in os tibi ingeret, & maxillas confringet impuri oris tui.

Galat. 6. 7.

HAYVS.

Prohibet Dominus ne quicquam addatur libris Moſis, tanquam à Moſe ſcriptum. Nam ſi ſenſiſſet Moſes, vt tu videris ſignificare, omnia ad ſalutem neceſſaria in Pentateucho contineri, Apoſtolorum ſcripta eſſent reiicienda, pag. 66.

SERRANVS.

Illud ipſum eſt iterum ludificari veritatẽm, nõ argumentari. Quæcunque in Scriptura continẽtur, Scripturæ partes eſſe affirmo, vt ex omnibus partibus Scriptura tota, quaſi, vt ſupra dicebam, ὁλομέρεια & vniuerſitas quædam conformetur. Verùm ad hoc vt maior ſit minórve ſcripto autoritas, nihil intereſſe aio prius poſteriúſve ſit ſcriptum, dummodò ſcriptum eſſe conſtet: quum vna ſit eiuſdémque & autoritatis & poteſtatis Scritum: ne hîc eadem inculcans, tecum κακόζηλος & loquacitatis accuſer. Quod in extremo capite Deuteronomij à Propheta quodam additũ eſt, pars eſt Deuteronomij: ac proinde Scriptura, eiuſdémque cum toto Deuteronomio autoritatis: ſicuti & cætera omnia Scripturæ monumenta à Prophetis ſcripta poſt mortem Moſis. Itaque hoc argumento tuo quo maximopere triumphas, nihil poteſt eſſe nugacius. Quaſi verò non eadem ſit veritas, idẽ autor Deus Scripturę & à Prophetis & ab Apoſtolis ſcriptæ! Num minor fuerit fides ſcriptis notarij adhibenda, quæ anno Milleſimo octuageſimo quinto ſcripta ſint, quàm quæ quarto aut tertio? Dignum Hayo Ieſuita argumẽtum, & toties inculcandum!

Bibliorũ libri vltimo tẽpore eiuſdẽ ſunt cum cæteris autoritatis, quia ſunt eiuſdem veritatis.

De loco ad Galat. 1. 8. *Etiamſi nos aut Angelus è cælo.* &c. de quo & ſupra.

HAYVS.

Apostolus his verbis non censet reiicienda omnia quæ ipse non docuerat, sed iis aliena & repugnantia. Neque scriptam doctrinam hoc loco nominat. non enim ait, Præterquàm quod scripsi, aut, præterquàm quod in sacræ Scripturæ libris scriptum est: sed præterquàm quod accepistis. Imo potissimum doctrinam sine scripto traditam significat. pag. 66.

SERRANVS.

Ex ipsius Hayi verbis retorquetur argumentũ aduersus Hayum.

Omnino ita est vt dicis, Hay, Apostolum non censere omnia quæ ipse non docuerat esse reiicienda, sed iis aliena & repugnantia. Hoc profectò vocat *Aliud Euangelium*: & hoc ipsum aduersus tuum de non-scripto Verbo commentum, disertè facit. Si enim ea quæ vel cæteri Apostoli in Ecclesiis viua voce siue scripto docuerant vel ad commodiorem ipsarum ordinem vsúmque constituerant. vel ipse quoque Paulus vel docuerat vel constituerat sine scripto, ALIVS EVANGELII nomine censeri nullo modo possunt: necessariò consequitur illa eadẽ fuisse cum scripto Verbo, ac proinde & ad illud reuocanda & ab illo diiudicanda veluti certa indubitatáque veritatis amussi: & ex vi consequentis, hunc locum opportunè à me laudari vt probem, Omnia ad Ecclesiæ salutem necessaria in Scripto Dei Verbo contineri. Quidnam hac luce illustrius dici potest: nec te tuis verbis conuinci vides, Iesuita? At *scriptã*, inquis, *doctrinam hoc loco minimè nominat.* Cedò igitur écquam aliam? Potésne probare Apostolũ viua

Argumentum meũ ex hoc Pauli testimonio.

viua voce aliud docuisse, aliud scripto? Tu quoq; fatebaris modò doctrinã ei alienam & repugnantem quam ipse docuerat, ALIVS EVANGELII nomine designari. Quidnã verò docuit Apostolus nisi quod in Epistola sua cõtinetur, aut quid aliud reprehendit ei contrarium? Scriptam igitur doctrinam, digito veluti monstrari non vides: & si non vides, non te tuæ cæcitatis pudet? At (inquis) non *ait quod scripsi, sed quod accepistis. Imo sine scripto traditam potissimum significat. ait enim alibi, Accepi à Domino quod tradidi vobis, & testatur se illud Euangelium Galatis notum facere quod eis prædicauerat: quod & ipsi acceperant & in quo stabant.* Hoc idipsum est, Hay, quod volumus. Disertè enim significat se non scribere nouam doctrinam, sed illam ipsam quam viua voce Galatis prædicauerat, quam & ipsi erant amplexi. Tuum ergo argumentum in te retorquetur ex illis ipsis quæ citas Apostoli verbis. Quòd *Tradendi, accipiendi, prædicandi* vrges vocabula, quasi de viua voce & verbo non-scripto tantùm intelligerentur, prorsus est nullum. écquis enim vel mediocriter eruditus non perspiciat in cæco sophismate crassum Elenchum ὁμωνυμίας? Quasi verò scripto non possit aliquid tradi, accipi, prædicari! Quidnam enim aliud tradidit Apostolus Ecclesiæ, quidnã aliud accepit Ecclesia, nisi quod scripsit Apostolus, & quod literis commendatum ad posteritatem transmisit, posteris profuturum seculis? Cœnæ quoque institutio quam se à Domino accepisse, eãdémque Corinthiis tradidisse testatur, nónne scripto commendata extat? Se etiam affirmat prædicasse Christum crucifixum, à legalibus ceremoniis euolutum. Hoc quoque literis commendatum extat. Certè, quod Apostoli prædicauerunt, quod Ecclesiæ tradiderunt, quod Ec-

Inanes Hayi exceptiones.

clesia prædicatum & traditum accepit, idipsum ab Apostolis fideliter scriptum in sacris Bibliis extat. Hoc nimirũ est Euangelium quod me iubes proferre. Profero igitur, Petri, Iacobi, Ioannis, Pauli, Iudæ epistolas. Nullum aliud sine scripto Euangelium per reuelationem Paulum habuisse aio: quod per reuelationem vidit, non est ALIVD EVANGELIVM aduersus quod tantis diris intonat sed illud ipsum est Verbum non-scriptum Scripto contrarium, quod vos Iesuitæ deliro mũdi senio nunc obtruditis. Abi igitur, Hay, cum tuis deliriis, atque disce & verius argumentari, & orthodoxorũ Patrum testimonia solidiùs proferre.

Iesuitæ impertissimi Antiquitatis.

Augustini enim, Athanasij, Cyrilli sententias peræque ac lenticulam vnguento agglutinasti, vt sint verba tantùm & voces, quibus duas penè paginas peregrinorum testimoniorum assumentis nequicquam expleres. Neque te pudet tuę demẽtiæ, etiam ἐπ' ἀυτοφώρῳ ἁλὼς? Perspicua sunt Patrum testimonia quæ nos ad Euangelium, ad regulam fidei reuocent. Quódnam est ergo verum Euangelium nisi scriptum: quænam fidei regula, nisi Verbum scriptum? Hæc sobriis lectoribus responsio abundè sufficiet.

Atque hæc quidem à me paucis dicta sunto: vt veram germanámque locorum è Scriptura à me citatorum sententiam à Iesuitarum calumniis vindicarem. Proximum est vt orthodoxorum Ecclesiæ patrum testimonia excutiamus.

TESTI-

TESTIMONIORVM AD HOC IPSVM Axioma confirmandum ex orthodoxis Ecclesiæ patribus à me citatorum, HAYI OPPVGNATIO ET MEA DEFENSIO.

De loco Irenęi, *Scripturæ quidẽ perfectæ. &c. lib. 2. ca. 47. lib. aduersus hæreses Valentini & similium.*

HAYVS.

Voluisti nobis negotium facessere. Quorsum vbi nihil opus est & capita & versus numeras, vbi verò res maximè postulat, ne librum quidem nominas? Adiciam integram sententiam Irenæi quæ habetur lib. 2. aduersus hæreses cap. 47. Vnus & idem Demiurgus &c. pag. 68.

SERRANVS.

Ergo in tituli apiculis erit dimicandum, antequàm de re ipsa dicamus. Magnum scilicet facinus est omissam fuisse libri notationem, quũ locus fideliter sit descriptus. At tu nõ vides, Hay, te in illa ipsa libri recitatione aliquid omisisse. tu enim, *Aduersus hæreses*: quum sit, *Aduersus hæreses Valentini & similium*. Hæc nimirum tibi vitiligatori non est importuna αὐτοψία, licet & præter animum & præter morem meũ. tua verò hîc trophæa. Maximum quoque tibi piaculum ea ex

Tricæ Hayanæ.

Irenæo excetpſiſſe quæ ad meum inſtitutum priè pertinent, niſi dimidiam paginam verbis à meo inſtituto planè alienis tecũ infarciam. Quidnam eſt κύμινον σπίζειν & in re ſeria nugari, ſi hoc non eſt? De re itaque ipſa:

HAYVS.

Quid inuenis in hac Irenæi ſententia quod axioma tuum confirmet? Irenæus ait Scripturas eſſe perfectas. *Ergo nefas eſſe ſentit exiſtimare quicquam ad ſalutem noſtrã pertinere, quod Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis non planè & perfectè contineatur? O pugionem plumbeum, quo hic nouus Caluini Σφαγεὺς nos iugulatũ iri putat. Perpende cauſam huius perfectionis quam idem ſubiungit, & noli in poſterum verbum vnum ex Autoris ſcripto (quod fortè nunquam vidiſti) arripere, ne pro Theologo ridiculus Sophiſta apud omnes habearis. Sunt itaque autore Irenæo Scripturæ perfectę, quippe à Verbo Dei & Spiritu eius ductæ. Perfectionem ergo Scripturarum ſi in eo vult eſſe poſitam, quòd nihil cõtineant quod non veriſſimum & certiſſimum, ab omnique falſitatis ſuſpicione alienum ſit: & quum rerum omnium eſſe auctorem & effectorem Scripturæ doceant, impietas maxima eſt, inducere plures Deos, vt fecerunt Hæretici quos Irenæus refutat. At tu qui ad eius patrocinium confugiendum duxiſti, explica ſi potes, illa eiuſdem Auctoris verba:* Si autem omnium quæ in Scripturis requiruntur, abſolutiones non poſſumus inuenire, alterum tamen Deum, præter eum qui eſt, non requiramus.

ra mus. *Apage igitur & diſce quid ſit argumentari, qui nobis tela quibus te cõfodiamus ἀναμωτὶ, dum errores tuos pro viribus tueris, nobis copioſè ſuppeditas.* pag. 68.

SERRANVS.

Bona verba quæſo, magnifice Thraſo. Neque error eſt, ſacroſanctum Dei Verbum aduerſus Ieſuitici mendacij præſtigias tueri: neque victoria, te Ieſuiticè gloriari. Me & germanam Irenæi ſententiam ad hoc illuſtrandum axioma in quo aſtruendo nunc verſor, rectè attuliſſe: me quoque non loci particulam auulſiſſe, ſed totam omnibúſque ſuis partibus conformatam ſententiam expẽdiſſe: te contra perperam Irenęum Irenæo (prętermentem & verba ipſius) oppoſuiſſe, Lector ex ipſis rebus iudicabit. De loco igitur ipſo primum vniuerſè videamus.

Irenæi teſtimoniũ à me rectè citatũ imperitia thraſonicaab Hayo perperam reprehẽditur.

Irenæi conſilium eſt, docere, Eos prorſus inſanire qui vel ſine Dei Verbo de Deo & ſupra Deum aliquid inquirunt, vel in ipſius Verbo profana curioſitate verſantur: id eſt vana ſciẽtia turgidi ea curioſè inueſtigant quæ humani ingenij captum ſuperant, quum ea ſint meditanda & diſcenda quæ noſtrę poteſtati & cognitioni ſubiecit Deus. Illa autem in Scripturis ſic expoſita fuiſſe à Deo teſtatur Irenæus, vt non aliam veritatis regulam quàm vniuerſas Scripturas, id eſt Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, habere debeamus: vt illis cancellis ſcientiam noſtram circumſcribamus. Eſſe enim nefas arbitrari, Chriſtum aliud docuiſſe clam, aliud palam: ac proinde impiũ eſſe, obtentu earum parabolarum quibus Chriſtus vſus eſt, nouos quoſdã exquiſitóſque ſenſus com-

Irenæi in hoc loco conſilium ſermonis œconomia, loci peculiaris vera & germana ſententia oſtenditur.

miniſci,quum ipſarum veritas ex ſimplici perſpicuáq; Scripturarũ dictione, ſemotis figuræ inuolucris,intelligi debeat atque explicari. Alioqui nullam fore veritatem quippe quæ pro vniuſcuiuſque arbitratu modò huc modò illuc alternãs, in varios peregrinósque ſenſus diſtraheretur ſicuti gentilium philoſophorum quæſtiones : nullã quoque fore fidem noſtram quæ in incertum effuſæ arenæ collocata,facilè corrueret atque peſſundaretur. Hæc tribus capitibus, nimirum quadrageſimo quarto , quinto & ſexto tractat luculenter Irenæus. Septimo proximè inſequenti eiuſdem ſermonis ἐπιξήγησιν inſtituens , hoc ait quod ego commemoraui. Indicata igitur vniuerſi ſermonis ſerie & œconomia , proximum eſt vt de hoc loco propriè agam.

NEGAT igitur vir ſanctus cuiquam mortalium fas eſſe vanis quæſtionibus indulgere ſine Scriptura: quum & illis vera de Deo ſcientia amittatur , & hæc veræ ſolidæque de Deo ſcientiæ vna ſit & conſtans regula. Porrò rationem reddit cur Deus in Scripturis rectè cognoſcatur , nimirum, QVOD SCRIPTVRÆ SINT PERFECTÆ. Cur ita? QVIPPE A DEO ET SPIRITV EIVS DVCTÆ. Hæc ſunt Irenæi verba quæ perperam à me citata clamat & ridet Hayus:qui locum illum ſic exponit : *Perfectionem ergo Scripturarum is in eo vult eſſe poſitam, quòd nihil contineat quod non ſit veriſſimum & certiſſimum , ab omnique falſitatis ſuſpicione alienum ſit.* Eſto. hoc enim dicimus: Scripturas conſtantem perpetuámque veritatis regulã eſſe affirmamus. Quid inde efficitur quod non pro me & contra te faciat? Si enim veriſſimũ & certiſſimum , & ab omni falſitatis ſuſpicione alienum,cur non in eo acquieſcunt conſcientiæ, omniáque ad fidẽ neceſſaria in eo contineri credant?

Irenæi teſtimoniũ explicatur : & Hayi interpretatio in Hayum retorquetur.

dant? & contrà, ſi illa certiſſima eſt veritatis regula,cur alias quærant & ſine Scriptura & cõtra Scripturam? Perfectionem videlicet Chriſtianæ vitæ melius Franciſcani in regula Franciſci , Dominicani in Dominici regula,vos autẽ Ieſuitæ in ἀδεσπότῳ veſtra regula,id eſt Caraphæ aut Ignatij de Loyela inſtitutis quæretis (in quibus omnibus falſitatis ſaltem ſuſpicio cadere poteſt) quàm in Scriptura? Vides igitur ſiquid mentis tibi ſupereſt , tuam confeſſionem in tuum caput retorqueri. Si enim veritas Scripturis definiatur,non poteſt quæri extra Scripturas. Verùm luculentiùs loquitur Irenæus quàm tua interpretatio explicauit. Perfectionis enim illius quam Scripturis attribuerat,cauſam reddens,reuocat nos ad primum illud & immediatum axioma,*Scripturas nimirum profectas eſſe à Deo & ab ipſius Spiritu.* Hoc ipſum docuerat Petrus affirmans Prophetiã Scripturæ non eſſe propriè explicationis : quum non libidine hominis allata ſit olim Prophetia, ſed acti à Spiritu ſancto loquuti ſint ſancti Dei homines. Hanc veram germanámque eſſe Irenæi ſententiam , nemo dubitabit qui locum inſpexerit. Ecquid verò aliud,Lector,aut docui aut doceo? Hoc vnum enim eſt tertij iſtius Axiomatis in quo explicando oratio mea verſatur, fundamentum: Omnia ad ſalutẽ neceſſaria in Prophetarũ & Apoſtolorũ ſcriptis iccirco cõtineri , quòd nihil de ſuo illi ſcripſerint: ſed à Deo inſpirati, diuinam perfectámque doctrinã ſcriptò fideliter commẽdatam Eccleſiæ reliquerint. Hoc igitur meum argumentum ex Irenæi teſtimonio verè & congruenter deductum eſſe, Lectorem iudicaturum arbitror.

Argumẽtũ meũ ex hoc Irenæi teſtimonio.

His ita conſtitutis , reliquum eſt vt oſtendam Irenæi teſtimonium quod mihi Hayus opponit,

Irenæi locus ostēdi tur cū nostra doctrina conuenire.

huic veritati minimè repugnare. Irenæi sunt hæc ipsa verba: *Si autem omnium quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus inuenire, alterum tamen Deum præter eum qui est, non requiramus.* Quidnam in his colligit Hayus? Omnia quæ ad Dei salutisque nostræ cognitionem pertinent, in Scripturis minimè contineri. Ecquis non animaduertat violentam planè interpretationem, nulla ne veri quidem specie, à Iesuita fabricari? hoc non glossemate? Omnino & verba ipsa singulatim & vniuersa sententia huic cōmento penitus repugnant. Nam *non inuenire omnium quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones*, non significat aliquid deesse Scripturis ad plenam solidámque Dei & salutis nostræ cognitionem, quemadmodum interpretatur Hayus: sed vera & peripicua est hæc illorum verborum sententia: Siquid in Scripturis inueniamus quæ intelligere aut explicare non possimus: aut aliquid disquiramus ipsius solutionem siue explicationem in Scriptura minimè inueniamus: (Absolutionis enim vocē de Græca ἀπόλυσις obscurè & ineleganter expressam verisimile est. est autem λύσις siue ἀπολύσις logicum vocabulum quod *explicare* significat: sicuti & *soluere argumentum & solutionem argumenti* dicimus. ex quo etiam fonte emanarūt ἀπολύειν & ἀπόλυσις.) siquid, inquā, huiusmodi in Scriptura inueniatur quod à nobis expediri non possit, non iccirco tamen indulgendum esse opinionis nostræ libidini vt alterum Deum comminiscamur quàm eum qui sese nobis in Scripturis patefecit, neque Scripturas ideo damnandas veluti imperfectas: quum Deo Opifici nostro & se nobis pro modulo nostro patefaciendi fides sit adhibenda, vt eum qualem & quo modo Scripturę nobis exhibent, amplectamur. Quid igitur? Non damnādas

das quidem esse Scripturas, sed culpandam esse infirmitatem nostram quæ illorum mysteriorum minimè capax est. Illam autem ingenij nostri imbecillitatem, hoc argumento ostendit. *Si enim* (inquit) *quæ ante pedes nostros sunt & in communi vitæ vsu versantur minimè percipimus, quātò minùs ea quæ ad vitam cœlestem immortalēmque pertinent, intelligemus?* Adhibet porro exempla ē rebus creatis petita quarum causæ sunt nobis incognitæ & vni Deo committendæ: sicuti inundatio Nili, accessus & recessus Oceani, pluuiæ, grandinis, fulminis generatio &c. Et hæc quidem sunt in Natura. At de iis rebus quæ ad Dei cognitionē pertinent, moderatiùs etiam cogitādum esse ait. quædam enim esse quæ Deus nos latere voluerit, neq; illa in scripturis suis nobis patefecerit: quædam verò in Scripturis quidem indicasse, hactenus tamen vt ea curiosius à mortalibus hominibus inuestigari nolit. Huic autem theoremati illustrando adhibet exempla. De primo quidem genere, earum videlicet rerū quas Deus vult nos ignorare, ob eámque rem in Scripturis non vult inueniri, hoc exemplū: Vt siquis quæreret, Quidnam faceret Deus antequàm mundum creasset. Hoc negat quærendum esse Irenæus, quum merū hac de re in vniuersis Scripturis silentium quam nimirum Deus vult nos nescire. De secundo autem genere, earum quæ licet in Scriptura indicentur, in illis tamen summa cautione versandum est, hoc exemplum: Docet quidem Scriptura mūdum fuisse creatum à Deo. Hoc quidem cognoscendū est: at humano more quærere, ex qua materia cuius ingenij vi atque industria, quibus machinis: & diuinæ sapientiæ Maiestatem ad humani ingenij modulū angustiásque reuocare, id verò nefas esse, neque sine blasphemia disquiri vll.

modo posse. Certè doctum est ignorantiæ genus, & indocta est vecórsque scientia. Hoc autem dicit Irenæus aduersus Valentinum, Marcionem, Saturninum, Basilidem cæterósque hæreticos qui de Filio Dei, æterna Patris Sapientia, & ὁμοσόφῳ ipsius λόγῳ veluti de humanis facultatibus disputabant. vnde infinitos errores natos esse tota disputatione ostendit. Decipulas igitur nectit Hayus eo genere Sophismatis quod à *non causa vt causa* vocant. ignorantiæ enim causam tribuit Scripturæ quã humani ingenij imbecillitati tribuere debebat. Hac de re nunquam Irenæus cogitauit, qui de Scripturarum perfectione, præstãtia, vsu amplissimo & maximo tam luculenter cõcionatur vt mirum sit quenquam reperiri qui tã perspicuæ veritati audeat repugnare, idipsum tamen copiosè & luculẽter docenti quod in hac disputatione instituo.

Aureę Irenęi sentẽtię de Scripturæ dignitate.

Summa est, Deum in Scripturis suis verè & ad salutem cognosci: Scripturas, id est Prophetarum & Apostolorum doctrinam, esse perfectas, quippe quæ Deum habeãt autorem. Præter Scripturas & sine Scripturis de Deo nihil esse inuestigandum. In Scripturis sobriè versandum. Ad Scripturas rectè intelligendas, simplicem germanámque ipsarum dictionem esse primùm expendendã, deinde ad fidei analogiam quæ in ipsa Scriptura cõtinetur, esse reuocandam: non verò indulgendum esse aut peregrinis & allegoricis interpretationibus aut infinitis quæstionibus. Denique, vnicam certámque Veritatis regulam in Scripturis cõtineri. Illustrissimi loci breuem synopsin placuit indicare, vt Lector Antiquitatis studiosus ex tenui pulcherrimarum rerum gustu ad ipsius loci inspectionem inuitetur, ex qua vt amplissimum fructum reportabit, ita de mei aduersarij impe-

me triumphis solidiùs iudicabit. id est num plũbeus sit meus pugio quem Iesuitico mendacio intentaui, num Irenęi sententiam diuulserim, nũ ipsius libros legerim: num me rectè argumentari doceat Hayus. Deniq; an potius sit ipse exsanguis & exsuccus Thraso: qui in manifesto mendacio deprehensus, nulla scientia, minori conscientia, luculentæ veritati ἀντικατάκειτος reluctetur.

Ridicula Hayi arrogantia ea reprehendens quę nescit.

De duobus locis Augustini: vno qui est lib. 2. ad Genes. cap. 5: altero, de peccatorum meritis lib. 1. cap. 22.

SERRANVS.

Dat manus tandem Hayus. Inuiolabilem scripturarum autoritatem confitetur, vt se Scripturarum violatorem proprio ore condemnet. Is quippe improbè violat Scripturarum autoritatẽ qui negat eas non docere omnia ad salutem necessaria.

Hayi verba in Hayum retorquentur.

Victus tamen & conuictus non desinit cõuitiari & obstrepere. Atqui vsu & ratione id mihi cognitum est, Hay, quod verè & appositè à me citatum esse agnoscit etiam ipse. Si neque fallitur neque fallit Scriptura quæ infallibilem docet salutis viam, tu falleris & fallis qui illius autoritati (quantùm in te est) detrahens, homines seducis à recta via, & in mendacij ruinam das præcipites. Atque de his quidem locis duobus hęc satis.

De tertio loco Augustini, ex comment. in Ioan. tractat. 49. *Quum Dominus Iesus multa* &c. pag. 69.

HAYVS.

Quid intelligas nescimus, quum ex obscura tua oratione certum aliquam sententiam elicere difficulter admodum valeamus. Certum est D. Augustinum de miraculis Christi Domini hanc sententiam scripsisse. &c. pag. 69.

SERRANVS.

Plana est & perspicua verborum meorum sententia ex verbis Augustini, *Ea quæ scripta sunt, ad credentium salutem sufficere*: atque adeo te grauissimè hallucinari qui aliter doceas. Tu verò, Hay, iterum crassè peccas qui Ioannem de miraculis tantùm loqui arbitraris. est enim vniuersi Euangelij clausula. idcirco rectè interpretatur Augustinus illa verba, Christũ & dixisse & fecisse multa quæ scripta non sunt. Num de solis miraculis egit Ioannes? Quî verò doctrinam in qua explicanda præter cæteros Euangelistas singulari quadã ratione elaborauit, prętermisisset: quî de miraculis tantùm egisset, prætermisso miraculorum fundamento, id est doctrina, cui obsignandæ adhibita sunt à Deo miracula? Iam & illud Augustini verbum turpificas, *Videbantur*: quasi non sufficerent reuera. Quod igitur Ioanni, Christi scriba visum est, non est Christo visum. Rectiùs Lucas, cuius testimonio abuteris, Hierosolymitanæ Synodi epistolam referens, *Visum est Spiritui sancto & nobis*: quum bis dixisset, ait, *Visum est Apostolis*. Nihil de suo Apostoli præsumpserunt, sed quæ ipsis sunt visa, certissima sunt Dei decreta. Ex prædicta verborum formula hîc te quoque victum fatêre.

Hayus Augustiniverba manifestè depra-uat.

Act. 15. 28.

Argumentũ ex hoc August. testimonio nascens.

fatêre. Quæ ab Apostolis scripta sunt, sufficiunt ad salutem fidelium. Scriptura igitur qua fides nostra innititur, omnia ad salutem necessaria complectitur: & ex vi cõsequentis, nouum quoddam Verbi genus quod nõ sit scriptum scripto ad supplementum adiungere, planè impium est atque blasphemum. Verùm hac de re infra suo loco copiosiùs.

De loco Chrysostomi, Homilia prima in prius caput Epistolæ ad Titum super hæc verba, *Euangelium continet* &c. pag. 70.

Codicem Hayi consulat Lector.

SERRANVS.

Paginam totam & alterius partem ineptulis vellicationibus conterit Hayus & rancidas exceptiunculas ad quas sexcenties iam respondi, inculcat: typographicos errores vt horrifica crimina exaggerat: Cypriani nomẽ pro Chrysostomo: Homiliam non indicatam: quæ certè nõ potuerunt esse μνημονικὰ ἁμαρτήματα (venia tamẽ digna nõ piaculo,) quum locum fideliter exscripserim. Verùm hæc quum leuia esse Hayus fateatur, cur huiusmodi errores traducit, & me veluti falsarium criminatur? Quòd totum locum non exscripserim. At nobis, ne nescias, Hay, charta & otio opus est, & veremur eruditorum cẽsuras qui elament, ἀλλ' ὦ θεὸς ἵπποι. Vobis Iesuitis vernaculũ est, omnia effutire ne tacuisse videamini. Loqui vobis victoria est, nobis non item: sed opportunè loqui. In *Prædicationis* vocabulo tota est con-

Gerre Hayane.

Crãbe ite rum incul cata de verbo nõ scripto.

trouersia. Accedit *quòd Euangelium cum scripto Verbo dicit me confundere: quum antè fuerit Euangelium, quàm vllum noui Testamenti verbum literis mandaretur.* Ecquid noui, Lector, audis? Eandémne cramben tibi reponam? Prædicationis verbum, ad scriptum peræquè refertur quàm ad id quod viua voce personuit. Ita prædicauit olim, atque etiamnum prædicat Apostolus per Epistolas. Quídnam verò voce docuit, nisi quod scripsit? Idem est Euangelium & antequàm scriberetur & postquam scriptum est: at solennis est scripti autoritas, vt veritas à médacio distinguatur. At nõ te pudet fastidiosæ tuæ βαττολογίας. Hi sunt ergo tui, Hay, triumphi: displicet tamen eruditis inanis loquacitas de re nihili περισσολογοῦσα.

De loco Gregorij in 44. cap. Moral. *Scriptura Prophetici sermonis &c.*

SERRANVS.

Locus est in Moralibus quum vitiosè scriptum sit in Pastorali. Torquetur Hayus, & me insciticæ accusat, dum suam insciticiam prodit in re plana desudans. At videris, mi Hay, ne stomacho tuo de cuius infirmitate subinde cõquereris, hęc importuna bilis sit fraudi. quid enim attinet de triticis tantopere digladiari? De re ipsa dicamus. Concedis verum esse Gregorij testimonium.

Nouæ triticæ.

HAYVS.

Non propterea tamen concludas, Axioma quod demon-

demonstrationi tuæ posuisti, verum esse. non enim ait D. Gregorius solam Scripturam prophetici sermonis *nobis esse lucernam, & lumen itineris.* &c. pag. 71.

SERRANVS.

Hoc saltẽ concedis, Gregorium loqui de Propheticis Scripturis. Argumentũ igitur ex te in te retorquetur, hoc modo: Si Scripturæ pars valet ad vitam bene beatéque componẽdam. Ergo tota. Sic verò amplificatur argumẽtum. Illustriore vberiorémque esse Apostolorum quàm Prophetarum doctrinam, perspicuum est. Quòd si angustior scripturæ pars sufficit fidelibus ad monstrandum salutis iter: omnino efficitur, augustiorem & illustriorem Scripturæ partem id potiùs prẽstare: atque ex vi consequentis, Vniuersam scripturam.

Argumẽtũ Hayii in Hayũ retorquetur.

Vt avtem non modò Testimoniorum ex eruditę Vetustatis monumẽtis à me citatorum œconomiam & finem: sed & tuum, Hay, in me perperam reprehendendo pruritum Lector veluti in Diagrammate siue tabula animaduertat, sic ex his testimoniis instituo ratiocinationem:

Argumẽtatio mea ex horum Patrũ à me modò citatorũ testimoniis cõformata.

Irenæus testatur sacras Scripturas, & Propheticas & Apostolicas, esse perfectas, esse regulam veritatis, esse verum de Deo & de salute nostra testimonium: sine illis denique homines miserè oberrare.

Chrysostomus testatur Euangelium ea omnia continere quæ ad hanc vitã futurámque spectant. Gregorius quoque idem de Veteris Testamenti doctrina concionatur, eam nimirum nobis præ lucere in hac vita, & viam nobis sternere ad veram solidámque felicitatem.

Itaque quum id & de Scriptura tota vniuersè, & de Lege & Euangelio propriè dicatur, necessariò efficitur, Omnia ad salutem necessaria in Scriptura, id est Prophetarum & Apostolorum doctrina contineri. QVOD ERAT A ME DEMONSTRANDVM.

Pag. 71. & 72. Cætera autem quæ & in hac pagina & proximè sequenti glomerat Hayus, neque exscribo neque excribro, vtpote responsione minimè digna. sunt enim & ἀπροσδιόνυσα & centies inculcata. Non disputat Hayus, sed partim suo more conuitiatur, partim βαττολογεῖ ἐν ταυτοῖς ὀπιμόνων, quemadmodum de Sophistis ait Plato. Hæc ex ipsius codice Lector animaduertat. Hanc verò assensionem ab Hayo tantùm amplector, eiúsque vt meminerit rogo Lectorem: Eandem videlicet scripti & non-scripti Verbi autorem esse Deum. Quidnam inde consequatur, è proxima disputatione perspicuum erit.

DEMONSTRATIONIS πόεισμα, necessariam circũstantiam complectens ad primariam Ecclesiæ notam illustrandam, *Sacramenta esse Verbi sigilla & appendices, atque adeò Ecclesiæ notam alteram.*

HAYVS.

Modò librum tuum quibus errorum portenta refercias, omnia erant tibi necessaria. Quid opus fuit cum disputatione de notis Ecclesiæ, miscere quæstionem non minus grauem de vi & ratione Sacramentorum? pag. 72.

SER-

SERRANVS.

Mendacium scilicet non potest persequi veritatem grauiori nomine quàm suo. Errores certè meos sic nominat Hayus vt Pharisæi impostura Christi: at æquum est spiritum erroris de errore loqui. De Sacramentis autem cur modò agam, hæc causa est. Quum ad constituendam Ecclesiæ definitionem, ipsius notas inuestigarem, ratio postulabat vt ad Verbum Dei idque scriptum (verũ enim veri Dei verbum sacris Scripturis contineri probatum est.) Sacramenta adiungerem. est enim maximum πάθος demonstrationis, sine quo constitui definitio ipsa non potest. Idcirco in definitione Ecclesiæ cum Verbo prædicato adiuncta sunt opportunè Sacramẽta, quæ vt sunt ipsa Verbi appendices & ritus additi Verbo, idẽ demonstrantia quod Verbum & ad eundẽ finem vsúmque instituta, ita & Ecclesiæ sunt notæ: quippe quæ non modò certitudinem promissionum Dei in animis nostris obsignent, sed sint quoque exteriores tesserę & solennia signa professionis nostræ. Habet methodi meæ rationem eruditus Lector. Tu verò, Iesuita, quidnam amplius moliris?

Cur hîc fiat Sacramẽtorum mentio.

HAYVS.

Age (quandoquidẽ ita tibi placet) paucis excutiamus tuas tesseras sigillata tua Sacramenta reuellamus, vt omnes singularem vestram in obsignandis Caluini decretis industriam perspectam habeant. Vis igitur cum eo Sacramenta esse Verbi tesseras atque sigilla. pag. 72.

SERRANVS.

Inepti Iesuitę ioci. Isa.29.11. & 8.16.

Sigillatæ sint verò tibi vera Sacramenta, sicuti Legem & suam omnem doctrinam ait fuisse veluti sigillatum seu obsignatum librum Hypocritis, ne videndo viderent aut intelligerent. Licet autem impius cæcúsque populus veros Ecclesiæ discipulos vt signa & portenta quædam detestaretur, vult tamen Dominus Legem suam in illis obsignari. Sic quoque latratus omnes tui tuorúque, Monache, sociorum haudquaquam impedient certam veritatis doctrinam quæ non est Caluini, sed Dei suam illam veritatem in suorum animis obsignaturi. At tua, magne Logice, argumenta iam expendamus.

HAYVS.

Præclarum sanè ponis disputationis tuæ de autoritate Verbi fundamentum. Sacramentum est Verbi sigillum. Ergo à Sacramento Verbum autoritatem (vt sic tecum loquar) precario mutuatur. Quis est enim alius sigilli vsus, nisi literis quæ illo obsignantur, autoritatẽ fidémque vt adiungamus afficere? Hoc argumentum non latuit Caluinum. pag.72.73.

SERRANVS.

Hayi argumentũ in materi. peccat

Argumentum tuum, Hay, apoplexia laborat: peccat enim in materia & in forma. In materia quidẽ, quia ponit falsum, sensu etiam ipso cõmuni teste.

teste. Quis.n. nescit sigilli vsum in societate generis humani? Nullum est sigillum, nisi in ipso vsu, siue ad priuatam siue ad publicam rem obsignãdum adhibeatur. quòd si ipsa res antegrediatur, tum sigillum valet plurimùm ad fidem confirmãdam & corroborandam eius rei cuius causa non modò institutum est, sed sine qua nullum est. Exẽpli causa. Quanti esset charta siue membrana alba sine vllo scripto, etiamsi sigillum adhiberetur? At idem sigillum siue Regio Edicto, siue priuato contractui obsignando maximę est & autoritatis & efficacitatis. Sic de Sacramentis constituendũ est quæ σφραγῖδες & σημεῖα à Scriptura appellãtur, & à veteribus ἀπραλίσματα & συνθῆκαι, i. sigilla, signa, pignora, pactiones, arrhabones, arrhę, symbola, tesseræ, ad rerum veritatem in animis nostris firmius efficaciúsque obsignandam, fidémque adeò corroborandam quæ veritatem illam sibi proponit veluti primarium finem suum. Hæc veritas in Verbo Dei nobis offertur: sed quoniam noster in assentiendo magnus est lãguor, his adminiculis eget nostra imbecillitas. Nuda signa nihil iuuant: at promissioni adiuncta, & ad suum vsum reuocata plurimùm conducunt. Caluinũ igitur à te, Hay, perperam reprehensum quis non videt: ac proinde ludicrum esse illud argumentũ tuum quod nobis nullo pudore affingis? *Sacramentũ est Verbi sigillum. Ergo à Sacramento Verbum autoritatem precariò mutuatur.* Insipidi sunt sales tui Iesuita. non enim Verbum à Sacramento autoritatem precariò mutuatur, sed Verbum præcedit, Sacramentum sequitur: illud quidem Dei veracis veras promissiones exponens: hoc obsignans easdem promissiones quarum causa institutum est à Deo. Est igitur crassus Elenchus, *A non causa vt causa.* Verbo enim fides innititur: ad certiorem

quia confundit vsum Sacramenti.

Legitimę Sacramentorũ vsus. Rom.4.11

Verbi cognitionem in animis nostris inferendã: accedunt Sacramenta Dei mandato. Ecquid verò incommodi est ab effectis ad causam iter sterni? Ita Sacramentorum commonstratione, veritatem in Verbo comprehensam animi nostri luculétiùs contemplantur. Argumenti tui acumen in ipsa re crassè peccantis Lector ex his animaduertit.

In ipsa autem forma quàm ridiculum est? *Verbũ summam habet autoritatem ab omni Sacramento seiunctam* (sic enim loqueris) & *Sacramentũ quicquid habet autoritatis à Dei Verbo accipit.* Quid inde colligis? Ergo Sacramenta non sunt Verbi sigilla? Tibi res erit cum ipsa Scriptura & erudita Vetustate, quę Sigilli nomen tribuũt Sacramento. Hoc tamen è verbis tuis consequitur. Erubescis: te ipsa constringit veritas. Itaque vt solent ęgroti causam morbi in cubilè deriuare, sic desperabundus Caluinum damnas, quum tuam demẽtiam damnare debueras in malè culpanda veritate. Quî enim non constat Caluini simile? Verbo Dei summa est in Ecclesia autoritas. Esto. Nũquid in Regno sũma cõstabit Regio Edicto autoritas? Itaque vt Regiũ Edictum Regio sigillo, ita Verbum Dei Sacramẽtis obsignabitur. *Aequáne, dices, homnis Edictũ Dei Verbo?* Respondeo, in hac comparatione non rem ipsam sed modum notari, & quidem κατὰ τὸ ἧττον καὶ τὸ μᾶλλον. Cõstare summam (quanta quidem in homines cadere potest) Regio Edicto autoritatem nemo nescit: Regio tamẽ sigillo cõfirmari quis negauerit? Ecquis verò erit sigilli sine Regio Edicto vsus? Ita Caluini simile à te euersum non vides. Idem enim de Verbo Dei constituendum esse nemo sanus negauerit, habita quidem nostri ratione quibus & Verbum & Sacraméta destinata sunt, ad hoc vt fides promissionum Dei in animis uostris euidentiùs efficaciúsque obsignetur. Certa quidem est atque sempiterna Verbi Dei autoritas, quæ nullis eget adminiculis: at in nobis obsignãdũ esse, ob eámq; rem externos ritus adhibendos, qui sensuum ministerio animos nostros potentiùs feriant, ecquis non videt esse necessarium? Itaque duplex te, Hay, error transuersum agit, *Vitiosi consequentis* (non enim consequitur, Sacramenta non esse sigilla Verbi, etiamsi Verbum Sacraméti sit priùs:) & *Rei perperã notatæ* (quam strophan vobis vernaculam, *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter* appellant) quum Sacramenta sint & dicantur Verbi sigilla, non quasi Verbum Dei sit ex se aut infirmius aut obscurius, sed id fit nostri ratione, qui his remediis ad fidem nostram subleuandam indigemus. id est, Ita compagata est hominum natura, vt licet non pari docendi forma Deus Ecclesiam suam docuerit, nihilominus tamen post homines natos huiusmodi adminiculis fidei nostræ imbecillitatem suffulcierit. Atque hic quidem est verus Sacramentorum vsus, extra quem quum nulla sint Sacramenta & SIGILLA idcirco appelleutur: efficitur, illorum officiũ cõmodiori vocabulo repręsentari minimè potuisse: ac proinde accusandum esse Hayum qui Caluinũ accuset, & informem esse illius in argumentando formam, vt argumentationis fundamentum est planè nullum. Prima igitur exercitus tui, magne Thraso, acies profligata est, germano Sacramẽtorum vsu & fine indicato. Quid ad hæc?

Argumẽtum Hayi peccat in forma si cuti ex ipso examine perspicuum est

---

HAYVS.

Hallucinatur etiam Caluinus, maiorem existimans esse in Sacramentis promissionum diuina-

rum perſpicuitatem quàm ſit in Verbo Dei. pag. 73.

SERRANVS.

Non reſpondet Hayus, ſed ſuo more ἀποπλανᾶται: re primaria prætermiſſa Caluinum petēs. His diuerticulis malæ cauſæ labanti commodè ſuccurritur. Pro Caluino tamen, id eſt pro veritate quam docuit Caluinus, Hayo reſpondebo.

Sacramenta Verbo prædicato illuſtriora eſſe, quomodo ſit verum.

Non hallucinatur Caluinus, Hay, ſed tu vehementer erras. Licet enim Verbum per ſe ſatis habeat lucis, ea tamen eſt animi noſtri imbecillitas vt ſicuti corporis auribus vtitur ad rerum veritatem percipiendam, ita & oculis opus habet. Imo docet experientia, non incommodum rerum κρεῖττον vt vt auditus propior ſit animi miniſter, qui res intellectiles quantumuis inuiſibiles ſolo auditu percipit: nihilominus tamen eam eſſe viſus efficacitatem vt res ipſas per ſe inconſpicabiles oculis ſubiiciendo, earum cognitionem & illuſtriorem & certiorem reddat. id eſt, ὡς ἐνεργέστεραν, ὡς ἐμφανεστέραν ὡς ἐμφατικωτέραν. vbi enim eſt maior rei ἐνάργεια id eſt perſpicacitas, ibi quoque maior eſt ἐνέργεια, id eſt efficacitas. Exempli cauſa. Propono ex Euclide aliquam demōſtrationem dogmaticè: principia, veluti axiomata quantumuis per ſe rata & luculenta, communeſque notiones, theſes, hypotheſes, theoremata, petitiones, periſmata & cætera id genus ad demonſtrationis ἀλληλαχίαν rectè conformandam, quantumuis accuratè explicato: idipſum tamen & facilius & feliciùs percipietur, ſi quod verbis explicaſti, adhibito diagrammate in abaco oculis ſubieceris. Sic & in commerciis. Quantò luculentior eſt atque efficacior rei exhibitio, quū Index

tradita tibi in manus claue, poſſeſſionem ædium tibi adiudicat quàm ſi nudis verbis pronuntiet illas ædes eſſe tuas? Ex illis rerum nobis cognitarū exemplis de incognitis iudicium faciendum eſt. Deus nimirum hominis opifex hominem nouerat, eiuſque ſaluti conſulens, totam docendi rationem illius captui accōmodauit. Hominem ad contemplationem natum, rationis, licet per peccatum infinita labe inquinatæ dono præditum, voluit per auditum erudire, inſtillato aurium operā atque miniſterio in ipſius animū Verbo ſuo, cuius vi eum inſtauraret fide inſita, qua veritatē ſuam per Verbum ſuum reuelatā amplecteretur. Hinc maximum Verbi & auditus encomium, *Fides ex auditu eſt: auditus autem per Verbum Dei.* Verumenimuerò hæc animi noſtri imbecillitas Verbo Dei languidiùs aſſentitur, ac proinde aculeis opus habet quibus excitetur: & quoniam res ſpirituales vtpote inuiſibiles tardiùs percipit, neceſſe eſt vt illæ ipſius oculis quaſi ſubiiciātur quò oculari & viſibili indicatione ſubleuatus ad ſpiritualem auguſtioremque contemplationem aſſurgat. Idcirco Deus inde ab incunabulis Eccleſiæ vſque ad adultam illius ætatem, id eſt ab Adamo ad Chriſtum vſque ſolennémque Euangelij prædicationem, non ſolùm tradidit Eccleſiæ doctrinam de generis humani cum ipſo reconciliatione, eámq; Verbo ſuo inſtruxit datis promiſſionibus: ſed ritus etiam quoſdam externos Verbo ſuo adiunxit, quibus nos toto ſibi cōſecraret. Hęc ſunt Sacramenta, quæ vt variis de cauſis Deus inſtituit, ſic illorum hic eſt generalis, princeps primariúſque finis vt diuini Verbi veritas in fidelium animis efficaciùs obſignaretur. Sic docet Caluinus, *Sacramenta afferre clariſſimas promiſſiones, & hoc habere præ Verbo peculiare, quòd eas*

Magna & multiplex Sacramentum vtilitas.

Rō. 10. 17.

Inſtit. lib. 4. cap. 14. §. 3.

veluti in tabula depictas nobis ad viuum repræsentãt. Certè non potuit veriùs expreſsiúſque Sacramentorum vis officiúmque deſcribi.

Sunt tamen & alij Sacramentorum fines huic primo ſubordinati, vt notæ nimirũ ſint profeſsionis,& conſeruandæ doctrinæ adminicula. Nos enim luculenter monent cuínam nomina noſtra dederimus,quibus abrenũtiauerimus: & nos reuocant ad certiorẽ doctrinæ cognitionem cuius cauſa fuerunt inſtituta, vt de ea ſeriò cogitemus: quum ipſa non ſint inania ſpectra, ſed neceſſaria ſigna ad teſtificandam doctrinæ veritatem adhibita: quemadmodum Moſes id ſeriò & ſæpe inculcat, & Chriſtus in Cœnæ inſtitutione iubet illum qoque Cœnæ notat, *quòd annũtiemus mortem Domini donec veniat.* Hac etiam ratione illuſtriora ſunt & efficatiora Sacramenta quàm Verbũ. vnuſquiſque enim cogitare debet & cur baptizatus fuerit,& cur ſacræ Cœnæ communicet. Deinde, quum ſpei noſtræ rationem reddere debeamus,ea doctrina diligenter tenenda eſt quæ in his Sacramentis quaſi ſenſibus noſtris ſubiecta continetur. Denique,hæc luculenta docendi ratio plurimùm valet & ad vitæ difficultates ſuperandas, & ad carnis libidinem domandam. Quũ enim in tentationibus in dubium vocatur,an etiã nos,quamuis Verbo credamus,ea ſimus accepturi,vel quia indigni vel quia quocunque modo ab his beneficiis exturbati: opponi vult Deus hæc pignora dubitationi. quum enim dato pignore ſeſe nobis propriè obligauerit,& ſit verax & potens ad promiſſionem præſtandam minimè dubitandum eſt quin ea nobis propriè ſit exhibiturus quæ propriè in nobis obſignauit: ac proinde generalem promiſſionem quæ vniuerſæ Eccleſiæ offertur,ſingulis fidelibus per Sacramenta applicari perſpicuũ eſt,eóque reſpectu illuſtriora eſſe quàm Verbum generatim omnibus propoſitum. Quũ verò carnis cupiditatibus percellimur, cogitandum eſt nos & Baptiſmi Sacramento conſecratos eſſe Deo,& ad ſacras Domini epulas admiſſos,vt membra noſtra iuſtitiæ & ſanctimoniæ mãcipemus quum planè ſit iniquum & turpe, ſacra Dei membra & immortali felicitati deſtinata,in eúmque finẽ acceptis pignoribus ſacris obligata,Diabolo addicere & peccato, ſeruã impuritati & iniquitati ad impuras carnis cupiditates perpetrandas. / Hactenus igitur Sacramentorum vis & efficacitas à me deſcripta eſt vt Lector Ieſuitis adhuc fauens hæc accuratiùs exploret,præfractámq; ipſorum in veritate oppugnanda audaciam ex ipſo rerum examine perſpiciat: Ridet Hayus, iocatur Iſmaël aduerſus Iſaacum. Quòd ſi, miſet Apoſtata, cogitares quanti ludæ conſtiterit ſacræ menſæ aſſediſſe, caninum illum riſum tuum conſcientia excuteret. At infelix non euitabis iudicem,ſi fugeris patrem.

1 Cor. 11. 25.

HAYVS.

Quid audio? Sacramenta dicuntur vniuocè de Verbo, & Verbum tantùm eſt illud quod ſcriptis Apoſtolorum & Prophetarum continetur? Ergo ſcripta hæc Apoſtolorum erunt Sacramenta. Quúmque in ſynagoga veſtra duo tantùm recipi vultis Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam, neceſſario ſcriptum Verbum erit aut Baptiſmus aut Cœna. &c. pag. 73. &, *Si ita eſt cur plebi pro Caluiniana Cœna, Bibliorum volumina non tra-*

dis deuoranda? Non minus enim charta, in qua Dei Verbum scriptum est, videri potest, quàm panis & vinum. Ibidem.

SERRANVS.

Omnino à monstrosa illa superstitione quælem, Hay, depingis, idcirco abhorremus, quia nó sumus aut exorcistæ aut transsubstantiatores, quibus sacram carnem ipsis dentibus atterere & deuorare. Inter illos primarium vobis Iesuitis locum attribuit Pontifex Romanus. Vobis itaque primis mendacij ministris ideo videtur ὀφείλεσθαι ξοι & absurda Veritas, quia estis filij mendacij & Sathanæ: qui reprobo Mundo persuasit, Euangelium esse scandalum aut stultitiam. Tu verò, negator, meminisse saltem debueras te hæc olim in Ecclesia Dei didicisse: & licet huius veritatis sensum ex animo tuo omnem euellere, callúmque conscientiæ tuæ obducere coneris, tuas tamé nugas esse meras blasphemias de quibus tandem aliquando reddes rationem Deo. Verùm ad tua respondeo. Vis igitur ea repetam quæ pueris etiam ipsis sunt nota. Si συώνυμα sunt illa ὧν κατὰ τοῦνομα ὁ αὐτὸς ἁπλοῦς λόγος *quorum nomen commune est, eademque nomini attributa definitio*, quomodo negabis Verbum & Sacramentum esse συώνυμα? Verùm certè genus eadémque natura τὰ ὁμώνυμα cómplectitur, quæ suis inter se differentiis distincta verè synonyma. num tamen commune nomen habent suæ definitionis caput. Quæramus igitur Verbi Dei definitionem. Commodè dixérimus, *Esse declarationé* siue *expressionem diuinæ voluntatis & sapientiæ de salute generis humani, sanctis hominibus a Spiritu sancto afflatam, deinde literarum monumentis consignatam.* Perspicuum sanè est illud idem genus Sacramentis esse commune. Sacramentum enim est *declaratio* siue *expressio diuinæ voluntatis & sapiētiæ de salute generis humani*. Non n. est humanū inuētum, sed Dei institutio. Eadem res in Sacramento quæ in Verbo proponitur. Differētiis quidem suis distinguitur à Verbo prædicato Sacramentum, varia enim est docendi ratio. illud aures ferit, hoc oculos. Non tamen ipsa distant genere. vnum enim Christum docent, vnum habent autorem Deum, eundem sibi proponunt finem, vitā æternam. Quum igitur sint ὁμόγλωσσα, quomodò non erunt συώνυμα, erudite Hay? Ridiculi sunt profectò tui triumphi. Verùm excutiamus propius tua argumenta.

Hayi Apostatę virus aduersus cognitam veritatē.

Verbū & Sacramentum sunt

Sacramenta & Verbum vniuoce dicuntur, & Verbum Dei tātum est illud quod Prophetarum & Apostolorum scriptis continetur. Hæc igitur Prophetarum & Apostolorum scripta, sunt Sacramenta. Est figura Sophistica quam ἀδολεσχίαν, id est nugacitatem appellant. Fallacia autem est in ipsa sententia. Sic enim de vniuocis loquitur Hayus quasi vniuoca vnius generis communitate inter se copulata, nullis inter se differentiis distinguantur. quod falsissimum est. Homogenea enim ita vniuocè dicuntur vt licet commune habeant genus vnum, cuius amplitudine contineantur, suis tamen & propriis differentiis inter se distinguuntur. Perinde ergo facit Hayus ac si diceret, Homo & bos sunt vniuoca: Atqui homo est aptus ad disciplinam percipiendū. Ergo homo est bos. Quidnam Hayano acumine obtusius est? Species enim Homogeneas confundit, differentias quæ generis amplitudinem veris propriisque notis circumscribunt, à rerum homogenearum definitionibus exturbat. Hoccine vel tyroni in Academia Peri-

Nugatoria Hayi argumenta.

patóve ferendum esset? In Ecclesia fásne ei fuerit blasphemis hisce nugis veritatem vellicare? Certè, Verbum & Sacramenta vno genere contineri vt ex superioribus satis constat, sic ex his quæ infra accuratiùs disseremus, enucleatiùs apparebit. Prophetarum & Apostolorum scripta sunt verè augustissima Sacraméta, quibus nimirum redemptionis nostræ maximum illud quod Paulus vocat, mysterium continetur. Verbum prædicatum, & Sacramenta Verbi prædicati sigilla, idem illud mysterium nobis exhibent. Sed quis ferat ludicrâ Iesuitæ Logicâ quæ vocularem homonymiis elaram perspicuámque veritatem inuoluit? Si Verbũ & Sacramentum enim in primigenia significatione accipiãtur, quis non videt Verbum Prophetarum & Apostolorum id esse, quod Prophetæ & Apostoli siue voce siue scripto docuerunt? Sacramenta autem & sub Lege & sub Euangelio quænam sint non debeo ostendere, vt per se nota.

At pergit ridere Hayus nobis obiiciens, Baptismum & Cœnam Domini esse scriptum verbum, Bibliorum volumina pro Sacramentis esse obtrudenda. Insulsissimus iocus, Iesuitis quidem dignus, quibus solenne est vniuoca cum æquiuocis confundere, at in ipsa vitæ societate supplicio animaduertẽdus. quis enim aurichalcum pro auro ferat sibi dari?

Verùm de re ipsa. Baptismi quidem & Cœnę (quæ duo Ecclesiæ Sacramenta agnoscimus) institutio, in Scriptura continetur. Hanc quoque Sacramentorum institutionem populo proponimus ex Verbo Dei. Populum docemus qua fide & reuerentia ad ea sit accedendum. At prudens Lector videt hoc telum aduersus te Hay, vibrari: Quis enim nescit ea quæ vocatis Sacramenta, esse inania spectra, non Sacramenta: verorum Sacra-

Quæ in ipsum retorquentur.

cramentorum idola & abortus? Verbum autẽ Dei vel planè exploditis, somniis Verbi vestri non scripti in illius locum suffectis: vel ita proponitis vt chartam & membranam cum Euangelij non prædicati siue lecti, sed in thessellas decisi nomine, ad morborum amuleta & magicas incantationes miseris hominibus obtrudatis. Hoc nimirum est vobis Euangelium quo vos ψυχέμποροι plebem iuuentutémque fascinatis. Et tamen audes contra conscientiã id nobis sycophãticè obiicere quod omnibus constat planè esse ab omni veritate alienum. Iesuiticum mendacium his ὁμωνυμίαις delectatur: ac veluti quum aurichalcum pro auro impostores vendunt imperitis, sic vos æquiuocã veritatem, æquiuocam Ecclesiam, omnia denique æquiuoca pro veris & vniuocis ostentatis. Nobis igitur vestra crimina quorũ vos esse reos nostis, sine rubore obiicies?

In summa, Quum Deus sese hominibus patefecerit ad salutem, quò ipsorum infirmitati sese accommodaret, Verbo Sacramenta adiiecit vt eandem veritatem variis quidem, at propriis & aptis modis Ecclesiæ exhiberet. Eundem Christum, eãdem veritatem, eandem vitam æternam, & per Verbum & per Sacramenta docet. Nihil hîc est Arcesileum, nihil Academicum. Has ἀπορίας vobis qui in Ecclesia vestra æquiuoca dubitationis & ignorantiæ scholas aperuistis, relinquimus. Tibi verò, Hay, vernaculas illas tuas καταλήψεις quas apostasiæ virus in te impellit, non bene cessuras, id est, te non impunè illusurum Deo, dogmaticè & sine vlla dubitatione noris.

Verbi & Sacramentorum idẽ finis & vsus.

HAYVS.

Optimè, Verbum auditur. Quódnam quæsũ

Verbum? Scriptúmne Verbum? Nunquid & verba illa quibus Sacramenta consecrantur, audiri possunt? pag. 74.

SERRANVS.

Pontificię Missæ susurri, siue incantationes magicæ.

Maximum scilicet absurdum, quod consecratoria verba Sacerdos non palàm enuntiat, sed secũ mussitãdo demurmurat, *Hoc est corpus meum.* Mirum te silentij illius decretum ex Verbo non-scripto nõ citasse: licet in sacris Eleusinijs probationem eius commodius eras inuenturus. Vera Sacramenta non sunt magicæ incantationes. Recitari palàm ex Verbo Dei debent, sicuti in illo diserte sunt instituta. Verbi Dei vsum notat Apostolus, *Quomodo autem credent ei de quo non audierint? quomodò autem audient sine prædicante?*

HAYVS.

At quàm præclarè argumentum instituis, Verbum per aures, Sacramenta verò per oculos docẽt. Ergo Sacramenta & Verbum modo tantùm & ratione distinguuntur. &c. pag. 74.

SERRANVS.

Iesuitæ differendi imperiti.

Nescis, magne Logice, aliud esse argumentari, aliud simpliciter docere quæ & qualis sit res. Tὸ ὅτι & τὸ διότι confundis. Hæc est Iesuitarum Logica & in rebus & in ordine peccans: hoc nomine vno semper victrix, quòd semper obstrepat. Hic verò non argumentor, sed rem simpliciter doceo. Ostendo enim & Verbo & Sacramentis commune quoddam esse subiectum, nempe Iesum Christum: eandem tamen doctrinam vario modo in Ecclesia proponi. Verbũ enim prædicatur vt audiatur, ac proinde aures erudit: Sacramenta Verbo adiunguntur, vt quod auditione perceptum est, oculari demonstratione in animis credentium obsignẽt: sicuti à me superiùs explicatum est. Hactenus dicebam Sacramentum aures erudire. est enim visibile verbum, vt modò docebit Augustinus. Cur autem Sacramentorum mentionem in designãdis Ecclesiæ notis iniecerim, hæc est causa. Quum Sacramenta sint non modò externa insignia Ecclesiæ quibus à cœtibus profanis distinguatur, sed promissionis quoque diuinæ pignora atque signacula ad fidem confirmandam: Sacramentis carere Ecclesia non potest, neque vnquã caruit: ac proinde instituti ordinis ratio postulabat vt quandoquidem notas Ecclesię inuestigarẽ, de Sacramentis quoque obiter loquerer vt Verbi Dei appendicibus, quod primariam Ecclesiæ notam esse hactenus demonstraueram. Iudicet modò Lector quænam sit Momi mei in me perperã reprehendendo siue scientia siue conscientia.

Cur Sacramentorum fit mentio in designãdis Ecclesię notis.

Hayus quoque fatetur sũprà, Sacramẽta esse notas Ecclesiæ.

HAYVS.

Saltem negare non poteris quin scriptum Verbum per oculos doceat. Ergo scriptum Verbum neque modo neque ratione à Sacramentis distinguitur. Excogita nouam aliquam inter Sacramẽta & Verbum tuum distinctionem, quam enim attulisti planè euersam vides. pag. 74.

SERRANVS.

Quomodo intelligendū sit Verbum audiri. Sacramenta videri aduersus Hayi cauillum.

Est Elenchus *à dicto secundùm quid à dicto simpliciter*. non enim dico vel tantùm audiri Verbū, vel tantùm videri Sacramenta. hoc enim nō modò auditur, sed etiam legitur. At vnum nō impedit alterum, imò prorsus eūdem habent finem & eundem vsum: illa non tantùm populo exhibentur vt videantur, sed vt & illorum institutio rectúsque vsus intelligatur, & auditam per Verbum doctrinam visa infigant in hominum animis. Verùm peculiare Verbi officium est vt prædicatum audiatur, neque fas est Christiano ita sibi indulgere vt per speciem legendi Verbi Dei prædicatum negligat. hęc enim est potissima ministerij Ecclesiastici pars, vt Euangelium Ecclesiæ prædicetur. Hoc igitur κατὰ τι debet intelligi ex vera germanáque Verbi & Sacramentorum doctrina: ac proinde nō meam distinctionem euersam, sed tuam reprehensionem peruersam videt eruditus Lector.

HAYVS.

Liberè hîc ingenij mei accusabo tarditatem, quum quid per subiectum intelligas assequi prorsus nequeam. Si enim vis Christum esse Baptismi materiam, & Concionem eiusdem Baptismi formam cum tuo Caluino, modò tibi constes, perficiendū erit vt Baptismus ex Christo Domino & Concione tanquam his partibus constans nos per oculos doceat. pag. 74.

SER-

SERRANVS.

Omnino libera est cęcitatis tuæ confessio. mētem enim tuam obstinatè reprobam non modò in clara luce cæcutientem, sed manifestæ luci tenebras inducere molientem pij & vident & dolent, qui te norunt Apostatam. Verùm de re ipsa. *Subiecti* nomine, res ipsas alicui arti scientiæve subiectas significari, éstne peregrinũ auribus eruditis, & à me recēs factũ vocabulum? De subiecto Logices, Physices, Ethices, Politices loquuntur Philosophi. quo nomine id significant in quo explicando vnaquæque illarum facultas versatur. Id quoque cui docendo Verbum & Sacramenta à Deo sunt instituta, vtriusque subiectum voco. Illud autem est Iesus Christus, Ecclesiæ redēptor: in quo omnes promissiones Dei factæ sunt etiam & amen, atque adeò omnium & Propheticorum & Apostolicorum scriptorum adæquatum subiectum est, verúsq; finis. Sic testatur Paulus se Christum vnicum doctrinæ suæ fundamētum substrauisse. Sacramenta autem eundem nobis Christum proponere qui negat, negat ipsius Christi testimonium, id est veritatem. Atque hæc quidem de Subiecti nomine.

Quomodo sit verū Christum esse subiectū Verbi & Sacramentorū.

Ad Chimæras deinde tuas venio. quid enim his tuis commentis aut peruersius aut monstrosius excogitari potest? *Christus est materia Baptismi.* Esto. *Baptismi verò forma, concio.* Quis vnquā nostrùm ita loquutus est, aut quidnam noua hæc verba significant? Quid de concionis vsu sentiamus, ille ipse Caluini locus quem citas, ostendit: vt tuo iudicio reus peragaris impudentiæ. Ait Caluinus *rectam Sacramēti administrationem absque verbo constare non posse: & nihil magis præpostę-*

Chimęricum Hayi argumētū refellitur.

Instit. lib. 4. cap 17. §. 39.

rum fieri quàm si in mutam actionem vertatur. sicuti sub Papæ tyrannide factum est: quum consecratio non ad elementa, sed ad ipsos qui recipiunt, destinetur. Sacramentorum siquidem forma, Dei ordinatio est quæ constat Verbo Dei. Ecquis verò inde colligat Tragelaphum illum tuum? In Baptismi celebratione adhibemus solennem formulã quam nobis præscripsit Filius Dei, & breuẽ perspicuámque illius explicationem adiungimus. In Cœnæ administratione idem obseruamus. Peracta concione, vtrũque celebramus, sicuti & ratio & Catholicæ Ecclesiæ vsus iubet. Quid hîc commune est cum tuo idolo? Abi igitur circulator, & disce saltem probabiliter calumniari. Hæc tua argutiola ne speciem quidem vllam habet nisi quã ait ille, *Delphinũ syluis appingit, fluctibus aprũ.*

Sacramentorũ celebratio post prædicationem Verbi Dei.

TESTIMONIA SCRIPTURÆ & Antiquitatis à me rectè allata ab Hayo perperam reprehensa.

De loco ad Rom. 4. *Et signum accepit Circumcisionis quod obsignaret iustitiam fidei.*

HAYVS.

Sacramenta esse verbi sigilla, te hoc Doctoris gentium testimonio conuincere posse existimas: sed erras, Minister. & c. pag. 74. 75.

SERRANVS.

Augustini dictum à me aliàs laudatum hîc cogor repetere, *Hæreticis nullam esse frontẽ.* In manifesto deprehensi mendacio, tamen obloquuntur. Apostoli & Augustini clarissima Solis luce clariora sunt testimonia: quæ tamẽ audet Hayus, nulla veritatis reuerentia, nullo testium pudore, nullo opprobrij metu nobis opponere, & tamen quasi parta victoria triumphare. Plana & perspicua est Apostoli sententia in his planis perspicuisque ipsius verbis elucens. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei,* vel *quod obsignaret iustitiam fidei.* Valet argumentum aiens à specie ad genus: quum posita specie non possit nõ poni genus, hoc pacto: Si Circumcisio est signaculum iustitiæ fidei in remissione peccatorũ. Ergo & Sacramentũ in genere est iustitiæ signaculum. nam illius amplitudine Circumcisio continetur. Quidnam est agere ex præscriptis verbis si hoc non est: ac proinde quidnam est negare ipsam veritatem, si illud non est quod Hayus negat? Atqui locum interpretatur & Originem adducit vadem & sponsorem peruersitatis suæ, hominem non modò *mugatorem, sed adulteratæ intelligentiæ, in tota Scriptura & in necessariis quidem rebus studium extra & contra veritatem variis argumentis demonstrantem,* vt Epiphanij verbis vtar: Antiquitatis denique carcinoma & vomicã profert Hayus. In Origene quidem rerum philosophicarum cognitio & eloquentia commendatur: at quantis ille erroribus insanierit, non est huius aut loci aut instituti commemorare. Quàm verò non dico ineptè, sed scelerate & perdite homo ille αὐτοδιδακτος puram germanámque vniuersæ ad Romanos Epistolæ sententiam multiplici cõmentorum congerie commaculare molitus sit, ex ipsa lectione eruditi iudicabunt, nullámque adeò fieri orthodoxæ Ecclesiæ iniuriam, quum

Augustinus ab Hayi calumniis hîc vindicatur.

Argumentũ à Circũcisione sũptũ ad Sacramentorum officiũ vsúmque vniuersè ostẽdendum.

Originem Antiquitatis vomica ab Hayo adducitur.

κόδοξος homo, Catholicæ veritatis hostis, & Eccle się nomine abutens, qualis sit, ex ipsis rebus ostenditur.

Origenis falsa interpretatio.

Sed quid ait Origenes? *Circumcisio vocatur signaculum iustitiæ, quia claudit & velat iustitiam fidei donec suo tempore in aduentu Christi, patefiat quomodo verè iustificetur filius Abrahæ qui est ex semine benedictionis.* Inuoluta sunt ἀλληγορήματα istius hominis verba. Ita igitur illa explicemus. Vel hęc de Patribus Origenes intelligit vsque ad primum Christi aduentum, vel de fidelibus post exhibitum in carne Christum vsque ad secundum aduẽtum. Si clausa & velata fuit iustitia fidei Patribus vsque ad primum Christi aduentum, magna fit iniuria Abrahamo cæterísque sanctis Patribus, quasi Christi beneficio fuerint priuati. Si de fidelibus post exhibitum Christum, accedit Chaos errorum: & reuocanda erit Circumcisio sine qua id de fidelibus dici non potest, & ipsius Christi beneficio priuantur, & ad millenariam illam felicitatem qualem Origenes commẽtus est, remissio peccatorum fidei nostræ oblata & iustię per fidem imputatio differtur. Operosum est phrenetici insomnia & deliria interprobari. Vobis potius, Hay, Origenis in lectione Scripturæ velamen cordibus vestris impositum est, ne vidẽdo videatis.

Simplex tamen & luculenta Veritas in planis & illustribus Apostoli verbis emicat, in quorum interpretatione quum illarum rerum de quibus loquitur, sensum & spem in nobis habeamus (vt inquit idem Apostolus) multa euidentia vtimur.

Vera & germana interpretatio huius loci, ex Chrysostomo.

Rectè igitur & luculenter Chrysostomus hunc locum ita interpretatur. *Vides fidei splendorem? Nisi enim illam fuisset adeptus, iustificatus non fuisset patriarcha Abraham. Vides quàm nihil impe-*

diat præputium? non enim prohibitus est iustificari Abraham, tametsi in præputio adhuc esset. posteriorẽ igitur à fide locum obtinet circumcisio. Inde postquã longo sermone exposuisset, notatã idcirco fuisse ab Apostolo temporis quo circumcisus fuit Abrahamus, circumstantiam, vt perspicuum esset neque in Circumcisione positam esse vim efficaciamque iustitiæ, neque incircumcisos à iustitia excludi: sed omnes credentes esse filios Abrahami, vt eodẽ quo ipse iustificatus est modo, iustificẽtur: in hæc verba, *Vt pater esset circumcisionis*, hæc addit, *Id est eorum qui & spiritualem circumcisionem simul accipiunt. Quòd si externam illam tãtum habueris, nihil habebis plus reliquis, ne signum quidem.* Signaculum enim tunc est *Circumcisio carnis, quando res ipsa quoque, hoc est fides, apud te cõparuerit. Illam si non habes*, signum nõ poterit esse *signaculum. cuius enim esset signaculum, si res non fuerit obsignata? Quod perinde est ac si crumenam egregiè quidem obsignatam, in qua tamen nihil esset reconditum, nobis ostentares. Non minus ridicula est Circumcisio externa, vbi fides intus non fuerit. &c.* Ita ait Chrysostomus rem cum signo cõiunctam esse oportere, & inane esse signum, quum non est signaculum: id est quum id non obsignat quod prædicat, & cuius significandi causa fuit à Deo institutum. Idcirco ibidem ait, *Circumcisionem prædicasse iustitiam fidei*: verum genuinúmque Sacramentorum vsum hac voce repræsentans.

Rei cũ signo coniunctio. vt externum signũ possit esse signaculũ.

Est rectè. non enim sine magno iudicio Apostolus duas voces adhibuit, σημεῖα & σφραγῖδος: quarum illa signum externum, hac signi externi vsum aptissimo loquendi genere significaret. Aliud enim est σημεῖον, aliud σφραγὶς. Illud nimirum patet latiùs (statua enim signum est, sed non potest esse sigillum.) sed sigilla apponi iis rebus so-

Distinctio vocum. σημεῖα & σφραγῖδος, i. signi & signaculi.

lent quæ sanctiùs conseruari debent. Ideò & priuatæ literæ obsignant & Principum diplomata sigillis muniuntur, vt sint solenni illa publicę voluntatis testificatione augustiora. Sic Dominus, nostrę (quemadmodũ diximus) imbecillitati consulens, Verbo suo quod veluti Edictum humano generi promulgat, Sacramenta adiunxit, vt obsignationes promissionum suarum. Qui igitur potuit verus Sacramentorum vsus accommodatiùs significari quàm illo σφραγίδος siue Sigilli vocabulo: quo nimirum signi substantia & effectũ explicatur? id est quorsum adhibeatur, nempe ad iustitiam fidei, qua in ipsius Christi possessionem mittimur, non simpliciter significandam, sed vnà etiam obsignandam: quatenus videlicet Spiritus sanctus reipsa id intus præstat quod externa cerimonia prædicationi Verbi adiuncta, oculis repręsentat. Hanc veram simplicémque esse loci istius sententiam, Lector eruditus videt, ac proinde à me rectè fuisse adhibitum vt probarem, *Sacramẽta esse verbi sigilla*: atque adeò ab Hayo perperam fuisse reprehensum.

Vera Augustini sẽtentia de legitimo Sacramentorũ vsu, aduersus Hayi calumnias.

VERVM Augustinus ab Hayi calumniis vindicandus est, ne Iesuitarum commentis fauere existimetur. Hanc quæstionem tractat Augustinus & verè aureus Scriptor, Eccuinam vsui sit Baptismi externa perceptio, quid valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita. Respondet, plurimùm valere propter Dei orationem, idcirco institutam vt res significata, id est beneficiũ Christi, in nobis obsignetur: sed non necessariam esse simpliciter & absolutè, quasi sine signo percepto nulla sit fidelium salus: quum tamen neglecta damnet. Internam sanctificationem quæ tota pendet à gratia Dei in Iesu Christo per fidem percepto, conuersionem nimirum cordis præcipuè requiri

De Baptis. contra Donat. lib. 4 cap. 23.

quiri in Baptismo: hactenus tamen vt externum signum à Deo institutum summa cum reuerentia & fide adiungatur, quoniam illud sit gratiæ Dei in nobis signaculum. Hæc enim est summa accuratæ disputationis: *Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, [id est externum signum] aliud conuersionem cordis, [id est internam sanctificationem externo signo repræsentatam] sed salutem hominis ex vtroque compleri, nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potest esse in latrone: complente Deo siue in illo sine in isto quod non ex voluntate defuisset. Quum verò ex voluntate alterum horum defuerit reatu hominem inuolui, & baptismus quidem potest inesse vbi conuersio cordis defuerit: Conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed cõtempto baptismo non potest.* Hoc ipsum igitur agit Augustinus in eo loco quem Hayus citat aduersus eam veritatem quam ego cum Augustino tracto: nimirum, Non alligatam quidem esse extergi quum vult, & sine qua signum planè est nullũ & inefficax:) signi tamen externi perceptionem maximi esse momenti ad rem ex Dei promissione percipiendam, cui obsignandæ atque confirmandæ à Deo omnis nimirum salutis nostræ autore institutum est Sacramentum.

Hęc est vera germanáque huius loci sententia, quem τοῦ τύπου ita explico: Augustinus ostendit Abrahami & Cornelij exemplis rem ante signum adhibitum præcessisse: adiunctum autem fuisse externum signum ad rem internam, id est iustitiam fidei siue spiritualem internámq; san-

ctificationem repræsentandam. Ideirco Paulum fuisse vsum voce SIGNACVLI, qua legitimũ Sacramenti vsum designaret. Isaaci & baptizatorũ infantum exemplo, quibus signum datur antequã per ætatem possint credere, idem quoque doceri: vt nimirum *sequatur in corde conuersio cuius mysterium præcesserat in corpore*: id est, perceptũ maturè signũ id obsignet quòd à Deo singulari priuilegio infantes acceperunt, iustitiam illam videlicet fidei & spiritualem sanctificationem in dono Spiritus Sancti. Vtrobique externum Sacramenti signum, est rei significatæ signaculum, ac proinde Proprium verè ἐσῶσες Sacramentorum quo ipsorum vsus ex Dei Verbo definitur, esse quòd sint sigilla promissionum Dei. Quod erat à me & propositum & luculento Apostoli testimonio comprobatum.

Quid potest dici, Lector, hac veritate illustrius? Et tamen triumphat Iesuita, & licet neque de re, neque ad rem dicat quicquam, peræquè tamen de me statuit ac de profligato hoste & in currum triumphalem iamiam inuehendo. Non vides Iesuitarum in Scripturæ & Antiquitatis doctrina fidem & audaciam, neque insignem illorum imperitiam cum procaci & virulenta audacia coniunctam detestaris?

De loco ad Ephesios, *Vt Ecclesiam sanctificaret* &c. & Augustini in eum interpretatione.

HAYVS.

Apostoli sententia contra vos facit, qui Ecclesiã Christi sceleribus omnibus esse contaminatam defenditis, lauacróque aquæ per Verbum nunquam expiari: &c. pag. 75. & 76.

SERRANVS.

Pudet me sanè tot inanium verborum. Quorsum enim duas paginas nugis & conuitiis occupatas? Nihil hic omnino est quod ad rem pertineat. Sobriis videlicet rerúmque nostrarum peritis, Hay, persuaseris nos docere Ecclesiam omnibus sceleribus contaminatam esse? Primùm hoc tibi profectò persuadendum esset ipsi, qui nostri id non modò à vero, sed à verisimili penitus abhorrere. Licet enim sine ruga & macula non esse in hoc mundo Ecclesiam sciamus, sanctam tamen profitemur illam, quippe redemptam & sanctificatam pretioso sanguine Filij Dei: *Nunquam expiari lauacro aquæ per Verbum*: quum Baptismum & remissionis peccatorum & regenerationis sigillum, & in Ecclesiam Dei (remissionis peccatorum & vitæ æternæ hæredem) esse introitum iis etiam qui peccati naturæ communis labe rei non peccarunt ad similitudinem Adami, perspicuè doceamus. Hęc quum doctrina in Ecclesiis nostris perspicuè sonet, & id perspicuè peregrinis scripta nostra testentur, non te pudet, Hay, tot veritatis testibus futuris, tam impudenter veritati illudere?

Putidæ & importunæ Hayi calumniæ infinita loquacitate cumulatę.

Quòd tuo more vellicas locos à me fideliter citatos, quasi vel libri vel capitis notatione prætermiserim, quorum tamen verba rectè à me descripta fuisse agnoscis, & falsum est, quum nihil à me hic peccatum fuisse præsto sit index: & ine-

ptum, etiamsi quidpiam huiusmodi desiderare-
tur: sicuti alibi leuicula appellas. In disputationis
clausula ἀδολεσχίαν tuam, nisi esses Iesuita, eruditus
Lector miraretur: eam tamen vt vobis vernaculã
detestabitur qui verborum fumos tanta παῤῥησίᾳ
id est ἀδολεσχιτίᾳ imperitis rerum vẽditis. De tuis
igitur, Κυμινοπρίσα, ineptulis gerris hæc satis su-
pérque. tædet enim me de tua futili loquacitate
tandiu loqui etiam inuitum.

Argumentum tamen Achilleum illud tuũ quo
tantopere triumphas, tentabo an expugnari pos-
sit, non inuocato Philosophiæ subsidio, sed ipsius
Veritatis quæ ad seipsam tuendam per se satis va-
let viribus. Certè hunc ego Pauli locum, & fide-
liter & ad meum institutum accommodatè, cita-
ueram. erat enim mihi probandum Sacramenta
esse Verbi sigilla. Id quoniam è disertis illius ver-
bis astruxeram hanc vim tribuentis Circumcisio-
ni: ne quis dubitaret idipsum de nostris Sacramẽ-
tis verè dici posse, ostendi ad Baptismum qui Cir-
cumcisioni succesſit, id quoque pertinere. Quod
ex eiusdem Apostoli verbis demonstraui. nam his
& Iustitia fidei, & vis illa Sacramentorum obsi-
gnandi Verbum, luculenter indicatur. Augustini
interpretatio vice est amplissimi commentarij,
totámque controuersiam quæ inter vos & nos a-
gitatur, perspicuè componit. Aquam enim sine
Verbo, esse labile elementum ait: adiungi tamen
maximo cum fructu ad Verbum, vt fiat lauacrum
sanctificationis nostræ, quemadmodum etiam Pe-
trus explicauerat. Vt commune autem Verbi &
Sacramenti subiectum intelligeretur, ipsa Augu-
stini verba attuleram, expresso dicẽdi genere Sa-
cramentum appellantis VERBVM VISIBILE.
Non est varia & multiplex Veritas, sed vna atque
eadem, vnius Dei certa & constans voluntas, eo-
dem

Vera Pauli sententia in hoc loco.

Verbum Dei & vox & aquis externis idẽ est, ac proinde Sacramentũ recte vocatur ab Augustino, *Verbum visibile.*

dem Verbo declarata, certos constitutósque verę
religionis ritus perscribens. VERBVM igitur v-
num est quod auditur, prædicatione nimirum vo-
cali in Ecclesia: alterum, quod videtur, prædica-
tione Sacramentali, id est significatione oculari
idem repræsentans quod fuerat voce prædicatũ,
& idẽ oculis subiiciens quod auribus fuerat per-
ceptum, & ad animum delatum: vt idem scilicet
animus & per auditum & per visum edoceatur.
Quum igitur Sacramentum vocauit Augustinus
Verbum visibile, significare voluit nihil aliud o-
culis per Sacramenta, quàm auribus per Verbum
prædicatum offerri à Deo, nempe Iesum Christũ
cum omnibus suis donis: ac proinde nõ ipso ge-
nere, quasi res varias docerent, sed ipsa tantùm
docendi ratione differre. Hæc quidem ad Verita-
tis defensionem sine vlla Philosophiæ ope satis:
quæ tamen ipsa vltro Dominæ suæ operam mini-
sterióque pollicetur vt tuam, Logice Thraso,
insignem nugacitatem prodat. Ex ipsius quidem
præceptis tyrones norũt planè ridiculũ esse Achil-
lei illius tui argumenti commentum, à totius &
partium distinctione. licet enim verissimum sit
Totum suis partibus reuera constare, & partes in
toto alias ab aliis reuera distingui, est tamen ve-
rissimum te triplici stropha, dum hæc mihi obii-
cis, veritati illudere. *Primùm enim Totum cum
Genere confundis*, propter ὁμοιοχρωσωλβν, sicuti sę-
pe vos Sophistæ soletis, *& formas siue species cum
partibus.* quod qui facit (inquit ille) confundit
artem, & similitudine quadam conturbatur, nec
satis acutè quę sunt secernẽda, distinguit. Genus
quidem est quiddam totum, sed non simpliciter
& absolutè: quod erat à te prudẽter distinguẽdũ,
antequàm ad me reprehendendum prodires. *De-
inde, negas quod est manifestè verum*, Fieri nimirũ

Hayani argumenti ἀδολεσχία & nugacitas Logicè etiam refellitur.

nullo modo posse vt quæ eadem sunt essentia, ac proinde reipsa, inter se differant ratione & modo. quod si esset, Natura & Doctrina planè confunderentur, quum & generis amplitudinem & in ea varias species distinctis rerum differentiis vtraque proponat. Idem enim ὁμογλὼς in eodem generis sinu, & forma est & differentia. Vtrũque quidem reuera, sed vario tamen modo formæ & differentiæ nomen accipit: vt in hominis definitione RATIO, est hominis forma, & eadem est & vocatur differentia, quatenus hominem rationis participem distinguit à belua rationis experte: ac proinde perspicuum est τὸ φύσει, quod naturæ vi reuera extat, & τὸ λόγῳ quod ratione mens nostra percipit, minimè esse disparata atque contraria: sicuti tu ἀφιλοσοφῶς. Denique, *manifestè falsum est quod ais*, Corporis mei molem ab vna quauis parte, ratione tantùm & modo, ac non reipsa disiungi. Est quidem verum, manum meam qua scripsi & scribo hæc aduersus te, & in posterum οὐν δεῦ scribam, non modo ratione, sed reipsa à cęteris partibus corporis mei distingui: & verum est corporis mei molem è singulis partibus non ratione tantùm, sed reuera componi, eandémq; totam à suis partibus reuera distingui, quum omnes vnà totum componant. Sed quid ais, somniator, idémne tibi est, Disiungi & Distingui? Constat certè Verbum Dei quod prædicatur in Ecclesia, aliud quidpiam esse quàm Sacramenta, distinctas esse reipsa species: eadem tamen vtrunque natura, eiusdémque generis communitate quadã contineri qui negat, negat manifestam veritatem: est enim vtrunque expressio siue patefactio voluntatis diuinæ de nostra salute, sicuti antea ostendebã: & manifestè repugnat disertis August. verbis. Itaque consentanea est Scripturæ & Antiquitatis doctrinæ hæc Vérbi diuisio, (Verbum enim hìc

Verbi prædicati & Sacramentorum eadem essentia, idẽ finis, idem vsus.

latè accipio pro illa diuinæ volũtatis patefactione vniuersè, è Scripturæ vsu.) *Verbũ aliud est audibile, aliud visibile.* Liceat enim cũ bona Iesuitarum Κυκερωνιανῶν venia sic loqui: vel, vt Atticis tuis auribus, Hay, gratificer, Λόγος ὁ μὲν ἀκουστὸς, ὁδ' ὁρατός. In hac diuisione VERBVM, est genus. Species, prædicatũ & visibile. Omnino vtrunque esse Christi eiusdem verbum patet. Verbo prædicato annuntiatur Christus: Verbo Sacramentali siue visibili idem Christus quoque annuntiatur: sicuti ait Apostolus, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis.* Et Petrus vocat Baptismum ἐπερώτημα εἰς θεὸν συνειδήσεως ἀγαθῆς: Deus enim loquitur per Baptismum, offértque credentibus remissionẽ peccatorum & vitam æternam. Fideliũ conscientia hoc beneficium sibi propriè applicantiũ Deũ rogat sibi respondentem per verbum visibile Baptismi & promissionem vocalem Euãgelij, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Itaque si Genus logicum est totum quiddam cuius ratio colligitur ex speciebus tanquam partibus natura prioribus, non tamen ita totũ vt partis cuiusdam causa participetur ab aliquo, sed totum à singulis speciebus participetur, ὅλως ὅλον quoddam, ipsarum quidem specierum differẽtiis diuiduum, at essentia ipsa σύνολον (vt loquuntur Philosophi:) quídni idem de Verbo Dei veriùs dicamus? Nã logicum illud genus, notio est animi doctrinæ causa instituta, tanquam μεθεκτὸν totum, quod ad speciem veluti ad partem μετέχουσαν refertur, non tamen est quidpiam καθεστὼς ἐν φύσει siue τοδὶ τὶ: non prima substãtia, sed secunda exprimæ consideratione nascens. At Verbũ Dei certum & sempiternum est, non ex hominis arbitrio institutum, sed constans & æterna Dei volũtas hominibus patefacta. Vnum verò idémque est

1 Cor. 11. 26.

1. Pet. 3. 21.

reipſa,non partibus diuiduum ſed differentiis,id eſt varia docendi ratione.dum enim vel viua voce nobis exhibentur promiſſiones Dei, vel ſignis externis repræſentantur, eſt ὅλως ὅλον quoddam & eſſentia σύνολον Dei Verbum.Idem Deus,idem Chriſtus,eadem veritas vtrinque perfectè nobis offertur & in Verbo & in Sacramentis, eiuſdem Dei mandato. Idem ſunt reuera, docendi modo tantùm inter ſe diſtinguuntur. Apage igitur tuos illos Tragelaphos, Ieſuita, quaſi Verbum Dei in fruſta & partes dilacerari poſſit.Ipſa ſeipſam Dei veritas aduerſus tua deliria ſatis tuetur.

VERA ECCLESIÆ CAtholicæ Definitio ex ſuperiori demonſtratione nata,& à me allata ab Hayo oppugnatur, à me defenditur. Eſt autem huiuſmodi,

ECCLESIA CATHOLICA, *eſt communio Sanctorum: & Cœtus viſibilis amplectentium Verbum Dei, & ex illius inſtituto rectè vtentium Sacramentis.*

Hactenus quidem omnis mea oratio eò collimauit vt hanc Eccleſiæ definitionem inuenirem, quam accuratè explicari conſentaneum quidem eſt:ne tamen vel actum agam,vel eiuſdem rei faſtidioſis repetitionibus Lectorem onerem, conſultius mihi viſum eſt vniuerſæ doctrinæ nõ modò ſummam initio ſubſternere,ſed & demonſtrationis definitioniſque œconomiam rationémque expo-

exponere: & ſuis opportuniſque locis id notare quod è re nata eſſe videretur. Itaque & me & Lectorem hoc labore de induſtria hic libero. Ille, ſi hæc accuratiùs cupit expẽdere, leget ſummam ordinémque huius Definitionis in diſputationis primordio:eiúſque ἐπεξεργασίαν ſuis deinceps locis recognoſcet,quum ſingulis Hayi exceptionibus reſpondebo.

HAYVS.

Mirum eſt quid te mouerit vt Caluini definitione neglecta, ab hoſtibus ſectæ veſtræ Magdeburgenſibus Eccleſiæ definitionem peteres. Proponam tibi Caluini definitionem, vt videam quid in ea reprehendas. Eccleſia, eſt corpus ac ſocietas fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædeſtinauit. Quam definitionem probat idem alibi ſcribens: Soli Deo permittendam eſſe cognitionem ſuæ Eccleſiæ &c. pag. 77.

SERRANVS.

At non eſt mirum te tui eſſe ſimilem,id eſt Sophiſtam & calumniatorem. In veræ Eccleſiæ definitione peſſimè te habet quòd nobiſcum non modò cum Magdeburgenſibus,ſed cum omnibus Eccleſiis Germanicis præclarè conueniat,nõ noſtris quidẽ (vti calũniaris)hoſtibus,ſed fratribus à quibus didicimus primis veræ & adulterinę Eccleſię diſcrimen:vt ſigna inter nos fratres diſcordias ſeuit communis Eccleſiæ hoſtis, his ſedatis, redintegratáque firmiùs amicitia, coniunctis animis & viribus bellum aduerſus Antichriſtum

Ieſuitæ, Eccleſiarũ Germanicarũ cũ noſtris Eccleſiis Gallicis concordiã vehemẽter reformidãt, vt certum Antichriſti exitiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vósque eius primipilares, efficaciùs propediem geramus. Non est hæc definitio vel Magdeburgẽsium vel Caluini, sed ipsius Veritatis. est enim conceptis verbis ita expressa in Symbolo Apostolorum, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, communionem sanctorum*: cuius ἐπεξεργασίαν debui adiungere, sicuti institutæ quæstionis ratio efflagitabat. quum enim non de Ecclesia vniuersè, sed de Ecclesiæ autoritate agere instituissem, necesse erat vt de visibili Ecclesia agerem, cuius visibiles notas hoc respectu inuestigari, neque tamen poteram aut debebam fundamentum veræ definitionis prætermittere. Vtrunque me præstitisse vident eruditi Lectores. Substraui veram & τελειώδη definitionem Ecclesiæ, ex ipsis Symboli Apostolici verbis: necessariam verò adhibui illius explicationem, quæ & genus & differentiam specificam eius enodarent. Genus, est, *Communio*: differentia specifica, *Sanctorum*. Sed & quænam est illa COMMVNIO, quinam & illi SANCTI, necesse erat intelligi. Vnam esse Ecclesiam, omnium illorum matrem quorum Deus pater est, sicuti & vna est vnius Dei veritas, ratum quidem fixúmque est: at quum illa ex hominibus constet: & in terris voce Euangelij colligatur, écquis eam visibilem esse non videt? Quum autem in illo cœtu visibili hominum pietatem, salutísque suæ cognitionem profitentium permixti sint malis boni: sit tamen indubitatum (vt dixi) ἀξίωμα, Ecclesiam tantùm esse electorum siue fidelium: écquis in visibili illo cœtu inuisibilem Ecclesiam nõ credat, quandoquidem nõ omnium qui externam profitentur doctrinam, est fides? Inuisibilis ergo & visibilis Ecclesiæ discrimen in hac definitione notandum erat, ne ὁμωνυμίας Iesuiticæ laqueis mínùs cauti circumuenirentur. Illius venenis medetur

Definitionis œconomia breuiter indicatur.

detur Definitio quæ id perspicuè explicat quod in quæstione erat positum. Hac de causa inuisibilis & visibilis mẽtionem feci. Caluinus agit propriè de inuisibili quæ etiã propriè & verè Ecclesia est, nimirum societas filiorum Dei in vno capite Iesu Christo adunata. Melanchthon & ij quos Magdeburgenses vocas, vtranque designant quidem, sed de visibili agunt disertè: quia id maximè quæritur quibus notis dignoscatur Ecclesia, quas sic digito commonstrant vt eam ipsam doctrinã ostendant, in qua explicanda disputatio nostra versatur. Hanc esse ordinis mei œconomiam & rationem perspicuum est. Mihi tamen Hayus minatur grauiter. Illius igitur ἐλέγχους reprehensiones, siue, vt me demonstraturum credo, παρεξελέγχους id est præposteras fugillationes expẽdamus.

HAYVS.

Si Ecclesiæ vim vniuersam tua definitione es complexus, solis iustis in Ecclesia locum relinquis. nam hi soli sunt, qui rectè Sacramentis vtuntur. &c. à pag. 77. vsque ad 80.

SERRANVS.

Si inciuile est particulam aliquam legis sumere, non tota lege perspecta: non ἀξυλόγως & merè Sophisticum sit, primordium orationis sic arripere vt totam nullo iudicio reprehẽdas? Vnius quidem Ecclesiæ vnicam definitionem esse agnoscimus: at varias illius in vna definitione circũstantias vt distinguamus, recta docendi ratio iubet. Itaque vna eadémque Ecclesia vt visibilis & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uisibilis debet considerari. Hanc ego distinctionẽ notaui quam Hayus effuso cachinno irridet: perabsurdum esse clamans inuisibilem Ecclesiam in Ecclesia visibili inuestigari. Hęc est tot verborum quatuor paginis effusorum summa. Ego verò primùm vniuersè ad hæc respondebo: & vt intelligat se non mihi sed Scripturæ eruditæque Vetustati aduersari, vt vtriusque autoritate communẽ illam visibilis & inuisibilis Ecclesiæ distinctionẽ probem. Deinde ad singulas illius exceptiones singulatim expediam: qua tamen potero & perspicuitate, ne actum agam.

Quomodo vna Ecclesia vt inuisibilis, & visibilis cõsiderari debeat.

E COLLVVIE generis humani Deus opportuno tẽpore seligit quos elegit ab æterno, immortalis vitæ hæredes in Filio suo, eos per verbũ suũ καλεῖ. Hæc est Catholica Ecclesia, eorum videlicet cõmunio & societas quos Deus in Iesu Christo Filio suo vnigenitos filios adoptauit, ex vniuerso terrarum orbe per omnium ætatum spatia in vnum collectos. Hęc Ecclesia est corpus Christi, domus Dei viuentis, mater fidelium, complementum eius qui omnia implet in omnibus: ne cætera illius encomia commemorem. Quid enim in re non dubia opus est non necessarios testes adhiberi? Hanc inuisibilem Ecclesiam non credimus, tum quòd vni Deo sit cognita, qui nimirum nouit eos qui sui sunt: tum quòd Catholica sit, id est ex omnibus fidelibus qui post natos homines fuerũt & sunt & erũt collecta. Τὰ καθόλου aũt. i. vniuersalia, sub visum nõ cadũt. Deniq;, quòd huiusmodi sit Ecclesiæ in hac vita status vt inter tot profanorum hominum myriadas, electi humanis sensibus internosci non possint: sit tamen verissimum non esse otiosum sanguinem Christi, quin filios Dei & colligat potenter è mundo, & eos in mundo efficaciter conseruet æterna hæreditate suo

suo tempore donandos. De hac inuisibili Ecclesia Symbolum concionatur, *Credo Ecclesiam Catholicam*. non enim ea creduntur quæ videntur, sed ea quæ corporis oculis inconspicabilia, mente comprehenduntur.

Hæc autem ipsa, vna eadémque Ecclesia (non enim esset Ecclesia Catholica, nisi esset vna) visibilis est, suisque ac propriis notis illustris conspicitur, à profanis hominum cœtibus segregata. Primùm, quia ex hominibus constat. neque enim περιτώδη quandam & Chimæricam Ecclesiam (sicuti Hayus sycophanticè calumniatur) nos comminiscimur, sed scimus ex hominibus illam constitui, pro quibus Christus homo mortuus est. Deinde, quia particulares Ecclesiæ, è quibus Catholica Ecclesia componitur, sunt & videntur in iis locis quos ipsis tanquam sedes & domicilia tribuit Deus. non enim est ἐν ὑστοπίᾳ Catholica Ecclesia: sed certis in locis per suos κλήρους distributa (vt loquitur Petrus) conspicitur. Ita particulares Ecclesias, visibiles appellamus, Catholicæ nimirum Ecclesiæ membra: quemadmodum τὸ καθόλου in rebus indiuiduis & singularibus perspicitur. Denique, visibilem esse Ecclesiam affirmamus, propter διάταξιν ordinémque suum, siue formam exteriorem visibilibus illis notis illustrem, de quibus egimus, & in quibus explicandis nunc definitio nostra versatur. Est enim prædicatio Euangelij cum legitima Sacramentorum administratione coniuncta, signũ siue vexillum Filij Dei ad quod omnes ij se recipere debent qui ipsi nomen dederunt.

De visibili & inuisibili Ecclesia agunt hi Scripturæ loci.

Iehoua quis commorabitur in tentorio tuo? Psal. 15.
Quis habitabit in monte Sanctitatis tuæ? &c, Quã

Psal.84. sunt amabilia, Domine exercituum, tabernacula tua! Ardet animus meus ad atria Domini! &c.

Matth.18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in eorum.* Hunc cœtum ibidem appellat Ecclesiam, his verbis, *Dic Ecclesiæ.* Hæc visibilis Ecclesia complectitur varia hominũ genera, sicuti & vocatio illa generalis vbique personat, bonos & malos inuitatos ad pœnitentiam & ad regnum Dei. *At electorum tantùm est salus:* aliis præripitur omnis excusatio, quòd Deum, quem & per Naturam & per Verbum Dei cognouerant, non tamen agnouerunt neque coluerũt vt Deum. De

Mat.22.14 his dictum est, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Visibilis autem ille cœtus, electos & reprobos, filios Dei & hypocritas comprehendẽs, modò sagenæ iactæ in mare, & quæ ex omni rerum genere colligit: modò agro, in quo bonum semẽ cum zizania permiscetur, quæ tamen cum bono semine toleratur ad messis vsque tempus: modò areæ, in qua granũ cũ palea interitur: modò magnæ domui in qua nõ tantũ sint vasa aurea & argẽtea, sed etiã lignea & testacea: & aliaquidẽ ad decus, alia ad dedecus, in Scriptura cõparatur: vt infinita hac de re testimonia prætermittã, licet veritatis αὐτοπίστου probationem Hayus à me efflagitet. Periniquè, Ecquid enim est principiorum sua luce satis cognitorum fidem exposcere, si hoc non est? Antiquitatis tamen assensum tanquam contestata lite, Hayus à me extorquet. Hæc igitur de multis pauca, quæ hanc inuisibilis & visibilis Ecclesiæ distinctionem repræsentẽt, ex orthodoxorum Patrum monumentis indicabo, ne meum silentium bonæ causæ mihique sit fraudi.

In Lucam lib.2.c.2. Ambrosius. Mater viuentium est Ecclesia quam ædificauit Deus, in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis structura compacta crescit in templum Dei. Avgv-

De Bapt. contra Donat. Avgvstinvs. Quæ peperit Abel & Enoch & Noë & Abraham, ipsa peperit Moysem & Prophetas, tempore posteriores ante aduentum Domini: & quæ istos, ipsa & Apostolos & Martyres nostros & omnes bonos Christianos. Omnes enim diuersis quidem temporibus nati apparuerunt, sed societate huius populi continentur, & eiusdem ciuitatis ciues, labores huius peregrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc experiuntur, & vsque in finem cæteri experientur.

In Ioan. tract.45. de cap.10. De vnitate Eccl.c. 20. De Bapt. cõtra Donat. lib.5. cap.20. Idem. Secundùm præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus: & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris! &, Omnes qui sunt in Ecclesia nõ sunt de Ecclesia: sicuti neque omnes qui sunt ex Israële, sunt Israël: quũ &, Nõ omnes qui nobiscũ sunt, ex nobis sunt: sicut area trituratur, quicquid inde volat non est triticum, sed non quicquid ibi est, triticum est.

Verùm quid ego in re perspicua immoror, aut me immorãtem cur non Lector culparet, nisi tua me, Hay, insignis κακοήθεια cogeret id probare quod omnibus piis cognitum atque exploratum, à solis impiis in dubium reuocatur? Hæc igitur vniuersè dicta sunto de necessaria distinctione Inuisibilis & Visibilis Ecclesiæ: quæ ad veram veræ Ecclesię definitionem minimè aut debuit aut potuit à me prætermitti.

His ita constitutis, tuorum illorum absurdorũ quæ ex meis verbis τοπαζεις, absurditatem sic demonstro, vt tuarum reprehensionum ipsa legam vestigia.

Prima Hayi reprehẽsio, siue παρεξέλεγχος primus è confusa illius loquacitate euolutus.

HAYVS.

Qui in Ecclesiæ definitione locum solis iustis relinquit, Paulo manifestè repugnat. Atqui hæc tua, Minister, definitio solis iustis in Ecclesia locum relinquit. Manifestè igitur repugnat Paulo. Argumenti autem hæc est σκιωειὰ. Tibine enim plus tribuemus quàm Paulo qui Corinthiorum Ecclesiam agnouit, in qua erant nonnulli flagitiis contaminati, vt de incesto apparet? Idem de his quoque constituēdum quos Paulus inflatos esse ait, iniuriam facere & fraudare fratres: præterea Eucharistiæ Sacramento perperam vsos, & pœnis quoque hac de causa affectos. Eos tamen fratres appellat. Præterea, quomodò constabunt parabolæ Euangelicæ de statu Ecclesiæ, quæ arcæ, sagenæ, agro, virginibus decē quarū quinque sint fatuę, comparatur? Accedit quoque absurdum è tuis verbis. Nemausensem enim vestram congregationem hactenus negabas esse Ecclesiam Catholicam. Nunc verò à te lubenter discerem, an sit Sanctorum communio: quòd si verum esse ais, perspicuè tibi ipsi repugnas, quum eam esse Catholicam affirmes: sin minus, est Satanæ synagoga, quū quicquid Sanctorum ἐν τῇ κοινωνίᾳ non contineatur, in partem Sathanę veniat.

SERRANVS.

Agnoscis tua verba, & ex his summam à me fideliter expressam, duarum paginarum διαχιφαλαίωσιν. Respondeo, te multipliciter hîc prævaricari.

Primò, in ipsius definiti nimirum Catholicæ Ecclesiæ voce, quam ὁμωνυμίας inuolucris vis pervertere. Definitur Catholica Ecclesia per vniuersum terrarum orbem diffusa, atque adeò omnes particulares Ecclesias comprehendens, idcirco vera quia vna: & in sua illa vnitate singulares Ecclesias complectens. Itaque Catholicæ Ecclesiæ nomen primigenia significatione, vniuersalem Ecclesiam significat: secundaria autem & ab ea deducta, orthodoxas omnes Ecclesias quæ in vniuersalis sinu continentur, à qua etiam denominantur & sunt Catholicæ, id est Catholicæ membra. Secundò, eadem ὁμωνυμίας stropha te ludere affirmo, in vocabulo *Sanctorum*, quasi illi soli notarentur qui verè essent Sancti, quippe iustificati & sanctificati in Iesu Christo, electi, filij, heredes: quum illa etiam Sanctorum appellatione, ij omnes significentur qui externa professione nomen dederunt Christo: licet (vt inquit Augustinus) multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen non sunt in Ecclesia, id est insiti in Christo Ecclesiæ capite, vel de Ecclesia, Christi capitis membra. SANCTVM nimirum dicitur quòd Deo separatū est atque consecratū. Propriè igitur & verè συνωνύμως Epitheto SANCTA vocatur Ecclesia, quòd eam Deus è colluuie generis humani segregarit, purgarit, adoptauerit heredem iustitiæ Filij sui, quem ipsi donet, & ipsam Filio, vt ipse sit in illa & illa in ipso. Ita propriè Ecclesia cōplectitur electos, propter quos etiam verè & propriè Ecclesia appellatur. Quum tamen generali vocatione complures cēseantur ad Ecclesiam pertinere quum in externa illius communione sint, iccirco SANCTI nomen

Variæ Hayi strophæ aduersus in hac Ecclesiæ definitionem.

latiùs extenditur, eos omnes comprehẽdens qui Christianam religionem profitentur externáque illa forma existimantur esse membra Ecclesiæ: sicuti ciuium liberi, Ciuitatis. Sic ait Apostolus de fidelium liberis, *Alioqui liberi vestri impuri essent: (quippe ex impuro Adami semine prognati) nunc autem sancti sunt.* Vocantur autem infantes fidelium Baptismi Sacramento initiati Ecclesiæ, SANCTI, non quòd omnes singulatim baptizati, vera Christi sanctitate sint donati, sed quòd ex fidelibus parentibus procreati, censeantur esse in Ecclesia, de fœderis formula, Ero Deus tuus ac seminis tui: ac proinde quantum quidem ex professione illa externa cõiicere possumus, arbitremur illos ad Ecclesiam Dei pertinere. Non quòd necessariò id semper eueniat: quia promissio non est generalis de omni semine, sed tantùm de illo in quo singulatim efficax est electio (alioqui Ismael & Esau essent filij seminis) sed quoniam de arcana Dei electione minimè debemus inquirere, sed de iis qui Ecclesię priuilegio donantur, ex charitatis formula & iudicio bene æstimare, donec aliter effecta demonstrarint. Hac de causa Apostolus, in illa quam profers ad Corinthios epistola, quum eos appellasset ἐν Χριστῷ ἡγιασμένους, in Christo sanctificatos, vocat κλητοὺς ἁγίους, Vocatos sanctos fontem quidem & finem sanctitatis illius demonstrans, efficacem Dei vocationem, non ramen externam illam & visibilem vocatione excludit, internæ administram. In summa, profanè abuteris SANCTI appellatione, ad Ecclesiæ opprobrium: quæ si est, alicubi est: & in terris versatur, antequam in cœlos heres ascendat, in via est, antequam in patriã commigret, in patria æternùm victura.

Tertiò, perspicuum est te noua ἐμπυρίας discipula

pula ludificari veritaté, in illis dicẽdi generibus, *Amplecti Verbum Dei, & Rectè vti Sacramentis:* quæ non tantùm notant veram fidem, sed externam (sicuti dixi) professionem. Hypocritæ enim generali quadam notitia amplectuntur Verbum Dei, id est (vt loquitur Apostolus) illustrati gustãt donum cœleste, bonum nimirum Dei verbum, in quo conscientiis testibus suis, conuincuntur exhiberi salutarem doctrinam. Rectè autem vtũtur Sacramentis, quoniam Sacramentis communicant ex legitima Dei ordinatione rectóque illorum vsu & panem Domini manducant, nõ verò panem Dominum: quemadmodum de Iuda ait Augustinus: Quis igitur nõ videt, Hay, te his verborum fumis puram nitidámque veritatem obscurare velle. Heb. 6. 4.

Quartò, te in vniuersæ orationis complexione struere veritati insidias crassissimo dolo, quem ἐγκλεισμὸν ἀγνοίας appellant. At sorex suo se iudicio prodit. quod enim mihi opponis aduersus te facit. *Paulus*, inquis, *sic definit Ecclesiam in Corinthiorum persona vt non modò multos in bonis nævos, sed & inter bonos agnoscat cõplures hypocritas fuisse permixtos: ac proinde Ecclesiam è solis iustis non esse definiendam.* Esto. Hoc ipsum est quod volo. In Ecclesia multa peccari aio, & ab ipsis fidelibus, siue doctrinæ applicationem in rebus ipsis, siue mores spectes: & inter fideles magnum hypocritarum numerum obuersari: nec tamẽ iccirco desinere esse Ecclesiam sanctam Catholicam. Quorsum igitur te tantopere fatigas in re minimè dubia? Andabararum in morem cum laruis confligis. Itaque tuum argumentum sic aduersus te retorquetur,

Qui sit Ecclesiam definit vt eam & bonis & malis (quòd ad ipsam quidem externam formam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Retorquetur argumentũ in Hayum.

attinet) permixtam esse doceat, Apostoli doctrinam sequitur.

Atqui hæc mea, Hay, Ecclesiæ definitio, sic veram & germanam illius vim naturámque describit, vt necessariam illam de bonis cum malis commixtione in hoc seculo toleranda circumstantiam diserte notet atque designet.

Apostoli igitur doctrinam sum in ea sequutus: & ex vi consequentis tu nugaris in re seria, qui me perperam nullóque iudicio reprehendis. Atque hæc quidem, Hay, ad tuum argumentum.

Quid verò attinet te tibi somnia fingere, & nodum in scirpo quærere? Quasi verò negemus Ecclesiam vniuersam definiri ex illa definitione quam Corinthiorum Ecclesię peculiariter Paulus attribuit? Abundas otio & charta. Tuæ verò ὑποστάσεις illa aduersus Ecclesiam Nemausensem ἐντεταχωδήματα quàm bellè te Iesuitam decent! Negaui Ecclesiam Nemausensem esse Catholicã Ecclesiam eo pacto quo profanum illum titulum Romana Ecclesia sibi tyrannicè vsurpat, quasi in omnes Christiani nominis Ecclesias principatũ obtineret: sed adiunxi. Illam esse membrum Catholicæ. Ecquid erat in his verbis ambigui vt has tricas insulso dilemmate intereres? Pro me igitur respondeat Augustinus. *An placet vobis vt cõtra Ecclesias quæ membra sunt vnius Ecclesiæ toto orbe diffusæ, quas nobis Spiritus sanctus per scripturas suas commendauit & tradidit vndelibet prolata quælibet hominum maledicta credamus? Hoc quidem vobis placet, sed nobis non placet. Quibus autem iustius placeat, & vos videtis: sed victi animositate non vultis vinci veritate. Ecce sunt Scripturæ Dei. Ecce sunt in Ecclesia Ecclesiæ, &*

Ecclesiæ Catholicę membra, dicuntur Ecclesiæ Catholicæ.

De vnitate Ecclesiæ cap. 11.

siæ, & vniuersali totius orbis nomine & nominatim designatæ & expressæ. Certè, in Catholica Ecclesia sunt complures Ecclesiæ Catholicæ. id est in vna vniuersali toto orbe diffusa, ac proinde in visibili plures sunt orthodoxæ Ecclesiæ certis in locis constitutæ suísque notis illustres atque cõspicuæ, quæ sint reuera Catholicæ Ecclesiæ, vera quippe Catholicæ Ecclesię membra, & idem alibi de Cypriano loquens, *Non meam præpono sententiam sed Ecclesiæ Catholicæ, in qua tam vberem cum tolerantia fructũ attulit, cuius vniuersitas ipse non fuit, sed in eius vniuersitate permansit.*

HAYVS.

Paulò antea scripsisti, Non vos sed ipsam veritatem demonstrasse, Verbum & Sacramenta vera esse Ecclesiæ Catholicæ notas: nunc verò tuæ veritatis demonstrationi diffidens, ad piarum animarum agnitionem confugis. Tu sanè nos valdè stupidos iudicas, quòd veritatis demonstrationi (quam te falsò in lucem protulisse iactitasti) nõ assentiamur. pag. 78.

SERRANVS.

Ludit Hayus vt riis somnia, nõ argumentatur.

Iesuiticæ Logices præceptũ est, *Nullũ nõ mouendũ esse lapidẽ vt vel vincas, vel vicisse videare: si hac non successit, alia aggrediendum esse via.* Omnes hactenus Sophistices arculas perrimatus est metus Iesuita vt veritatem oppugnaret. Quum rationũ vi, aut clamoribus non potuit euincere, ad risum iocósque prosilit ad eludendam veritatẽ, ex ver-

naculo illo instituto, quod ἐξουδενισμὸν appellant. At, infelix Apostata, non sentis Deum eludi non posse, licet omnem pietatis in te sensum eluere moliaris? Hæret lethalis arundo. Esau primogenituræ contemptum lachrymis & vlulatu nō redemit. Non ego te tantùm stupidum iudico, sed planè ἀπηλγηκότα & κεκαυτηριασμένον: hactenus tamen vt credam conscientiæ tuæ vlcus quantumuis inustum atque induratum non sic dedoluisse quin te patientis Dei bonitate quātumlibet obstinatè abutentem horribili cruciatu sauciet. At illos cachinnos tuos iustus Deus cōuertet haud dubiè in stridorem dentium nisi ad ipsum seriò conuertaris. Potentissimum esse hoc argumentū & cum reipsa optimè coniunctum, animaduertunt pij, quicquid obstrepas.

Apostatarū profligata conscientia.

Porrò, certissimum est veritatis κειτήριον, Veritatis sensus piis animis insitus, quæ quum amplectuntur Dei veritatem, obsignant Deum esse verācem. Hæc est demonstratio Spiritus sancti, vt fideles statuant promissiones Dei ad se pertinere, ac proinde se filios esse & hæredes: ex oraculo, *Oues meæ audiunt vocem meam.* Sed audiamus nouum tuum argumentum, vel potiùs commentum quo varia absurda in hac vera Ecclesiæ definitione εἰδωλοποιΐᾳ, vt veritatem scilicet vanitatis damnes. Imo te iuuabo animo linguaque vagantem: vt saltem Lectori consulam.

Piarū animarū sensus, maximū argumentū veritatis.

Secundus Hayi παρεξέλεγχος ex verbosa congerie sic collectus & efformatus.

HAYVS.

Nō potest esse vera rei definitio quæ variis absurditatibus & contradictionibus implicatur: Hæc tua, Minister, definitio variis absurdis inuoluitur. Non potest ergo esse vera Ecclesiæ definitio. Maiorem negare non potes vt sua luce manifestam. Minorem probo ex ipsorum absurdorum singulari indicatione.

Primum absurdum. Inuisibilis ergo Ecclesia, est in Ecclesia visibili: & piæ illæ tuæ animæ in Ecclesia sunt inuisibilis & visibilis Ecclesiæ membra: seu (vt te nouum Ciceronem imiter) ad visibilem & inuisibilem Ecclesiam pertinent. pag. 78.

SERRANVS.

Est crassa *Ignoratio Elenchi.* Hactenus me reprehendebas quasi statuerem Ecclesiam tantùm esse electorum siue iustorum. nunc maximum mihi opprobrium creas, quòd dicam, eandē Ecclesiam & visibilem & inuisibilem esse. id est, vt loqueris, *Ecclesiam inuisibilem esse in Ecclesia visibili.* Nescis planè quid dicas. Agnoscis Ecclesiam esse iustorum: &, vt postea loqueris, *Ecclesiæ vocē nonnunquam pro iis accipi qui æterno æuo in cœlis fruūtur.* Siccine inuisibiles esse animas illas beatas non agnoscis? Modò autem depugnabas de ipso Ecclesiæ visibilis corpore: & me grauissimè reprehendebas quòd de visibili tacerem. Nunc me reprehēdis quod de visibili loquar, eandémque esse affirmem cum inuisibili. quod tu quoque & affirmabas & postmodùm affirmabis. Ais, negas. Quid igitur est nugari, si hoc non est? Itaque tuum εἰδωλοποιητὸν absurdum sic in tuum caput retorqueo:

Ignorat Hayus quid agatur, ipse res alias agens.

Retorquetur argumentū in Hayum

Qui ait modò, modò negat, à seipso dissidens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

absurdè loquitur. Id Hayum facere perspicuum est. Absurdè igitur in re seria loquitur: ac proinde se suo gladio tugulat.

Quomodo autem vna eadémque Ecclesia sit & inuisibilis & visibilis, supra explicatum est suo loco, ne idem inculcem. Tibi verò, erudite Hay, si Ciceroniana displicent, saltem patere Augustini simplicitatem, à quo sum hoc dicendi genus mutuatus, non à Cicerone. *Quamuis non omnes quos Ecclesia generat, ad eius pertineant vnitatem, quæ vsque in finẽ perseuerantes saluat. Neque enim hi soli ad eam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt. sed etiam illi qui in eius vnitate corporaliter mixti, per vitam pessimam separantur.* Sic & genus illud dicendi, *Pertinere ad Ecclesiam*: & ipsam inuisibilis & visibilis Ecclesiæ distinctionem probatam vident Lectores: ac proinde te nonnisi absurdè absurdũ mihi obiicere. Sed audiamus secundum absurdũ.

Illud loquẽdi genus, *pertinere ad Ecclesiam*, irridet Hayus: quo tamen vtitur Augustin. li. 1. de Bapt. contra Donat. c. 10.

HAYVS.

Secundum absurdum, quum tu Ecclesiam inuisibilem, appellas veram Ecclesiam, insinuare videris visibilem Ecclesiam, falsam esse Ecclesiam. Piæ ergo tuæ animæ, erunt & veræ & falsæ Ecclesiæ membra. Bone Deus! Ecclesiam nobis, o Minister, verè πεπτωδη cum Caluino tuo depingis! pag. 78.

SERRANVS.

Elenchus est ὅτι τὸ ἐπόμενον. neque enim consequitur idcirco visibilem Ecclesiam esse falsam, quòd inuisibilis sit vera: quum eadem Ecclesia sit & visibilis & inuisibilis, & vtrunque verè de vera Ecclesia dicatur. Perinde ergo ac si dicas, quũ animus hominis sit inuisibilis, & verè homo, vt saniores Philosophi loquuntur: corpus hominis non esse verum hominem, sed falsum quidpiam, & vt loqueris, πεπτωδες atque monstrosum: Est autem verum, Hominem & vero animo & vero corpore constare: licet ille sit inuisibilis, hoc visibile: vt ex vtraque natura vnus homo componatur. Vitiosi consequentis incommodum quis non videt? ad quod profectò accedit figura Sophistis vernacula, A'δολεχία siue nugacitas, iis bene conueniens qui quum vt aliquid dixisse videantur, omnia dicunt, in multiloquio non possunt non maximè peccare. & in eo quidem rerum genere in quo non licet nugari sine blasphemia: quid enim attinet his ineptulis gerris ludificare Veritatem? Quantò veriùs & opportuniùs argumentum in te retorqueretur qui sub vera & essentiali hominis forma, Iesuitam & Apostatam tegis, humanæ naturæ carcinomata? Sequitur tertium tuum absurdum.

Eadẽ Ecclesia est visibilis & inuisibilis vario modo.

HAYVS.

Tertium absurdum, Si negaueris pias tuas animas, visibilis Ecclesiæ esse membra, explica nobis singularem aliquam rationem qua inuisibilis Ecclesia sit in Ecclesia visibili. Turcæ & Iudæi eandem multis in locis cum Christianis vrbem incolunt, & tamen Turcarum & Iudæorum cœtus non sunt in Ecclesia. pag. 79.

SERRANVS.

Quomodo Ecclesia inuisibilis sit in Ecclesia visibili.

Est elenchus *Diuisionis*. nunquam enim negaui, neque id ex meis verbis vnquam elicies, fideles visibilis Ecclesiæ esse membra. Imo id maximè affirmamus. Quàm igitur est nugatorium id mihi impudenter affingere quod ne per speciem quidem vllo modo ex meis verbis erui potest. Fideles vera inuisibilis Ecclesiæ membra introducuntur in Ecclesiam visibilem per Baptismum, audiũt & amplectuntur Verbum Dei, communicant sacræ Eucharistiç. In illa externa professione socios habent hypocritas plerosque. Deus tamen nouit eos qui sunt sui. Cur tu igitur res maximè cõiunctas diuidis atque discerpis?

Quomodo Ecclesia sit in ipso Mũdo, neque tamen cũ Mundo cõmisceatur.

Præterea, est elenchus *accidentis* in obtusa illa tua subtilitate, quem ex loci communitate imaginaris. Eodem solo, cœlo, mari vtimur cum infidelibus: iisdem cibis, vestimentis cęteríque ad corpus tuendum necessariis vtimur adiumentis. Ergo eadem Ecclesia illis erit communis? Quis ferret hanc consequutionem? At Turcarum ais, & Iudæorum cœtus non sunt in Ecclesia. Verum est. Cur igitur veram illius discriminis causam non percipis? Est crassa videlicet accidentis fallacia. Quasi verò locus ipse bonum vel malum hominem efficere possit: & vbi Apostoli docuerunt, vbi sacra ipsorũ vox insonuit, ibi nunc Mahumedis blasphemia debacchatur. Veram causam prætermittis, in accidente hæres. In culpa est animus non locus, qui bonum & sceleratum vnà capit. Sunt inanes tricæ. Eodem erroris genere vestra vel Cœmeteria. Ita igitur habeto, Deum Catholicæ Ecclesiæ vbiuis locorum in vniuerso terrarum orbe aptare hospitiũ: atque in illis locis

cis conseruare Ecclesiam suam, eámque à profanis cœtibus ἀνεπίμικτον & intemeratam, ex omni memoria & experientia perspicuum est: vt infeliciſſimam tuam dubitationem nemo nõ sobrius detestetur. Pergis ἀποπολογεῖν nouo commento, quod in tuis deliriis quartum locum occupat.

HAYVS.

Quartum absurdum, Antea definiuisti Ecclesiam Catholicam esse cœtum visibilem. At tuæ piæ animæ sunt inuisibiles. Non ergo sunt Ecclesiæ Catholicæ membra: nisi dicas omnem Christianorum cœtum visibilem quidem esse, singulos verò ex hoc cœtu mente, non autem oculis à nobis posse conspici. pag. 79.

SERRANVS.

Animę inuisibiles in Ecclesia visibiles.

Βαττολογεῖς, eandem cantilenam inculcans. Iã huic argumento satisfeci: siquidem vel nugamẽta tua sunt argumenta & inexplebili cupiditati tuæ potest vllo modo satisfieri. Inuisibilis animus corpus visibile incolit. Quidni inuisibiles fideliũ animæ cœlesti cibo in Ecclesiæ visibilis sinu nutrientur? Imo obuertitur contra te argumentum, quũ Catholica Ecclesia toto orbe diffusa, & per omnes sęculorũ vicissitudines illustrius modò, modò obscuriùs cõseruata, quã credimus ex Apostolicæ doctrinæ instituto, in se inuisibilis sit, in suis partibus luculẽter perspiciatur: quemadmodum Vniuersale in suis indiuiduis visibile esse diximus supra. At restat quintum tuum absurdum.

HAYVS.

Quintum absurdum, Piæ tuæ animæ (vt somnias) ad inuisibilem Ecclesiam Deo vni notam se pertinere intelligunt. Quod si ita est, ergo inuisibilem Ecclesiam cognoscunt. nam si non cognoscerent, qua ratione ad inuisibilem Ecclesiam se pertinere dicerent? Sic dicam te esse filium Chimæræ, & me hoc intelligere quamuis nec te nec Chimæram cognoscam. Si verò cognoscunt inuisibilem Ecclesiam, ergo tua inuisibilis Ecclesia non est iam vni Deo nota. Non video quo pacto te hinc extricare possis, nisi dixeris multas esse Christi Ecclesias inuisibiles, & pias tuas animas rudem & adumbratam habere Ecclesiæ illius, cuius sunt membra, intelligentiam. At ne hoc quidem modo te expedies: semper enim Ecclesiæ illius, ad quam piæ animæ se pertinere intelligunt, intelligentiam aliquam ipsis animis concedere cogeris.

SERRANVS.

Terrificum planè argumentum in hac Iesuitica εἰδωλοποιΐα vltimo loco opportunè collocatur. Quàm malè te habet, Apostata, piarum illarum animarum cogitatio & dignitas oculis tuis obuersãtium, cæcósque impij & sacrilegi animi tui furores detestantium. Audi igitur quídnam illæ respondeant aduersus procacem & blasphemã audaciam tuam.

Quum nos omnes credamus sanctam Ecclesiã Catholicam, habeamúsque persuasum nos ad eã pertinere: quî fieri potest, impie & scelerate Apostata, vt nos eam verè vera fide non intelligamus? quî enim eam crederemus, nisi eam intelligeremus? Huius fidei vi & efficacia videmus Deũ inuisibilem, & eum tamẽ verè cognoscimus. Absurdúmne tibi, Athee Iesuita, Deum inuisibilem verè cognoscere? Quãtumlibet rideas modò, obstipáque audacia omnẽ diuinitatis ex animo tuo sensum euellere, callúmque miseræ tuæ conscientiæ, omnibus Sophistices tuę machinis adhibitis, obducere moliaris, non tamen maior es quã pater tuus qui Deum esse nouit & tremit. Si Deus igitur à piis animis ad salutem verè cognoscitur, quídni illæ verè intelligant esse Ecclesiam, cuius sint ipsæ membra: & in qua insitæ hîc spei arrhabonem habeant, veram in cœlo solidámque felicitãtem adituræ? Hoc quidem de seipso vnusquisque fidelium statuere debet ex primitiis Spiritus sancti, nimirum ex πληροφορίᾳ fidei applicantis sibi propriè promissiones generales: de cæteris autem hominibus potest ex charitatis regula hoc statui iudicium, Eos qui audiunt Verbum Dei, & fructus fidei edant, credere: ac proinde ad sacrum Christi ouile, vt veras oues, pertinere. Sed addo è iudicij humani modulo & mensura, quantum videlicet homo de tantis rebus iudicare potest, id esse constituendum. Harum vltimum iudicium Deo esse relinquendum.

Atqui, excipit Hayus, *ne hoc quidem modò te expedies. semper enim Ecclesiæ intelligentiam aliquã ipsis animis concedere cogeris.* Respondeo, Nõ modò me cogi, sed asseueranter affirmare à piis animis intelligi quid sit Ecclesia: sed suo (vt dixi) modo. Itaque ludit Hayus eo genere fallacię quã vocant *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Non enim plenam perfectámque tanti mysteriorum

Heb. 11. 27

Quomodo piorũ animę intelligant Ecclesiam inuisibilem.

Iacob. 2. 19

& quatenus.

xij intelligentiam piis animis vendico, sed quanta in hominem cadere potest, non quidem perfectam quæ in Deo est absolutè, nihilominus tamẽ in animis piorum veram: neque enim patrocinij illius tui fulcrum admitto, quasi rudis quædam & adumbrata tantùm cognitio Ecclesiæ piis animis constet (si *Vmbræ* nomine non rem ipsam, sed fictum rei simulacrũ intelligis, quale est illud vobis Sophistis proprium subiectum, τὸ ὂν μὴ ὄν, vel τὸ τῦ ὄντος εἴδωλον:) quasi non verè id intelligant quod verissimum est. Differt enim Verum & Perfectum. Veram suæ salutis cognitionem Deus per Spiritum Sanctum suis patefacit in hac etiam vita, in qua ἐκ μέρους tantùm γινώσκουσι, *ex parte cognoscunt* (vt inquit Apostolus) sed tamen verè: sicuti elementariis artis siue scientiæ cognitio vera est, licet perfecta non sit. Iccirco ait Ioannes, de hac cognitione loquens, *Nunc quidem filij Dei sumus: sed nondum patefactum est quod erimus, scimus autem fore vt quum ipse patefactus fuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Inchoata igitur atque imperfecta hæc in nobis cognitio sed tamen vera. Perfecta suorum decretorum cognitio vni Deo constat qui quos προέγνω præsciuit, illos προώρισε prædestinauit: & illos à se præscitos & prædestinatos suo tempore vocat, iustificat, glorificat, quemadmodum ait Apostolus: ac proinde ille vnus perfectè nouit qui sunt sui. Nõ tamen incognitum relinquit suis electis voluntatis suæ mysterium, id est electionis suæ decretum quod illis per Euangelium ita patefacit vt insita in ipsorum animis per Spiritum Sanctũ suum fide obsignet in eis spem futuræ gloriæ, repræsentato eis hæreditatis suæ arrhabone, donec in plenam libertatem vindicentur, dũ in hac vita solida spe exultãt gaudentes quòd tua nomina

Verum & Perfectũ quomodo differunt.

1. Cor. 13. 9.

1. Ioan. 3. 2.

Rom. 8. 29

2. Tim. 2. 13.

Ephes. 1. 9. 11.

na sint scripta in libro vitæ. Sic ego, dixi in priori disputatione. Pias animas intelligere se ad inuisibilem Ecclesiam pertinere. Hoc ridet miser Apostata, huius veritatis luce proprióque iudicio ἀυτοκατάκριτος sibi meliùs consultum si Dei patientia ad resipiscentiam se inuitari agnosceret, non verò ἀμετανόητος καρδίᾳ veritati bellum indicens, sibi vltrò exitiũ accerseret: quod profectò Ismaëlis, Esau, Iudæ cachinni impedire olim haudquaquam potuerũt, neque cuiusquam Thrasonis audacia vnquam impediet.

Quòd autem dixeram vnius Ecclesię geminam faciem esse distinguendam, iocatur meus Esaita, & nescio quid de Iano bifronte iocabũdus imaginatur. At sannæ illius tuæ sputum, nugator, nõ vides te quoque proiicere in caput venerandæ Antiquitatis? Hoc enim ipso dicendi genere sic vtitur Ambrosius de Ecclesia loquens: *Duo igitur gemini, duæ geminæ vitæ, duæ geminæ sunt militiæ*, varium illius statum sicuti ego, repręsentare instituens.

Tricæ Hayani.

Ambros. Lucæ lib. 3. cap. 3.

Tertius Hayi παρέξελεγχος.

HAYVS.

Visibilem Ecclesiam definiendam suscepisti. cur ergo nos voluisti fallere, tradens Ecclesiæ Catholicæ definitionem, & visibilis vocabulum reticẽs? Si quis definiret animal esse id quod rationis est particeps: & postea se non animal vniuersè, sed hominem definiuisse diceret, in Sophistis, vel tuo iudicio, meritò esset numerandus. De te verò quid sentiemus, Minister, qui quum Ecclesiam Catho-

licam definiuisses, visibilem à te duntaxat esse definitam tandem nobis subiicis. Orationem tuam vagari & errare video. pag. 78.

SERRANVS.

Non sum Iesuita vt fallam. Vobis est hoc vernaculum & proprium. Vt autem bona fide & ordine respondeam, huiusmodi est tuum argumentum.

Hayi argumentū ex ipsius farragine euolutum.

Qui genus cum specie sua confundit, artē perturbat, & sine arte vagatur.

Hæc tua, Minister, Catholicæ Ecclesiæ definitio. genus cum specie confundit.

Ergo sine arte vagatur. Hóccine est, Hay, te fallere?

Retorquetur in ipsius Hayi caput

Respondeo, tuum argumentum aduersus te retorqueri, quippe qui dicas Ecclesiam visibilem & inuisibilem esse species Ecclesiæ Catholicæ veluti generi subiectas. quo quid crassius & ἀδιανοήτως excogitari potest? Perinde enim est ac si diceres duas esse in homine species, inuisibilē vnam, id est animum: visibilem alterā id est corpus: vt Homo sit duarum specierum genus. Vna nimirum est Ecclesia Catholica, particulares omnes Ecclesias veluti membra comprehendens. Ipsa igitur corpus, ipsius caput est Christus: singulæ siue Ecclesiæ siue fidelium animæ illius sunt membra, quemadmodum ait Chrysostomus, *Ecclesiā nihil aliud esse quàm ex nostris animabus constructam domum.* Hæc enim Ecclesię σωματολογία corpori sæpenumero comparatur. Itaque non generis rationem sed totius amplitudinem subit. Tuæ orationis ἀκαιρολογίαν ex nimia in rebus per se etiam perspicuis reprehendendi libidine nascentem,

duas Ecclesias imperitè cōstituentis.

quum vna sit Ecclesia Catholica.

In epist. ad Ephe cap. 4, Ser. 10.

scentem, eruditus Lector videt. Cur autem de visibili Ecclesia me agere disertè testatus fuerim, manifesta ratio est, quia quum de notis Ecclesiæ quæratur ex quibus illā à profanis cœtibus distinguamus, omnino cōstat de Ecclesia sic agi vt nobis apparet. Vnam autem inuisibilem & visibilē & reuera esse & rectè dici Ecclesiam, supra demonstrauimus.

Ex his igitur, Hay, quæ aduersus παρεξελήλυθότας tuos respondi, efficitur, Veram esse illam definitionem Ecclesiæ quæ à me fuerat allata, quum videlicet ex his constet quibus Ecclesiæ substantia continetur, eaque circumstantiæ quæ illius naturam propriè definiunt, in ea notentur: atque adeò consequitur falsam importunámque esse tuā reprehensionem qua veram definitionem dānare instituebas.

COMPLEXIO VNIuersæ disputationis de Ecclesia, αὐτοσυλλογιστῶς collecta:

PAPATVM NON ESSE Ecclesiam Catholicam, sicuti in priore disputationis parte demonstratum est: ac proinde de illius autoritate hîc minimè agi.

INSTITVTI ordinis ratio postulabat vt postquam priori disputationis parte quid non sit Ecclesia: altera, quidnam ipsa sit demonstrassem, veramque eius definitionem è suis propriisque demōstrationis principiis eruissem: vltimo loco disputationis summam colligerem, & semotis insi-

Ordinis ratio.

diis quarum periculum non rectè eo intellecto de quo quæstio institueretur, initio obuersabatur, ita ad principem primariámque quæstionem aggrederer. Hac de causa remota ψευδωνύμου illius & æquiuocæ Ecclesiæ definitione, paucis verbis cõfecimus vniuersæ disputationis complexionem, ad eámque (prout bene docendi leges postulãt) illustrandam, adiunximus insignia quædã orthodoxorum Patrum testimonia. Summa est, Quum vera Ecclesiæ definitio iis conficiatur quæ internam ipsius rei essentiam verámque naturam designãt: omnino consequi veram esse illam Ecclesiæ definitionem quæ à nobis fuerat allata, quippe quæ veram illius essentiam & naturam, notatis illius necessariis circumstantiis repræsentet: atque ex vi consequentis, κατ' ἀφαίρεσιν τὸ ἐναντίου, falsam esse eam definitionem quę eam non exterminis modò, sed falsis & planè commentitiis qualitatibus designet, nimirum, Papatum quem superstitio Catholicæ Romanæ Ecclesiæ nomine designat, nõ esse Ecclesiam Catholicam de cuius autoritate instituta sit quæstio.

Hayanęlo quacitatis fastidiosa inanitate èximudẽti virulentáque audacia cumulatæ exemplũ Lectorhic animaduertat.

Quid hîc meus Iesuita? Quinque paginas totas opplet non nouis exceptionibus aut argumentis: sed, rerum inter nos iam agitatarum negationibus earundem rerum βαττολογίαις, peregrinis accusationibus & conuitiis: sicuti ex ipsa lectione perspicuum erit. Itaque me & lectorem leuabo labore exscribendi res minimè ad rem pertinentes. Ad summa capita tantum respondebo. PAG. 80. Est ἀθεολόγον & planè importunum, Imperatorum Romanorum testimonia proferre ad Romanæ Ecclesię principatum stabiliendum, quę superstites nunquam sunt passi. Si reuiuiscerent, nunquid colla subderent pedibus Pontificis Romani, aut eos obsequij testãdi causa deoscularentur?

tur? Gratianus certè, Valentinus & Theodosius Imperatores nunquam viderunt meretricis illius Romanæ supercilium. Casta tũc erat Romana Ecclesia, quæ postea facta est meretrix, sicuti ostendi suo loco. Iustinianus licet ætate illis inferior, nũquid impudicæ illius sceleratã frontem ósque impurum pertulisset? Certè Phocam vestrum, Iesuita, parricidam illum & latronem si proferres, eum quidem fateremur vniuersalis Episcopi nomen autoritatémque Romano pontifici tribuisse: at quum per te assensúque tuo & re & nomine speciosa vestra Ecclesia summi pontificatus apicem titulo illo consequuta sit, habemus quod cũ summa ratione excipiamus: De illa quoque Romana nos minimè agêre quę peregrino, Antichristo nimirum vniuersalis episcopi nomen adepto, adhęsit: sed de ea Ecclesia quæ Christi sui vocem audit, quam in vestris illis Imperatoriis titulis minimè quærimus. Illa ipsa est vna Ecclesia Catholica cuius membrum est non modò Geneuensis Ecclesia, quam sceleratè traducis, sed omnes verè Christianæ Ecclesiæ. Respõdeat igitur pro nobis Augustinus: *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus.* (nos nimirum cum Augustino & orthodoxis Patribus antiquæ Ecclesiæ.) *Quare non in eis & Christum & Ecclesiam*, vos Iesuitæ, *communiter* nobiscum & cum veteri Ecclesia inuestigatis?

In PAG. 81. Est vetus prouerbium, ἀλαζὼν ἑαυτῷ μάρτυς. Ecquis igitur tibi testi vago & incerto credat? Ioannis Knoxi sanctissimi viri memoria piis omnibus est felicissima: te verò præfractum Apostatam populares tui detestantur: te perditum nebulonem tua scripta, te qui tuósque mores norũt, summum stellionem concionantur. Abi igitur in

Scotiam vt tuis Scotis ostendas nos ab ipsis delusos fuisse, qui illorum testimonio hęc de Knoxo credimus. Qualem te in Gallia præstiteris, nos illis vicissim referemus. At non te pudet interea his peregrinis argumentis Veritati obstrepere, immemorem videlicet illius Horatiani, *Tollat te qui non nouit, vicinia rauca reclamat?* Planum te nouimus. A Plano igitur nos volentes-scientes circumueniri, male sanus arbitrabere?

In PAG. 82. 83. & 84. De Petri testimonio aduersus commentitium Romanæ Ecclesiæ principatum, dixi suo loco. Verbum scriptum idem illud esse quod erat antequàm scriberetur: & idcirco scriptum, ne adulteriis hominum corrumperetur inculcatum quoque est à nobis supra, & quidem sæpius quàm par esset, nisi tua me excusaret importunitas. Nunc verò si elaborarem frigidis tuis ὁμωνυμίαις respondere, profectò nugarer tecum. Claues Regni cœlorum esse Euangelij doctrinã quæ ad cœlestis felicitatis iter nobis sternit, perspicuũ est. Quid mihi igitur, sõniator tua φάσματα obtrudis, nemini præter quã tibi somnij illius fabro nota? Traditum fuisse Bibliorum volumen Petro pro clauibus: Petri Cathedram vbique esse in qua innumeri sedeant, quum illius doctrina vbique audiatur: Templa nos tollere Christianorum, quum lupanaria vestra detestemur: & huiusmodi phantastici tui ingenij laruas & imagines quis non videt indignas esse responsione: quũ cerebrum tuum sit sanandum veratro? Hoc igitur ad has nugas abundè. Quod de *Clauium* in Scriptura significatione φλυαρολογίας nõ alio quàm te interprete exponi potest commodè. *Discę*, inquis, *à Christianis Theologis, clauem in Scripturis, potestatem significare: non autem, vt falsò tibi persuasisti, vtriusque Testamenti doctrinam.* Tum verò addis, *Cathedra Petri, est autoritas quam Petrus in Christi Ecclesia habuit docendi, ac Christiano populo iussa describendi.* Cedò, mî Hay, quæcunque Petro tradita est à Christo potestas, ecquænam fuit? Nónne illa cuius vi sedit in Ecclesia, pascens gregem Domini, quemadmodum ei fuerat à Domino mandatum: & quod ipse collegis suis, siue, vt ipse loquitur, compresbyteris eiusdem mandati vi præscripsit? Illam certè quidem quum tu vltrò agnoscas, quæro à te quid aut quomodo docuit Ecclesiam Petrus? Nónne Verbum Dei & ex Verbo Dei? Te tuo ore conuinci vides, serue frugi? Auges aduersus te testimonium, quũ *nomine Cathedræ Mosis, graues aliquos Theologos eius doctrinam intelligere fatearis.* Tu ergo leuissimus es qui non animaduertas non aliam esse Mosis doctrinam quàm eã quæ à Mose scripta est: at pessimus, qui Petri Cathedræ dignitatem non potuisti ostendere nisi eam cum Cathedra pestilentiæ cõparares. hæc enim verba postquam de Petri Cathedra loquutus es, continuò subiungis: *Nã hoc modo Cathedræ vocabulum vsurpauit Propheta regius scribens,* Beatus vir qui in Cathedra pestilentiæ non sedit. Apage crudam & inscitam tuam balbutiem: & disce articulatiùs & distinctiùs loqui. Ita igitur emendandus est hic locus, in tuo Codice. *Petro graues lupi successerũt qui illius Cathedræ siue doctrinæ nomine & specie, pestilentes & noxios errores inuexerunt in Ecclesiam Dei. ab his vt caueremus præmonuit Spiritus Sanctus. nam hoc modo Cathedræ vocabulum vsurpauit Propheta regius scribens,* Beatus vir qui in Cathedra pestilentiæ non sedit. Vides, mî Hay, quàm bellè hæc inter se cohęreãt, & quàm verè Cathedrę pestilentiæ nomine ψευδωνύμως Petri successoris lethifera potestas significetur. Quòd autem de legitima

Magistratuum (vt loqueris) Ecclesiasticorum vocatione ais, est reuera circumducere circulum, vt Logicus circulator meritò appelleris. Ecquod enim est legitimę vocationis in Ecclesia fundamẽtum quàm doctrina? Idcirco testatus Apostolus de sua potestate, eam doctrina definit, cuius subiectum sit Christus Dominus: cui se omnésque in Ecclesia Pastores redditurum rationem testatur Petrus, vtpote summo Pastori omniúmque Pastorum Domino ac principi.

Quòd de Bibliorum volumine & de scripta siue picta Ecclesia nugaris, non modò tuæ (vt vocabulo ad stomachi tui infirmitatem de qua lectorem tam solicitè mones, repræsentãdum apto vtar) ἐμοκρασίας centies effusæ, sed infelicissimi tui vomitus in quo obstinatus Apostata scelerate volutaris, tristissimũ bonis viris monumentum est: eóque tristius quòd te de tuo exitio miserè ridentem videant. Inuisibilis est Ecclesia ἀθέοις & impiis hominibus, at inferi ipsi qui Ἅιδου id est inuisibilis nomine notantur, nimium citiùs ipsis erunt visibiles. De Verbo Dei, & Ecclesia satis suo loco dixi hactenus: ne hîc Cattologῶ impuri irrisoris libidini gratificer. Et Verbum suum illiúsque tabulas scripto à fidelibus suis notariis consignatas, & Ecclesiam suam inter densissimas horrendarum calamitatum tenebras Dominus conseruauit, & Solem veritati suæ suo tempore reduxit, quem vident ij quibus oculos ipse dedit ad videndum: cæci autem Iesuitæ & illorum fascinis obcœcati lucem quam non vident, tenebras vocant, séque perspicaces tamẽ arbitrantur.

Ioan. 9. 41 Quibus idcirco ait veritatis & iustitiæ Sol, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus. itaque peccatum vestrum manet.*

TESTI-

TESTIMONIA ORthodoxorum Patrum ad superiorem definitionem illustrandam à me allata, oppugnantur ab Hayo, à me defenduntur vt fideliter citata.

De loco Hilarij in Psal. cxvi. *Domus hæc ædificanda per Deum est. humanus enim operibus extructa non permanet, neque doctrinis seculi instituta consistit. &c.*

HAYVS.

Primùm tibi respondeo nullam in hac D. Hilarij sententia de Verbo scripto (quod tu solum vrges) fieri mentionem. &c. pag. 85.

SERRANVS.

Duo excipis aduersus hoc Hilarij nostri testimonium, quæ testantur tibi nullam esse frontem. Vnum, de scripto Verbo hîc nullam fieri mentionem. Alterum, hæc verba ad Ecclesiã Dei minimè pertinere. Quid ais? Quũ huius domus fundamentum esse dicat Hilarius, Prophetas & Apostolos, quemadmodum Paulus disertè loquitur, existimásne Prophetarum & Apostolorum personas an doctrinam notari? Certè commodus est sui interpres Paulus qui fundamentum illud Prophetarũ, appellat testimonium Prophetarum:

Loquitur Hilarius disertè de scripto Dei Verbo.

& ratio ipsa euincit de personis id non posse intelligi, sed de ipsa doctrina. Ecquænam verò est aut esse potest Prophetarum & Apostolorum doctrina, præterquàm ea quam Prophetę & Apostoli scriptis commendarunt? De scripto igitur Verbo agere Hilarium nemo nō videt præter voluntarium cæcum. Iam verò de Ecclesia hîc agi qui dubitat, vel nescit quid sit Ecclesia, vel cognitæ veritati proteruè reluctatur. Tibíne est Ecclesia lapidum congeries parietibus conformata? Crassa est superstitionis ὁμωνυμία, Iesuitis quidem superstitionum architectis apprimè digna, à Christiano autem qui se lapidem viuum in sacro illo Ecclesiæ ædificio structum intelligit & credit, penitus aliena. Agnoscebas nuper fideles vocari Templum Dei. Paulus Corinthios appellabat Dei ædificationem Petrus fideles ait veluti viuos lapides ædificari in Ecclesia Dei quam spirituale domum appellat. Chrysostomus Ecclesiam appellat, structuram animarum. Hilarius idem ipsum Templum ex Apostoli & Prophetę verbis describit. Verba hæc ipsa sunt quæ tu protulisti, Quod habitabile ei templū? nempe illud de quo dictum est, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc domus & hoc templum Dei est, doctrinis & virtutibus Dei habitat in vobis &c. Sāctitas, æquitas, cōtinentia humana Deo tęplum est. Domus ergo hæc ædificanda per Deum, quidnam aliud est quàm Ecclesia: & quid aliud est Ecclesiæ structura quàm quum animi fidelium Verbi Dei efficacia (illius nimirum Verbi θεοπνευστου cuius vim ad vitam rectè instituendam describit Apostolus,) ad pietatem, rectitudinem, integritatem, charitatem, spem, constantiam, cæteràsque Christianas virtutes per Spiritum Sanctum, veram efficacémque Verbi diuini ἐντεχνίαν, institu-

& de Ecclesia.

tuuntur? Iesuitæ igitur meo quid frontis supersit, Lector perspicuè animaduertit.

De altero loco Hilarij lib. 6. de Trinitate. *Hæc fides, Ecclesiæ est fundamentum:* &c.

HAYVS.

Si Hilarius scriptum Dei Verbum Ecclesiæ fundamentum facit, cur tu ipsius orationem immutasti? Cur orationis dispersas partes nouo artificio sic colligasti? &c. pag. 85. & 86.

SERRANVS.

Ecclesiæ ædificandæ rationem ostenderam Hilarij testimonio, nimirum per Verbum Dei, quod probauimus esse certam illius notam. Sic quoque illustrata est Ecclesiæ definitio: quam quum à commentitio Romanæ Ecclesiæ principatu vindicassem, cui stabiliendo Petri nomen impudenter ementitur Antichristus: necesse erat vt hanc potissimum partem, quia Antiquitatis nomen prolixè ab illius tyrannidis patronis prætexitur, Antiquitatis testimonio comprobarem. Id me præstitisse trium patrum testimoniis, perspicuum est omnibus, præterquàm Hayo: qui tamen professus se *non videre quorsum testimonia illa adduxerim*, vi tamen veritatis cogitur confiteri, me id feciisse *vt ex illis probarem, super Petrum non fuisse ædificatam Ecclesiam.* Hoc nimirum est, Hay, quod volo.

Quorsum hoc testimonium adhibeatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Quomodo.

Quid præterea reprehendis? Me Hilarij oratione immutasse, dispersas Hilarianæ orationis partes colligasse. Quasi verò sit orationem immutare, aut dispersas partes colligare, id seligere quod ad rem ipsam propriè spectat: vel contra sit opportunè laudare testimonia Patrũ totas paginas nullo iudicio transuasare atque effundere! Illud videlicet optimum est compendium scribendi crassos optimósque codices, ne typographicis operis desit quod agant. Quam vecors aut supina est tua audacia, aut audax tua vecordia & supinitas: quasi tibi sit res cum Americanis aut Iapponensibus. Me fideliter & appositè Hilarium citasse, locorum collatio abundè ostendet. An me verò rectiùs reprehenderis in ipsa testimonij citatione, consideranda est.

Iesuitæ Patrũ testimonia sine vllo iudicio exscribũt.

Vera & luculẽta huius testimonij sententia.

Hilarij verba perspicua sunt suáque luce manifesta: Fidem & confessionem de Christo, Filio Dei viuentis, (id est, Filio Dei, non ex adoptione, vt sunt fideles, sed natura verè Filio, Patri ὁμοουσίῳ) *esse fundamentum Ecclesiæ.* nemo enim aliud Ecclesiæ fundamentum ponere potest præter Iesum Christum, *Super hanc confessionis petram*, id est firmam constantémque fidem cõfessione enũtiatam, *esse ædificationem Ecclesiæ*, quę nimirũ colligitur per vocem Euangelij, Christum Seruatorẽ nobis idcirco exhibẽtis vt eum vera fide amplectamur, & in eo insiti coalescamus in Ecclesiæ vnitatem corde credẽtes ad iustitiam, & ore confitentes ad iustitiam, Christum esse Filium Dei viui, Redemptorem & caput Ecclesiæ, viam, veritatem & vitam: *Hoc esse diuinæ reuelationis Sacramentum, Christum Dei Filium non solum nuncupare sed etiam credere.* Quibus verbis significat Hilarius non satis esse proponi nobis Euangelium, & in eo Christum, sed vera fide illum esse amplectẽdum,

dũ, non ore tantùm nuncupãdum. Idcirco addit, *Aut nunquid nũcupatio potius quàm natura Petro reuelata est? Si nuncupatio, iam hanc frequenter à Domino audierat, se esse Filium Dei confitente. In quo ergo reuelationis est gloria? Naturæ scilicet non nominis, quum frequentata nominis iam professio fuisset.* Quorum verborum hæc est sententia: Non solo nomine Christum esse Filium Dei, sed natura, vt verum, æternúmque veri & ęterni Dei Filium: neque verò solum nomen Filij Dei Petro innotuisse & in illius ore versatũ, sed eum tanti mysterij dignitatẽ vera fide fuisse amplexum, quam solenni confessione quoque tunc prædicauerit: vt postea doceret nullum aliud nomen esse sub Cœlo quo homines seruentur, (quẽ ad modum ipse ait) id est, vnicam hanc esse rationem colligendæ & ædificandæ Ecclesiæ, hac fide victricem esse Ecclesiam, quum fides sit victoria nostra, Fidei enim effectum his verbis exponitur: *Per hanc fidem infirmæ aduersus eam* (id est Ecclesiam) *sunt portæ inferorum.* Addit, *Hæc fides regni cœlestis habet claues*, id est hæc est vita æterna vt sicuti Euangelium nobis proponit Christum, sic eum vera fide amplectamur. Deinde adiungit: *Hæc fides quæ in terris soluerit aut ligauerit, & ligata sunt in cœlis & soluta.* quibus verbis ostendit non modò Euãgelij efficacitatem quæ est potentia Dei ad salutem cuiuis credẽti, sed gubernandæ quoque Ecclesiæ autoritatem omnem atque potestatem hoc Verbo Filij Dei inniti ac proinde omnem illam Pastorum in Ecclesia Dei dignitatem qualem & Petrus & Apostoli omnésque fideles Dei serui habuerunt aut habent in Ecclesia, sine illo Verbo nullam, nullam denique Ecclesiam quæ illius Verbi ductu & auspicio amplecti-

tur Filium Dei, vnicum salutis suę firmamentum. Vt autem omnis humanæ arrogantiæ anima præcideretur, ne homines existimarent ex tanta dignitate à Deo sibi tributa, gloriæ partem sibi deberi, suisque personis alligandam: prouiderat Filius Dei, Petrum disertè monens, *Carnem & sanguinẽ hoc de se mysterium sibi minimè reuelasse.* Hilarius quoque hæc Verba diligenter interpretatur: *Sensus*, inquit, *carnis & sanguinis, confessionis huius intelligentiam non reuelat. Hoc est diuinæ reuelationis Sacramentum. &, Quam vim affers dictis gloriosis? Filium Dei confiteris, ob hoc beatus es. Hæc reuelatio patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est, hinc regni cœlorum habet clauem, hinc terrena huius iudicia, cœlestia sunt.*

Vnde perspicuũ est recte à me citatũ esse hoc testimoniũ, vt ostenderẽ Christum esse vnicũ Ecclesiæ suæ caput.

Ecquid potuit, erudite Lector, ad hanc Ecclesiæ definitionem illustrandam augustius luculentiúsve dici? Ecclesiæ fundamentum notat, Fidem de Iesu Christo Filio Dei. id est illius Verbum non ore solo nuncupatum, sed fide apprehensum: Hãc vnicam esse rationem salutis consequendæ, hoc vno salutaris doctrinæ per Verbum Dei reuelatæ fundamento omnem Ecclesiæ dignitatem auctoritatémque firmari: Nihil hominibus ex sese suisq; viribus constare, sed quicquid est & cognitionis & potestatis, totũ esse ex mera Dei gratia, totum Dei munus vt solus Christus Ecclesiæ caput agnoscatur, serui suo loco habeantur. Hoc illud quoque ipsum me velle, Lector, animaduertis, vt Ecclesiæ nimirum natura, factáque collatione, illius cõtrarium intelligeretur, Papatus videlicet, qui ementito Ecclesiæ nomine & Petri, & Ecclesiæ & Petro bellum indicit. Hanc planam perspicuámque esse Hilarij sententiam nemo nõ videt.

Ac proinde imaginariũ esse principatũ quem Papa vsurpat emento Petri nomine.

Oblatrat tamen Hayus, & Hilarium Hilario opponit. quàm rectè, vltimum est vt videamus.

Noua Hayi exceptio aduersus superiorẽ doctrinã, obrogato Hilarij alio loco.

Hilarius, inquit, *aliis in locis, nimirum decimosexto canone in Matthæum & in Psal. 131. Petrum appellat* felix Ecclesiæ fundamentum, beatum cœli ianitorem. *Nihil contra te clarius dici potuit. Sentiage ergo nunc confessionem & fidem Petri à Petro, vt Petrum Ecclesiæ esse fundamentum neges. Fides Petri à Petro seiuncta vt non habet Ecclesiæ claues, ita neque super eã in alio quouis homine Ecclesia ædificata est. Quare quum scribit Hilarius*, Hæc fides, Ecclesię est fundamentum, hanc habet sententiam: *Petrus in fide constãs & stabilis, diuina benignitate factus est fundamentum Ecclesiæ. &c.* ne cætera exscribam quæ meræ sunt ταυτολογίαι. Pag. 86.

Huius exceptionis στροφὴ.

Respondeo, te duplici fallaciæ genere ludificari veritatem: vno quidem, quod *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter* appellant (quo decipulæ genere fides Iesuitica sæpenumero fumos vendit imperitis, eorundem quidem verborum vsurpatione quibus Patres vtuntur, sed quibus tamen ipsa abutitur:) altero autem quod *Ignorationem Elenchi* vocant, quum id videlicet vrgetur quod minimè agitur.

Quomodo & quatenus Hilarius Petrũ appellauerit felix Ecclesię fundamentum,

De primo igitur sic habeto, Non meliorem Hilarij interpretem quàm Hilarium quærendum esse. Quatenus ergo ipse Petrum Ecclesiæ fundamentum vocauerit, disertè eo ipso in loco docet, vt Iesuitæ περιτρεύοντες fraus in ipso furto deprehendatur. non enim simpliciter & absolutè Petrum appellat fundamentum Ecclesiæ, sed κατὰ τι secundum quid, *Nuncupatione* nimirum *nominis*, id est vt ibidem ait, *quòd Dei gratia dignus iudicatus sit qui quod in Christo Dei esset, primus cogno-*

Obla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſceret: & alibi, *In cunctorum Apoſtolorum ſilentio Dei Filium reuelatione Patris intelligens, vltra humanæ infirmitatis modum ſupereminentem beatæ fidei ſuæ confeſſione gloriam promeruit.* Magnum quidem Petro tributum priuilegium quòd primus inter omnes Apoſtolos luculentam illam confeſſionem de Chriſto Filio Dei viuentis oppoſuerit euripis humanarum opinionum: ſed nō tamen huiuſmodi vt indefinitè, nullis adhibitis limitationibus ſiue exceptionibus, id ei tribuatur quòd ſit vel fundamentum Eccleſiæ, vel Cœli ianitor. Illud enim Chriſto propriè tribuitur: hoc Patri, nos ad Filium qui vera eſt Cœli ianua, adducenti. Diſerti hac de re ſunt loci, *Fundamentū aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* & , *Aperit ianitor & oues vocem eius audiunt: & ſuas oues vocat nominatim.* De Deo hæc dici perſpicuū eſt: qui nos ad Filium adducit, nouit eos qui ſui ſunt, & quos elegit, vocat efficaciter. *Ianuam* autem ſe Chriſtus vocat: *Ego ſum ianua. per me ſi quis introierit, ſeruabitur.* Quatenus igitur hos Deo proprios titulos Hilarius Petro tribuerit, conſiderandum eſt. alioqui blaſphemia non carere hanc audaciā quæ Deum ſuo honore ſpoliaret, quis non videt? quod ſine blaſphemia de ſancto & orthodoxo Patre dici nō poteſt. Hilarium itaque ſeipſum exponentem audiamus. *Chriſtum videlicet ac proinde fidē de Chriſto eſſe fundamentum Eccleſiæ, ſuper hanc petram eſſe ſolidam ſtabilémque Eccleſiæ ædificationē: hoc firmamento* niti ipſius ſalutem, hoc vno certam aduerſus inferorum portas victoriam ei conſtare: hoc denique vno omnem ligandi aut ſoluendi autoritatem ſtabiliri. Hoc Dei munus eſſe: Petrū eſſe ſeruum Dei. Deo igitur id agnoſcendum eſſe vt principi primariæque cauſæ, πρώτῳ, θεοπρεπῶς, πλεσπερῶ, vt omnis ei honor in ſolidum tribuatur. Petro autem ſingulares illas appellationes tribui precario, & κατὰ μ, nimirum vt inſtrumento quo Deus vtitur ad ædificandam Eccleſiā & fidelium ſalutem promouendam. De hoc Eccleſiæ ædificio ſic loquitur Petrus monēs vt ad Chriſtum quem lapidem viuum & ἀκρογωνιαῖον, id eſt fundamentalem in imo poſitum quo totum ædificium innitur, accedamus. At regni cœlorum claues ſe Dominus Petro daturum promiſit (inquit Hayus) id eſt ſummam reſerandi & claudendi regnū cœlorum poteſtatem, gubernandíque principatum: ſiue Regni cœlorum nomine, ſempiternum quo beati fruuntur æuum: ſiue eorum qui in terris ſub Domini inſignibus decertāt, communionem intelligas. Petróne igitur illud proprium & peculiare fuit ἀξίωμα, quòd ſit confeſſus Filium Dei? At alij quoque Apoſtoli Chriſtum confeſſi ſunt. Quòd cæteris tacentibus loquutus ſit, ſingularis quidē zeli & fidei fuit teſtimonium: ſed tantíne eſt vt ſine Petri ſumma iniuria Petrus ἀρχαπόλιλω hominū ſuffragiis contra diſertum Dei decretum renuntietur? *Claues cœlorum* (inquit Hayus) *fuerunt Petro demandatæ.* Et cæteris quoque Apoſtolis (reſpondet Hilarius) idem demandatum eſt, idem ius tributum. Illos enim eōdem in loco ſic Hilarius affatur. *Tanta & tam Deo propria, vos ô ſancti & beati viri, ob fidei veſtræ meritum: claues regnorum ſortiti, & ligandi atque ſoluendi in cœlo & in terra ius adepti, geſta eſſe per Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum Dei Filium videratis.* Siue igitur in his terris Eccleſia verſetur, nónne & ligandi & ſoluendi ius idem eſt, ſiue in cœlo felices animæ Regni cœlorum gloria perfruantur, aliquódne Petro priuilegium conſtabit,

1. Cor. 3. 11
Ioan. 10. 3.

Ioan. 10. 7

In Matth. can. 16.

Ibidem.

vt sit vel Cancellarius vel Præfectus vigilum, vel quidpiam simile quod cæca superstitio cœlum in terram transformans imaginatur? Ex his igitur perspicuum est quomodo Petrus fundamentum Ecclesiæ & Cœli ianitor ab Hilario appelletur: & quibus finibus hęc dicendi genera, verâ quidẽ, sed κατὰ συνεκδοχὴν, circumscribi aut limitari debeant. Sed quoniam hac de re egi aliâs copiosiùs, quòd ad primum quidem caput attinet, hęc satis sunto.

Quicquid Petro tribuitur, nõ ipsius personæ alligandum, sed vni Dei gratiæ totũ esse tribuẽdũ.

De secundo autem hæc Hayo respondeo: Imperitia vel maligna vel crassa, ab illo opponi hoc nouum commẽtum: quasi fidem & confessionem Petri à Petro seiungamus. Hæc ignoratio elenchi ὁμωνυμίᾳ cumulata est. Hoc enim minimè agitur an Petrus siue Petri persona Deo placuerit, sed an Petrus Apostolus præter cæteros Apostolos vnus, ligãdi & soluendi acceperit huiusmodi potestatem vt princeps Apostolorum eo iure extiterit: & hactenus quidem vt illã proprio quodam iure personæ suæ alligatam, ad Romanos Episcopos veluti hæredes suos hæreditario iure transmiserit: sicuti à nobis est hactenus suo loco explicatum. Personæ siquidẽ appellatio vel hominem ipsum, vel dignitatem quandam siue externam speciem significat. Affirmo igitur Petrum singularibus Dei donis ornatũ, Deo quidem fuisse acceptum, non tamen propter illa dona dilectum fuisse à Deo, sed quoniam Deus ipsum diligebat, iccirco Deum tantis illum donis ornasse præter cæteros homines, & illustrissimis & Ecclesiæ vtilissimis. Sic enim de Abele notat disertè Scriptura: Deum ad illum prius respexisse, deinde ad oblationem eius. Si Petri persona æstimetur, fuit miser peccator, quemadmodum tristissimo lapsu ostendit: si fides, si confessio, si constantia, si martyrium, fuit verè Petrus, non ex se sed ex Dei dono: neque tamen huiusmodi Dei donum Petro tributum est vt Christi officium in Ecclesia occuparet: in qua quidem illustrem locum tenet, sed vt non sit fundamentum Ecclesiæ, quod vni Christo tantùm proprium est, neque ad vllã creaturã sine summo sacrilegio & scelerata blasphemia deriuari potest. Christus est petra, cui innixus Simon, euasit Petrus, id est firmus & constãs: & cui quoque innixi fideles, sunt verè Petri, id est firmi & constantes: non quidem eadem fidei mensura aut efficacitate, sed eadem tamen fide, eiusdémque fidei integritate & constantia. Hoc ipsum quoque est quod Hilarius in eo quem citas loco, diligenter persequitur: eos locos concilians qui in speciem ἀντίνομοι & aduersi videri possint: qui nimirum Sathanam Christus Petrum vocauerit, eúmque iusserit facessere. Petri infidelitatẽ damnari ait, non ipsum Petrum: sicuti & in alio loco fidem Petri commendari, quæ ex ipso Petro non est, sed ex mera Dei gratia & liberalitate. *Vt enim*, inquit, *Dei munus est, Christũ in spiritu Deum nosse: ita Diaboli opus est, Christum in homine nescire.* &, *Sed sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait*, Vade retro post me, *id est vt exemplo suæ passionis se sequatur. In eum verò per quem opinio hæc suggerebatur, conuersus adiecit*: Satana, scandalum mihi es. *non enim conuenit existimare, Petro Satanæ nomen & offensionem scandali deputari: post illa indultæ & beatitudinis & potestatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis Diaboli opus est, Petri responsione Dominus offensus, cum opprobrio nominis, infidelitatis istius est detestatus autorem.* Hæc Hilarius, cuius manifestam distinctionem eruditus Lector animaduertit.

In Matth. can. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hayi interpretatio euertitur.

Quorsum igitur tuæ illius, Hay, interpretationis ἑνυπόστατος *Petrus in fide constans & stabilis. Certè diuina benignitate.* Optimè. *factus est fundamentum Ecclesiæ.* Quid ais? Eóne modo quo & ipse Petrus & Paulus Christum Ecclesiæ fundamentum appellarunt? Possúntne vnius eiusdémque Ecclesiæ duo esse fundamenta, vnius corporis duo capita, vnius ouilis duo ἀρχιποιμένες vel summi Pastores? Vna eadémque Ecclesia & inuisibilis & visibilis vnicum caput habet, vnico capite contenta est: ne tu mihi capitis visibilis & summi in terra Pastoris commentum opponas. Ille idem summus Pastor quem agnouit Petrus, sic in cœlum ascendit vt sit in medio Ecclesiæ vsque ad consummationem seculi, neque vllo legato indigeat. Ille ipse est cui suę administrationis rationem Petrus se redditurum profitetur, suósque compresbyteros ad idem obsequium hortatur, vt vnũ Dominum ab omnibus colendum esse intelligerent: non verò se non modò vt ἀνυπόστατον & secundarium quendam Dominum profiteretur. Distinguendum igitur Petrum ab opere Diaboli, quandoquidem Petrus fuit vas misericordiæ Dei: & rursum Petrum à Dei gratia, à qua est quicquid est: neque verò personæ Petri, id est nouæ cuipiã dignitati propter singularia Dei dona Petro concessa, tãtum esse tribuendum vt Petrus sit Ecclesiæ fundamentum, id est nouus Christus, quum id sine manifesto scelere fieri nullo modo possit: ecquis non videt, Hay, & te crassa ignorantia vagari: siue quia Antichristi minister Domini tui ruinis quòquo modo mederi elabores: siue obstinatus Apostata, Ecclesiæ emansor, sciens-volens veritati reluctéris?

Vera & germana Hilarij interpretatio exipso Hilario stabilitur.

Hilarius igitur vitiosam tuã interpretationem sic emendet: *Petrus in fide stabilis & constans* diuina benignitate consequutus est vt Christum agnosceret esse Filium Dei viuẽtis, & in noui nominis nuncupatione verum Ecclesiæ fundamentum indicaret, cuius non modò ipse esset lapis & quidem firmissimus, sed ipsius quoque ministerio Ecclesia ædificaretur. vnde & singulari elogio Petri appellationem eadem Domini sui benignitate, verámque felicitatem consequeretur, illiúsque viam & ianuam fidelibus commonstret: ac proinde eum Cœli ianitorem appello: quod quidem illi cum omnibus Apostolis & fidelibus Dei in Ecclesia seruis commune est, illud tamen singulari Dei munere ei datum est vt primus præclarum de vera Christi diuinitate testimonium perhiberet, eóq; nomine inter Dei seruos excellenti quodam fidei & constantiæ lumine præfulgeat. Hæc igitur Hilarius, fidus sui interpres, aduersus Hayi ignorantiam, & calcitrosam & virulentam respondet.

De loco Chrysostomi Homilia Pentecostes, *Super hanc petram: non dixit, Super Petrum. non enim super hominem, sed super fidem. &c.*

HAYVS.

Si tu adiecisses quæ sequuntur in D. Chrysostomo ac fideliter ipsius verba recitasses, facilè intellexisset Lector summum Christianorum oratorem mysticam hoc loco sententiæ Christi Domini sensum tradidisse. Probat enim firmitatem & perpetuitatem Ecclesiæ. pag. 87. 88. 89.

SERRANVS.

Plana sunt atq; perspicua Chrysostomi verba, vt te Iesuitam esse, id est insignem Sophistã, ex teipso Lector iudicare possit: quippe qui coneris τὸ αὐτεξέλεγκτα ἐξελέγχειν, sicuti de Sophistis ait Philosophus. Tota illa festa concione Pẽtecostes Chrysostomus agit de extraordinaria Dei potẽtia quę elucet in conseruatione & gubernatione Ecclesiæ: propter quam excitat Dominus viros singulares, eósque eximiis Spiritus sui donis exornat, eorúmque laboribus tribuit felices successus. Vt autem hoc probet, primùm de Apostolis loquitur vniuersè, quorum opera & ministerio Deus vsus est ad Ecclesiæ ædificationem, in eúmque finem variis maximísque eos donis, augustis quoque titulis insigniuit. Ait igitur *Apostolos* vocatos fuisse *columnas Ecclesiæ, quoniam virtute sua Ecclesiæ sunt robur: fundamentum, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram fundabo Ecclesiam meam.* Animaduerte, Lector, non Petri nomen omnibus Apostolis perẽquè tribui ac ipsi Petro, illúdque ei propriè tributum elogium ad omnes communiter pertinere. Vbinam igitur ille Petri principatus, Pseudocatholicatus vestri firmamẽtum? Fundamentum illud verò Ecclesiæ esse doctrinam salutarem, Verbum Dei quod primariam Ecclesiæ notam esse diximus, solicitè inculcat, luculenter, frequẽter. Testatur disertè *non super Petrum* fundatã esse Ecclesiam, nec super hominem: *sed super petram. i. super fidem. super confessionem, super sermones pietatis, sine qua neque fides esse posset in corde nec confessio in ore.* Et quia Petri nomen

Vera & germana Chrysostomi sententia.

nomen peculiariter fuerat Simoni inditum, ait *vniuersam Ecclesiam esse petram*, id est illud ius ad omnes fideles communiter pertinere: *quia supra Christum fundata fluctus suscipit, & non tutubat, oppugnatur non expugnatur, omnium calamitatum latè victrix.* Ecquo modo potuit Ecclesiæ definitio è cõtrario suo ἀνασκευαστικῶς illustriùs neruosiúsve explicari? Quum enim commentitius ille Petri principatus, illius principatus quẽ vendicat Romana Ecclesia in omnes Christiani nominis Ecclesias (ficuti Hayus dicebat supra) sit fundamentum: hoc euerso, quì non ille penitus concidat? Hoc omnibus machinis, euertit Chrysostomus.

Et audet Iesuita mysticum hîc sensum commiscisci? At bene habet: ad allegoriam confugitur. Cedò igitur, mi Hay: écquem sensum mysticum inde eruis? *Probat*, inquis, *firmitatem & perpetuitatem Ecclesiæ.* Hoc volo. Non te vides teneri? Quidnam enim Petro propriè tribuitur, si Ecclesię firmitas & perpetuitas describitur? *Quum*, ais, *Ecclesia super Petrum fide destitutum fundari nequeat.* Esto. verissimum est. Quid tum? *Vt neque super nudam fidem ab omni homine seiunctam.* Ecquid hoc mõstri est? Ergo non super fidem nudam, id est (vt ait Chrysostomus) super sermones pietatis, super doctrinam fidei, super verbum Dei fundata est Ecclesia, sed super hominem qui crediderit? Negabat Chrysostomus super Petrum fundatam esse Ecclesiam, ne super hominem fundaretur. Hayus verò, commodus scilicet Chrysostomi interpres, affirmat Ecclesiæ non satis firmũ aut tutum esse fundamẽtum in Verbo Dei viuentis, nisi mortalis hominis fides & autoritas accedat: ac proinde Petrus non Christus confessionis

Absurda Hayi interpretatio.

illius subiectum, erit fundamentum Ecclesiæ: in Petrum nō in Christum credet Ecclesia, sine Petro vana erit fides, irritum Dei Verbum. Hęc esse mei Iesuitæ verba, Lector Christiane, vides: nihil me illi imponere. Quin igitur miserum Apostatam suo gladio iugulatum, veritatis hostem στενοχωρίᾳ angustiis coerceri animaduertis?

Verùm boni interpretis cætera mysteria expēdamus. *Quòd figer manum* (inquit) *orationis Christi sensum* (*quem vulgò literalem appellamus*) *hoc loco tradidit D. Chrysostomus, quomodo aut*, Dominum Petram vocauisse Ecclesiā fluctus suscipientem & non titubantem? *Aedificauitne Dominus, autore Chrysostomo, Ecclesiam suam super Ecclesiam?* Respondeo, Hay, Petram propriè dici Christum, atque adeò ipsius Verbū vel confessionem de ipso: quum Christus à suo Verbo nō magis diuelli quàm sine ipso possit intelligi. Ecclesiam verò ὑπαλλήλως quidem & secundario, sed tamen verè Petram vocari, omnésque fideles, ipsius alumnos, appellari Petros: quia Christū firmitatem nostram in Verbo suo per fidem apprehenso complectuntur. Eodē dicendi genere eam
1. Tim. 3. t vocat Paulus στύλον καὶ ἑδραίωμα ἀληθείας, colūnam & stabilimentum veritatis. Neque tamen vlla est battologia, quasi Ecclesiam super Ecclesiam fundatam esse diceret: non magis ac si dicerem, Ecclesia est fundata super Christum: vel Ecclesia est fundata super Verbum Dei. πολυσήμως enim vocis atque multiplicis significatio erat distinguenda. *Verùm*, ais, *qua ratione scribit super petram, hoc est, super confessionem, super sermones pietatis? Nunquid Christiani omnes Christum confitentur? nunquid plurimi de pietate sermones faciūt?* Certè, si sunt verè Christiani. non enim Ecclesia est

est schola ignorantiæ. *Super has petras tibi videtur Christus Ecclesiam ædificasse.* Videtur, Hay. tu quoque cogeris hanc veritatem confiteri. *Mysticum ergo sensum verborum Christi hoc loco nobis apertè tradidit, quod ante eū fecit Origenes, scribens*, Petram esse, quisquis Christi discipulus est. *At idem alibi propriam verborum Domini sententiam expressit*, Petrus, *inquit*, per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum. Quidnam mystici sensus, Hay, appellatione intelligas, primùm omnium distinguendum esset: quia vel teipsum minimè intelligis, vel, vt obęrati solent, quęris effugia. Certè, fides est magnum mysterium, sed perspicua est veritas, non allegoria: *Quicunque credit in me, habet vitam æternam.* Erit igitur Hayo mysticus siue allegoricus sensus, Christum esse Ecclesię fundamentum: & fideles, veluti viuos lapides, Christo ædificari, illóque vno totos inniti? Contrà, tibine erit propria Domini sententia, Petrum esse principem Ecclesiæ, & Pontificem Romanum veluti successorem Petri, esse caput visibile visibilis Ecclesiæ? Hoc nimirum est Iesuiticè theologari. Credere in Deum, fide Christum amplecti, in Ecclesiā inseri, in Ecclesia viuere, aduersus hostes salutis nostræ constanter depugnare, Hayo Iesuitę sunt allegorię & sensus mystici: hęc omnia sunt aliter intelligenda quàm verba sonāt. At Petrum esse Ecclesiæ summum pastorem, omnem Petro datam esse potestatem & in cœlo & in terra, claues regni cœlorum ei esse tributas, summam autoritatem ligandi & soluendi, Ecclesiæ esse fundamentum, caput, verticem: hæc omnia, inquā, erunt propriè & liberaliter intelligenda! Quis non ad has blasphemias exhorrescat, & hæc aduersus Petri doctrinam dici non animaduertat? Apage igitur sceleratas has περιτολογίας.

Hayanæ interpretationis summa absurditas.

Mendacij indicatio veritatis victoria est. De vera germanáque Chrysostomi sententia Lector qui locũ inspexerit, minimè dubitabit: & Iesuitarum in Antiquitatis doctrina corrumpenda audaciam perspiciet.

Quatenus siue Petro siue cæteris Apostolis omnibus: Dei seruis tributa encomia sint intelligẽda.

CÆTERA quæ conuertit è Chrysostomo Hayus de Petri encomiis minimè sunt digna noua responsione. Eadẽ. n. sunt quæ ex Hilario hactenus afferebat: ob eámque rem eadem prorsus ratione intelligi atque explicari debent. Hoc vnum itaque Hayo Petri encomia vndiquaque colligenti respõdeo, Quis eum nostrũm damnauit vnquam? Verùm: vt hæc sunt peruulgata, sic importunus profectò labor esset, neque nõ multis nominibus culpandus, in illis recensendis sic immorari, vt quorsum dicantur minimè attendas. Non enim ex his efficitur, Petrum vel Christi esse collegam aut vicarium, vel alterum Ecclesiæ fundamentũ siue caput: non magis quàm quum fideles Ecclesiæ pastores vocãtur Dei συνεργοί, cooperarij, consequitur Deum illorum opera & ministerio necessariò indigere: & hominum Seruatores, vnicum Redemptorem Christum minimè sufficere, sed aliis Redẽptoribus opus nobis esse: vt cætera huiusmodi dicẽdi genera prætermittam, quę verè quidem dicuntur, non tamen simpliciter & absolutè debent intelligi: sicuti & recta ratio & communis Scripturę vsus dictat, quemadmodum à me est suis locis explicatum.

1. Cor. 3. 9. 2. Tim. 4. 16.

Itaque Petrus sit Ecclesiæ fundamentum, ὁ δὲ ἐκκλησίας θεμέλιος: sit Ianitor cœli & clauiger, κλειδοῦχος ligandi & soluendi in terra potestatem acceperit, δεσμεῖν καὶ λύειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐξουσίαν λελάμβηκως, sit Lux Mundi, λαμπὰς τοῦ οἰκουμένης, sit firma Ecclesiæ columna, στερεὸς τῆς ἐκκλησίας στῦλος, sit denique firmissima petra, ac proinde verè

rè Petrus, aut siquid simile augustiúsve de ipso vel latinè vel græcè, vel si mauis, hebraicè, omnibus denique linguis dici potest: (ne in Græcorum verborum recitatione Circulator meus cineres inspergat simplicium oculis, tanquam *fascinis illudens*, aut exquisitæ eruditionis fumos Thraso captans) hæc omnia, inquam de illo elogio in Ecclesia insculpantur: hoc omnibus tamen piis erit perspicuum & ratum, Hæc non homini vlli vllæve creaturæ simpliciter & absolutè competere vllo modo posse: quũ vnicus Christus vnicæ suæ Ecclesiæ sit fundamentum, vnica cœli ianua, vnicus ianitor, vnica lux Mundi, vnicus lapis ἀκρογωνιαῖος, omnem potestatem vnus accepit & in cœlo & in terra: ac proinde non posse hæc homini simpliciter tribui, quin Christo non sine scelere & blasphemia demantur. Nõ absolutè igitur, sed κατάχρησιν, & adhibita conditione quadam, hæc ab orthodoxis Patribus dicta esse perspicuum est, ex ipso etiam Scripturæ vsu ad quam vt certissimam amussim omnis veritas exploranda est. Hæc verò elogia non personis alliganda, sed ministerio agnoscẽda, quo homines dignatur Dominus à quo homines habent quicquid habent, vt solidùs ipsi autori honor tribuatur: id est agnoscatur Dominus, causa & efficiens & finalis nostræ salutis: homines verò quãtumlibet magnis ab eo donis ornati, agnoscantur vasa suæ misericordiæ, instrumenta quibus volens liberrimè vtitur, non αἴτια sed συναιτία, id est non modò cũ primaria causa, sed post primariam causam: & his quidem exceptionibus adhibitis, *Fiduciam huiusmodi habemus per Christum apud Deum. non quod idonei sumus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quòd idonei sumus, id ex Deo*

2. Cor. 3. 4. & 4. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est.&, *Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis, vt eius virtutis excellentia sit Dei, & non ex nobis.* Præterea, nihil tribui Petro propriè, &, vt ita dicam, personaliter, sed omnia hæc elogia nõ omnibus modò Apostolis, sed & omnibus fidis Ecclesiæ pastoribus, omnibúsque fidelibus quadã ratione esse communia, perspicuum est. Certè omnes Apostolos à Chrysostomo appellatos fuisse *fundamentum Ecclesiæ & columnas*, ostendimus supra: ligandi & soluendi ex Verbo Dei potestatem omnibus in Ecclesia pastoribus tributã esse: vocatos esse Lucem mundi, columnas, viuas petras, quis nescit qui vel de limine Scripturam & Antiquitatem salutarit? Non tamen vel Petrus vel quilibet homo, est vel fundamentum Ecclesiæ, vel caput, vel lux mundi, vel petra angularis, vel summus pastor, dominus, ἀρχιποίμην, αὐτοκράτωρ, princeps. hæc vni Christo conueniunt: & de hominibus idem dici debet quod de Ioanne,

Ioan. 1. & 3. *Non erat ille Lux, sed missus est vt testaretur de luce*: &, *Homo non potest recipere quicquam nisi fuerit ei datum è cœlo. Vos ipsi mihi testes estis me dixisse, Nõ sum ego Christus.* &, *Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

De Christo autem hæc luculenta sunt ἀξιώματα,

1. Cor. 3. Ephe. 5. Ioan. 8. 1. Cor. 10. 4. Ephe. 2. Matth. 28. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus: Christus est caput Ecclesiæ, & is qui salutem dat corpori: Ego sum lux mundi: Petra verò erat Christus: Lapis angularis siue fundamentalis: Omnis potestas siue autoritas, ἐξουσία* (quo eodem vocabulo vtitur Chrysostomus de Petro loquens) *data mihi est in cœlo & in terra: Ego vobiscum sum omnibus diebus*

diebus vsque ad consummationem seculi. &c. Quorsum igitur ei opus est huiusmodi vicario qui sit Ecclesiæ caput, summus pastor, Ecclesię princeps, qui dictet leges conscientiis, decreta de doctrina & de moribus condat, iudicet quídnam pro Dei verbo habẽdum sit, quænam sit vera illius intelligentia, & præter Verbũ illud Dei, verbũ non-scriptum habeat eiusdẽ planè cũ scripto autoritatis? Hæc nimirum ementita Petri iura ementitus Petri hæres profert ad vendicandũ sibi in Ecclesiam Catholicam summum principatum. Abi igitur, Iesuita, cum tua non δὶς διὰ πασῶν (sicuti tu de me calumniaris) sed χιλάκις διὰ πασῶν scelerata in corrumpendis orthodoxæ Antiquitatis testimoniis audacia & temeritate. Pius autẽ & eruditus Lector iudicabit hoc Chrysostomi testimonium ad definitionem Ecclesiæ αὐθεντικῶς illustrãdam, fideliter à me fuisse laudatum.

De loco Augustini de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 54. *Nos ergo qui sumus vocamúrque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus.* &c.

HAYVS.

Nos hæc omnia vera esse fatemur ingenuè. non inde tamen consequitur, Petrum non esse Ecclesiæ fundamentum. Institue (si Logices artem calles) ratiocinationem aliquam, ex qua quod proposuisti colligas. Quid autem D. Augustinus senserit, suo loco explicabitur, vbi nimirum ad tuam inanem

huius sententiæ repetitionem peruentum fuerit. pag.89.90.

SERRANVS.

Victus Hayus diē de die trahit.

Esto. Hanc tuam veritatis confessionem amplector. Quòd si principia admittis, cur nascētem ex his principiis consequutionem negas? Plana est & luculenta meæ ratiocinationis forma. Qui dat antecedens, qua fronte aut qua Logica negabit consequens? At quum te tui pudeat, illustrissimæque veritatis faces in oculos tuos incurrant, vt solent obærati, qui diem de die trahunt, sic tu tam claræ & indubitatæ veritatis lumine caligās, Augustini sententiam in alium locum distulisti. Suo certè loco hoc testimonium fuisse citatum, cuilibet perspicuum est. alibi autem ἐπιεικῶς tantùm, exempli causa à me afferri vt ostendam quomodo sit instituendum doctrinarum discrimen, vt aurum à palea & fœno distinguatur atque secernatur. Hoc autem testimonium adhibui quòd sit veritatis primigeniæ exemplum verè ἀρχέτυπον in Augustino verè Augusto teste: qui diserte id negat quod ponit Ecclesia Romana ad Pseudocatholicum principatum stabiliēdum. Sit igitur hæc verè ἐπιστημονικὴ demonstratio, ἐλλιπῶς sic conformata.

Argumentū meum ex hoc Augustini testimonio.

Illud est Ecclesiæ fundamentum quo Christianorum fides innititur:

Atqui Petro Christianorum fides minimè innititur.

Ergo Petrus non est Ecclesiæ fundamentum.

Maior patet ex definitione Fundamenti. quid enim vocatur & est Christus fundamētum Ecclesiæ,

siæ, nisi quia in eam credit Ecclesia? Probatio ipsa est αὐτόπτος, sua luce manifesta. Minor è diserti Augustini elucet, negantis Christianos minimè credere in Petrum. Quid igitur est Augustino reluctari, & Petro iniuriam facere, iniusti honoris quem detestatur ipse, importuna attributione, si hoc non est?

HAYVS.

Vos ipsi estis Caluiniani qui non tantùm sanctissimo Petro, sed & Christo Domino iniuriam facitis, negantes contra perspicuam ipsius Domini sententiam, super Petrum ædificatam esse Christi Ecclesiam. Profer scriptam à D. Petro sententiam qua super se ædificatam esse Ecclesiā neget. Quòd si facere non valeas, cur tu temeritatem omnibus prodis tuam? pag.90.

SERRANVS.

Est βαττολογεῖν, quum sine vllis argumentis eadem crambe reponatur. sed quandoquidem ita iubes, alio loco erit recoquenda, vt penitus, credo, aduratur.

Petri testimonia ne gantis se esse Ecclesiç caput.

Petri sententiam à me postulas, qua neget super se ædificatam Ecclesiam? Clamat Petrus in frequentissima concione populi Hierosolymitani Christum esse principem vitæ: esse lapidem ab ædificantibus quidem pro nihilo habitum, sed qui factus fuerit caput anguli: neq; in alio quòquam esse salutem: nullum inter homines esse nomen per quod oporteat & se omnésque homines ser-

uari. (ait enim, Nos, seipsum in seruandorum hominum numero comprehendens) Idem quod viua voce edixerat, scripto repetit. De se autem quid ait? Se testem esse, se Christi beneficio indigere: se summo pastore cum collegis suis reddicturum rationem ministerij sui. Quum se veritatis, vitæ, salutis quæ in vno Christo sit, testem perhibeat: quum in nullo homine hoc inueniri disertè testetur, cur non à se homine importunum honorem amoliatur? Quod Christo tribuit, omnibúsq; hominibus negat, sibi profectò homini non negat? A tua igitur calumnia non seipsum Petrus vindicauit?

HAYVS.

Quorsum de Antichristo hæc nobis ingeris? quàm præclarè omnia orationis tuæ membra sunt inter se connexa! Saltatoria est hæc tua eloquentia, Minister, quum à Petro ad Antichristum ἀσφοτίτως transeas. pag. 90.

SERRANVS.

Cur hîc fiat Antichristi mẽtio.

In ipsa αὐαζευῆς clausula de Antichristo non poteram tacere, quem ostendi in priore parte disputationis, sedere in templo Dei, emẽtito Christi nomine quasi illius vicariũ. alioqui non esset Antichristus nisi & Christi & Ecclesiæ nomen vsurparet. Ita significo Romanæ Ecclesiæ Pseudocatholicæ imaginarium principatum, id est Papatum. Hóccine non pertinet ad meum institutum? non poteram enim rectè definire Ecclesiam, nisi Papatum, eius nimirum contrarium, remouerem.

Rectè verò cohærent orationis meæ membra. Petri

Orationis œconomia & series.

Petri nomen prætexit Ecclesia Romana ad ementitum illum principatum stabiliendum. Ostendi autem id Petro minimè quadrare, quòd Pontifex Romanus Petri nomine vsurpat: nihil tamen mirum cuiquam videri debere, quòd tanta lues Ecclesiam inuaserit, quum disertè Spiritus Sanctus prædixerit, Antichristum in templo Dei sessurũ, & Christi & ipsius seruorum nominibus ad blasphemiam & tyrannidem prætextis. Hanc rectam aptámque esse verborum meorum ξωάφειαν & ζωαρμολογίαν, eruditi animaduertũt: luxatum verò & apoplecticum Hayi ingenium nõ minus ἀμείνοδον quàm ἀθεόλογον. Cur enim, Hay, hæc de Antichristo ingeris? Hac de re suo loco egimus: hîc verò non est disputationis *Σκευωρία* siue tractatio, sed conclusio atque complexio. Sophisticum profectò est in conclusione nouũ quidpiam ingerere, vel eandem controuersiam iam agitatam in medium adducere tanquam nouum quidpiam & inauditum ὁ δ' ἐν τῷ συμπεράσματι ἐρωτῶν, (inquit Philosophus) ἀδολεσχεῖ. Hoc ergo Hay, vernaculum & verè tuum esto, vt semper loquendo vincere videare. At vincet sempiterna Veritas etiam præfractos Sophistas. Tractationem autem de Antichristo suo loco hactenus explicatam Lector recognoscito, & nugatoris ἄλογον ἀπεραντολογίαν aduersus bene demonstrandi leges manifestè peccantem damnando.

Hayus hîc ineptè loquitur de Antichristo, quum id propriũ sit prioris disputationis.

Hactenus igitur primariæ quæstionis fundamẽtũ subst rauimus. Prima disputationis parte ostẽdimus quid nõ sit Ecclesia. Quod quidẽ primũ omniũ disquiri & explicari debuit, cũ Ecclesię & nomẽ & faciẽ sacrilega Antichristi synagoga emẽtiatur. Euicimus autem Romanã Ecclesiã siue Papatum non esse Ecclesiam Catholicam, sed Antichristi sedem, à qua omnes qui saluti suæ consul-

Vniuersæ disputationis ad hũc vsque locum COMPLEXIO.

tum volunt, abhorrere debent. Secunda verò disputationis parte, demonstrauimus QVID SIT ECCLESIA, vera nimirum illa, vna & Catholica, in qua est salus. Hayi Iesuitę argumenta bona fide expendi & refutaui. Ea quoque omnia quæ ille aduersus me attulit vt Scripturæ & Antiquitatis testimonia à me citata, ad huius de Ecclesia veritatis fidem astruendam, oppugnaret, bona fide & quanta potui accuratione examinaui, & ostendi perperam fuisse mihi oppositа: verè autem & opportunè à me fuisse laudata: quemadmodum ex ipso rerum examine eruditum Lectorem iudicaturum arbitror. His ita constitutis, reliquum est vt, quandoquidem constat quidnam ECCLESIÆ nomine intelligamus, (quod ὁμωνυμίας inuolucro simplicioribus poterat imponere) nunc ad principem primariámque quæstionem accedamus, nimirum, QVÆNAM SIT ECCLESIÆ AVTORITAS: quæ, non rectè explicata Ecclesiæ natura, haudquaquam poterat tutò definiri.

Harũ duarũ disputationis partiũ cũ tertia proximè sequẽti nexus.

***

GRATIANVS

ANTIIESVITA,

id est,

CANONVM, EX SCRIPTIS Veterum Theologorum, à Gratiano in illud volumen (quod Decretum appellatur) collectorũ, & Doctrinæ Iesuiticæ, ex variis istius nuperæ Sectæ Matæologorum scriptis exceptæ, COLLATIO: à quodam studioso veritatis instituta, & nunc primùm in lucem edita.

Distinct. 88. Can. 9. Ex D. Hieronymo ad Nepotian. de vita Clericorum.

Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili glorioſum, quasi quandam pestem fuge.

M. D. LXXXVI.

IESVVITICÆ LARVÆ PICTVRA.

Distinct. xxxvii. *Can.* iii. *ex D. Hieronymo, ad cap. 4. epist. ad Ephes. lib. 2. comment.*

NOnne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in Dialectica arte torquetur? qui physicus perscrutator oculos trans cœlum leuat, & vltra profundum terrarum & abyssi in quoddam inane demergitur? qui iambum ferit? qui tantam metrorum syluam in suo studiosus corde distinguit & congerit? & (vt ad alteram partem transeam) qui diuitias per fas & nefas quærit? qui adulatur regibus, hæreditates captat alienas, & opes congregat, quas in momento, cui sit relicturus, ignorat?

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI SALVTEM,

QVVM ex librorum, à Iesuiticæ sectæ magistris in lucem editorum, lectione animaduerterem, nouos istos homines de totius antiquitatis in tuenda Pontificia tyrannide orthodoxo consensu impudenter gloriari, ex Gratiani rhapsodi Decreto (tantisper dum veterum Patrũ loci communes Theologici conficiũtur) Canones quosdam melioris notæ & probatæ fidei seligere visum mihi est, quos Iesuitarum paradoxis opponerem. Omnia autem, tum ex Gratiano tum ex Iesuiticis scriptis ad verbum à nobis collecta sunt: Canones & libri indicati: ne tibi fucum fieri existimes aut patiaris. Crimẽ falsi, cuius Iesuitæ & alij aulæ Romanæ Gnathones polluti sunt, sedulò vitauimus. Hoc vnum

à te cupio & peto, Lector. Ex seria dictorum (quæ tibi offerũtur) collatione, veritatis amorem ac studium magis ac magis amplectere, sicut par est, & Christianum decet. De Gratiano quid sentiant Docti Theologi non ignoras. Ego verò, stipulis omissis, quod scripto Dei verbo consentaneum comperi, institutóque huic conueniens, tibi lubens dedico. Iesuitas pleroſque, admodum refractarios & αὐτοκατάκριτους summo Iudici relinquentes, alijs veram Iesu Christi notitiam tibique in ea perseuerentiam à Deo precamur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

DE VERBO DEI SCRIPTO in Libris Veteris & noui Testamenti.

I. Sectio.

GRATIANVS.

SI IVXTA Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, & Dei sapientia: & qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem eiúsque sapientiam, Scripturarum ignorantia Christi est ignorantia. *Distin. 39. Can. 8. Ex Hieronymo ad Eustoch. in proœmio comment. in Isai.* Scripturæ S. necessitas.

IESVVITÆ.

E verbo Dei hæreſes omnes, duce Satana hauriũtur. Item, *vetus & fallax ars ac fraus est, ad Scripturas prouocare.* Canis. in præmonitione de nouis corruptelis & Sectis, quę est prefatio commentariorũ de verbi Dei corruptelis. colum. 3. & 4.

Gratian. ex Hieronymo Scripturarũ meditationem, eam rem summè necessariam, omnibus commendat. Canis. illas tanquam hæreseon fontes & pernicioſas traducit.

II.

GRATIANVS. Scripturę S. Autoritas.

EGO Solis eis scripturarum libris, qui iam Cano-

nici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem in scribendo aliquid errasse firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrináque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quòd à verò non abhorreat, persuadere poterunt. *Item.* Quis nesciat Sanctam Scripturam Canonicam tam veteris quàm Noui Testamenti certis suis terminis contineri, eámque omnibus posterioribus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritiores, & per aliorum episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorúmque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum est? *Distinct. 9. Can. 5. & 8. ex August. epist. 19. ad Hieronym. & de Baptismo adu. Donatistas, lib. 2. cap. 3.*

Iesvvitæ.

CHRISTVS nec Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendêre, nec membranis mysteria sua committere voluit (quod Moyses olim magna ex parte fecerat carnali populo) sed cùm spiritualem cõstituere Ecclesiam, suo Spiritu S. informatam, visus est sublimiori charactere scribens digito Dei in corde Ecclesiæ. Est autem Scriptura hæc Ecclesiæ Catholicæ

tholicæ consensus, & concors Christianorum omnium, qui sunt per orbem terrarum, doctrina: non horum modò, sed & eorum qui per continuas successiones ab Apostolis vsque ad nos fidem propagauerunt, quæ Scriptura (vt ait Apostolus. 2. Corin. 3.) legitur ab omnibus hominibus. Estque illa vnctio quæ docet nos de omnibus: quam qui percepit non necesse habet ab alio doceri, sicut Ioannes loquitur, cũ sit Θεοδίδακτος. Huius Scripturæ præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt: primò quod illa sit exarata digito Dei, hæ calamis Apostolorũ. 2. quod illa sit antiquior, nempe cum Ecclesia data, hæ posteriores quia constat totis duodecim annis sine scriptis Apostolicis Ecclesiam fuisse. 3. quod hæ prioris illius indiguerint cõfirmatione, quia Euangelio non crederem (ait D. Augustinus) nisi me Ecclesiæ autoritas commoueret. 4. quod istæ sunt litera mortua, scripta atramento in membrana vel charta: quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel pranis expositionibus corrumpere, nihil sentiat. Illa verò cùm scripta sit Spiritu Dei viui in cordibus viuis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia similis perseuerat. 5. Istæ non omnia continent religionis mysteria explicitè, vt pote non ob id datæ, vt formulam exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis Sacramentorum, aliorúmque in Rep. Christiana necessariorum: sed occasione quadam vel ad Iudæos & hæreticos confutãdos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, à quibus dã scriptæ, & nõnullis Ecclesiis missæ. Illa autem quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, om-

hem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omneinque rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia, quæ de fidei negotijs exoriri possunt, dissoluit. Spiritus S. (inquit Christus, Ioann. 14) docebit vos omnem veritatem. Ab hac Scriptura (in cordibus) hoc habet Ecclesia, vt ab Apostolo, 1. Tim. 3. columna & firmamentum veritatis vocetur. Et de ea à Christo, Matth. 18. dicitur, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Ex quo sequitur, hanc Scripturam (in cordibus) esse omnium scripturarum interpretem, omnium opinionum iudicem, omnium errorum expultricem, à cuius iudicio ad alium iudicem non liceat cuiquam prouocare, immo cuius iudicium iudices omnes inspicere & sequi teneantur. Costerus, Doctor Iesuita, in Enchiridio controuersiarum, à Iesuitis Colonien- sib. Moguntinens. & Treuerensib. approbato: pag. 43. 44. 45.

Quam tribuit ex D. Augustino Gratianus auctoritatem verbo Dei scripto, eam è medio tollit Costerus, vt ad verbum Scriptum in cordibus, id est ad Tridentini conciliabuli decreta nos deducat, & sic Pontificibus Romanis exquolibet quidlibet confingere liceat. Sed, bone Deus, quis erit modus aut finis traditionum humanarum & superstitionum, si Scripturam istam inuisibilem, sine exceptione, ceu vitæ normam Christianos amplecti oporteat? Si in omnium Christianorum cordibus, vnde tam crassa in papatu de reb. fidei ignorantia? Si in quorundam, Iesuitarum puta & eiusmodi hominum cordibus, vnde tot plaustra mendaciorum quæ nobis obtrudunt, testimonijs è verbo scripto de promptis fucata? Cur non miseros Papæ cultores iubent, verbo scripto prorsus repudiato, ad dictata seu somnia horum magistrorū animos conuertere. Dicant apertè, Annon scripta Canonica veteris & noui Testamenti sint Canon & regula fidei? Negant cum Costero. Sed nos cum Augustino maneamus Anti-Iesuitæ.

III.

GRATIANVS.

Scripturæ S. perspicuitas & auctoritas omnium Patrum & Doctorum consensui præferenda.

NOLI, frater, contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, sicut Hilarij, siue (antequam pars Donati separaretur) ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini: primò, quia hoc genus literarum ab auctoritate Canonis distinguendum est: non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium præferatur, vt contra sentire nō liceat, ſicubi forte aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis reuelabit. *Item.* Neque quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorū scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Qualis ego sum in scriptis aliorū, tales volo esse intellectores meorum. *Distinct. 9. Can. 9. & 10. ex D. Augustin. epist. 48. adu: Doatist. 3. ad Fortunatianum.*

IESVITAE.

Non est quod solliciti simus, vt vulgus hominum rude & indoctum difficiles Scripturas meditetur. Colocenses, in censura Monhemij, pag. 17.

Quando in relegione quæstio mouetur de Christi

diuinitate, de Sanctorum inuocatione, de cultu imaginũ, similibúsque rebus, de quibus scriptura diuina, in membranis relicta, quædam ad aliorum mentem dicere videtur, veluti, Pater maior me est, De die autem illa neque Filius nouit nisi solus Pater, Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, &c. inspicienda atque peruolutenda sunt viua in corde Ecclesiæ diuinitus impressa atque inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis commentariis ac certissimis explanationibus acquiescere debemus: nimirum quid de his quæstionibus Ecclesia per orbem sparsa, & nunc, & hactenus ad Apostolorum vsque tempora longa serie deducta crediderit atque seruauerit, & quo sensu scripturas in contrariam partem allatas intellexerit. Cost. in enchir. controuersiarum. pag. 45. 46.

Augustinus verbum Dei perspicuè scriptum in libris Canonicis veteris & noui Testamẽti vult esse Canonem Ecclesiæ. repugnant Colonienses & Costerus.

IIII.

GRATIANVS

Scripturis Canonicis, non aliis, inferiendum.

NOLI meis literis quasi Canonicis inseruire. Sed in illis & quod non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede: in istis autem quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmũ tenere. Item. Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint nullo iudicio & nulla temeritate damnari. *Distinct. 9. Can. 3. & 4. ex August. in prolog. lib. 3. de Trinit. & lib. 4. de anima & eius origine. ca. 1.*

IESVITAE.

IESVITAE.

Per quos tandem nos docet Spiritus in Ecclesia veritatem? Per eos planè quos Apostolus testatur à Spiritu sancto, vt Ecclesiam regant, esse constitutos: quales vocat Episcopos, Præpositos, Pastores itidem atque Doctores. Et hi post Apostolos fuere semper, ac etiamnum sunt primarij Dei Ecclesiæq; ministri, & summi dispensatores mysteriorum Dei. paulò post. Quapropter magno se illi crimine contaminant, qui magistratibus Ecclesiasticis authoritatem & obedientiam adeò non deferunt, vt etiam conuellere & oppugnare palam audeant sacras summorũ Pontificum Sanctiones, penes quos de Sacris definiendi suprema semper potestas fuit. Can. 5. in Catechismo Iesuitico, pag. 142.

Aliter Augustinus, aliter Iesuiticus Catechismus de autoritate pastorum Ecclesiæ loquitur. Deinde petit Canis ille principium. Negamus enim Pontifices Romanos esse magistratus Ecclesiasticos. Deinde, etiam si verè Pastorum in Dei Ecclesia munere defungerentur, de sacris definiendi (nisi ex verbo scripto, quod versutus Canis omisit) haberent potestatem. Postremò, nullos agnoscimus Summos in Ecclesia Pontifices, quibus quicquid libet liceat, etiam contra verbum Dei scriptum: sed vnicum adoramus summum Pontificem Christum Iesum, cuius vocẽ, in libris Propheticis & Apostolicis sonantem, audimus & magis ac magis obseruare percupimus.

V.

GRATIANVS.

Scriptura S. seipsam interpretatur.

LEX Dei cùm legitur, non secundum propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur &

doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit, sed non oportet. Non enim sensum extrinsecus alienum & extraneũ debetis quærere aut quoquo modo ipsum Scripturarum authoritate confirmare; sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secũdum veritatem sibi traditam seruauit, vt ipse possit ea quæ rectè susceperit competenter asserere. Cùm enim ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus studiis, quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat; ita tamen vt vbi vera didicerit, falsa & simulata declinet. *Distinct. 37. Can. 14. Relatum est.*

IESVVITAE.

Sacra Scriptura hanc potestatem non habet, vt ab ipsa, si quando controuersum dogma occurrit, definitionem & sententiam petamus. Non fuit semper in Ecclesia Catholica Scriptura, & tamen fuit semper de fidei controuersiis quid sentiendum sit facultas statuendi. Deinde, quid si de ipsa Scriptura controuersia oriatur, quemadmodum prioribus temporibus nunc de Scriptura tota, nunc de partibus eius graues & multæ quæstiones fuerunt? An forte ipsa sibi Scriptura testimonium præbebit? In disput. de potestate Ecclesiastica, Mogontiæ habita, præside P. Thyræo, doctore Iesuita, cap. 15 tertię partis.

Dubium esse non potest, quin Christus & Apostoli multa tum egerint, tum docuerint, quæ etsi scripta quidem non sint, ad nos tamen posteróque maximè pertineant. Canis. in catechismo Iesuit. pag. 162.

Scriptura, inquit Gratianus, est suiipsius interpres, & sensum veritatis ex se suppeditat, Thyræus tergiuersatur, quamuis eodem capite, sequente thesi, vt veritatis addactus, fateatur Scripturam ex se iudicium petendum clamare, sed non esse iudicem. Tamen non audet suo Pontifici iudicium deferre, sed illis qui in Apostolorum locum suffecti sunt. Qui sint illi non declarat, vt Sophistam decuit. Canis. ludit in voce *multa*: Si enim intelligit multa dogmata ad salutem necessaria in verbo Dei scripto non contineri, fallit & fallitur. De hoc autem quæritur, Iesuitæ. Si verò ex Scripturis integram & firmam veritatis regulam quis suscipere potest, quæ sunt ista multa quæ ad nos maximè pertinent?

GRATIANVS.

Vt veterum librorum fides de Hebręis voluminibus examinanda est, ita nouorum Græci sermonis normam desiderat. *Distinct. 9. can. 6.*

Scripturæ sensus vnde eruendus.

IESVITÆ.

Expedit vnam esse latinam versionem, quam omnes recipiant, & ab Ecclesia approbatam sequantur. Ledesima, lib. de diuinis Scripturis quauis passim lingua non legendis. pag. 147.

De vulgata editione Ledesima loquitur, tametsi ea infinitis mendis, ex ignorantia Hebreæ Græcæ, & Latinæ linguæ, scateat. Reuocamus autem Iesuitas ad fontes: Ecclesiámque illam suã, id est nouam Romanam seu Papisticam, quæ Prophetarum & Apostolorum idioma negligit, negligimus.

VII.

GRATIANVS.

Ecclesiasticæ Leges, Consuetudines & traditiones ad normam verbi Scripti examinandę: cui si repugnant, abiiciendæ sunt. Si conueniunt, veritas scripta summum obtineat gradum: consuetudines & leges Ecclesiasticę ad eius amussim perpetuò reuocẽtur

Cùm Deus aliquid contra morem aut pactũ quorumlibet iubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est, etsi omissum instaurandum est, etsi institutum non erat instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate, in qua regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, immo contra Societatem obtemperatur (generale quippe pactum est societatis humanæ obedire regibus suis) quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *Distinct. 8. Can. 2. ex 3. lib. Confes. D. August. c. 8.*

Mala consuetudo, quæ non minus quàm pernicioſa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis assumitur: & incipiunt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressę pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari. *Ead. dist. Can. 3. ex epistola Papæ Nicolai ad Hincmarum.*

Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Planè respondeo, quis dubitet *veritati* manifestatæ debere consuetudinem cedere? Item. Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Ead. Distinct. Can. 4. ex August. lib. 3. de bapt. cont. Donatist. cap. 6.*

Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum

dum est quod Dominus dicit, Ego sum veritas & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe (vt beati Cypriani vtamur sententia) quælibet consuetudo, quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda & vsus, qui veritati est contrarius, abolendus. *Ead. Dist. Can. 5.*

Qui contempta veritate præsumit cõsuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione Ecclesia eius instruitur. *Et infra.* In Euãgelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. *Et infra.* Reuelatione facta veritatis, concedat cõsuetudo veritati: quia & Petrus, qui prius circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. *Et infra.* Cum Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Eadem Dist. Can. 6. ex August. lib. 3. de bapt. cont. Donatist. ca. 5.*

Frustra quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut nõ id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto reuelatum. Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini proponenda est. Sed cùm cõsuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri. *Ead. dist. Can. 7.*

Consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet, quominus veritas præualeat & vincat. Nam consuetudo siue, veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem. *Item.* Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus, qui primò, inquit, fui blasphemus & persecutor, & iniuriosus: sed miseri-

cordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat, perseuerat, prudens & sciens siue venia ignorantiæ peccat: præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur. *Ead. Dist. Can. 8. ex Cypriani epist. ad Pompeium & Iubaianum.*

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid, qui ante omnes est Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: cũ per Esaiam Prophetam Deus loquatur & dicat, sine causa antè colunt me, mãdata & doctrinas hominum docentes. *Eadem dist. 8. Can. 9. ex Cypriani epist. ad Cæcilium.*

Vsus authoritati cedat: prauum vsum & lex & ratio vincat *Distinct. 11. Can. 1.*

Consuetudinis vsúsque longæui non vilis authoritas est: verum non vsque adeo sui valitura momento vt aut rationem vincat, aut legem. Cùm verò nec sacris Canonibus, nec humanis legibus consuetudo obuiare monstratur, inconcussa seruanda est. *Eadem distinct. Can. 4.*

Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur. *Distinct. 11. Can. 6.*

In his rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei & instituta maiorũ pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarũ consuetudinũ coercendi sunt. *Ead. Dist. Can. 7. ex August. epist. ad Casulanum.*

Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa, tribus modis probatur existere. Quidquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio

ditio vniuersalis, aut certè propria & particularis institutio. Sed auctoritate tota constringitur: vniuersali traditione maiorum nihilominus tota: priuatis verò constitutionibus & proprijs informationibus vnaquęque pro locorum varietate, prout cuique visum est, subsistit & regitur. *Ead. Distinct. Can. 8.*

Nouit fraternitas tua Romanę Ecclesię consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia aliquid inueneris, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas: & in Anglorum Ecclesia quę adhuc in fide noua est institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere poteris infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loco amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesijs, quę pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige: & hęc quasi in fasciculũ collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. *Distinct. 12. Can. 10.*

Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruãtur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolicis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus Sancti, anniuersaria solennitate celebrãtur: & si quid aliud tale occurrerit, quod seruetur ab vniuersa, quacunque se diffundit Ecclesia. Alia verò, quæ per loca terrarum regiones que varantur, sicuti est quod alij ieiunant Sabbato, alij verò non: alij quotidie communicant corpori & Sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non auferatur: alibi Sab-

bato tantùm,& Dominico, alibi tantùm Dominico:& si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentíque Christiano, quàm vt eo modo agat quo agere viderit Ecclesiã,ad quamcumque forte deueuerit. Quod enim neque contra fidem,neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum,& pro eorum, inter quos viuitur, societate, seruãdum est. Mater mea Mediolanum me consecuta inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem. Cœperat fluctuare quid ageret:tunc ego consuli de hac re beatissimæ memorię virum Ambrosium: At ille ait: cùm Romam venio, ieiuno sabbato,cùm Mediolani sum nõ ieiuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serua: Si cuiquam nõ vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renunciassem, libenter amplexa est. *Ead. Distinct. Can.* 11. *ex August. ad Ianuarium, epist.* 118. *cap.* 1.

Omnia talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in concilijs episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino vnquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quàm paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramẽtis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudęorum, qui etiam si tempus libertatis non agnouerint,

rint, legalibus tamen Sacramentis non humanis præsumptionibus subijciuntur. *Ead. dist. Can.* 12. *ex epist.* 119. *ad Ianuarium, cap.* 19. vbi post verbum subijciuntur D. August. addit, Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multáque zizania constituta multa tolerat:& tamen quę sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Ad hunc Canonem si appendas traditiones & constitutiones Papisticas, necesse est vt Antichristi tyrannis tota corruat. Sed audiamus quid tot Canonibus in hac VII. Sectione ex Gratiano collectis anarchiæ Romanæ defensores opponant.

Iesvvitæ.

Ecclesia visibilis columna & firmamẽtum veritatis dicitur & est propter fidem quã corde & ore visibili profitetur & prædicat: quæ fides ita firmat Ecclesiam credentium, vt portæ inferi, sicut Domini dixit, nunquam aduersus eam præualuerint, neque futurum sit vt preualeant nulla Schismata nec hæreses, nullæ vnquam tempestates, &c. fidem Ecclesiæ Catholicæ visibilis extinguere aut interrumpere vllo tempore potuerunt, neque fucere quin sit vna magna Ecclesia per omnes mundi regiones & oras diffusa, in qua sit vna fides ex vna origine veritatis & fidei, eius scilicet pro quo secundum Euangelium rogauit Christus Patrem, ne deficeret fides eius, cuius orationis & promissionis hæredes sunt Petri successores. F. Turrianus, lib. 1. def. adu. Ant. Saduel. pag. 14. 15.

Ecclesiæ primum priuilegium est, in ea sola veram esse notitiam Dei, diuinarúmque rerum nullo permistam errore intelligentiam, eámque ita con-

stantem, Christi Spiritu directore, in vera religione persistere, vt error in fide apud illam locum habere nequeat. Est enim Ecclesia firmamentum & columna veritatis, qua veritatem fidei sustentet, eique testimonium & authoritatem præbeat. In hac sola igitur est Syncera verbi Dei prædicatio, integra Scripturarum explicatio, Diuinâque voluntatis interpretatio. Secundum ex primo sequitur, In sola Ecclesia esse verum Dei cultum, sinceram Sacramentorum administrationem, sanctas Deóque acceptas ceremonias. Coster. in enchirid. controuers. pag. 69. 70.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ? Præcipua quinque numerantur, cuique Christiano & scitu & obseruatu certè necessaria. 1. statutos Ecclesiæ festos dies celebrato. 2. Sacrum missæ officium diebus festis reuerēter audito. 3. Ieiunia certis diebus temporibúsque indicta obseruato. 4. Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitetor. 5. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festū Paschæ sumito. Canis. in Catechismo Iesuuitico, pag. 154.

Vbi necessaria est nobis Ecclesiæ authoritas? Primùm in eo quidem, vt Scripturas Canonicas & veras ab adulterinis certò discernamus. 2. Vt constet de vero Scripturæ sensu & apta interpretatione: ne alioquin sine fine dubitemus ac disceptemus de verborum sententia. 3. Vt in grauioribus de fide quæstionibus atque controuersiis quæ possunt incidere, Ecclesia index adsit, atque legitima illius authoritas interponatur. Eodem Catech. pag. 156. 157.

Vnde

Vnde petenda sunt ista, quæcunque vera, quæcunque iusta, quæcunque pudica & quæ sequuntur, quæ Apostolus dicit didicisse, accepisse, audisse ac vidisse Philippenses, cap. 4? Non enim ista omnia in Euangelio aut epistolis scripta esse dicturi sunt aduersarij. Turrian. lib. 1. pro Canonib. Apost. pag. 99.

Ecclesia non solum quæ scripta sunt tradit, sed ea etiam quæ tametsi scripta non sunt, tamen cum scriptis consentiunt Eodem opere, lib. 2. pag. 167.

Consuetudinis Ecclesiasticæ tanta est auctoritas, vt vel propter eam solam omni contentioni credendum esse Apostolus doceat & præcipiat, nisi quis ita tardus sit vt quod dixit Apostolus, Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei, de eo tantum dixisse putet, quod ipsa etiam natura docente & ad stipulante præcipiebat, ne mulier in Ecclesia non velato capite oraret: quasi nulla eiusmodi alia contentio vnquam in Ecclesia futura esset, quod si futura erat, cur non valeat & valere voluerit Apostolus, quod hic voluit, si de similibus, vt natura & ratio postulat, similiter iudicandum sit. Eod. opere, lib. 2. pag. 189.

Penes Ecclesiam est quædam etiam in Sacris literis expressa (vt de præcepto Apostolorum, Act. 15. & de seruando Sabbato S. literis mandato) commutandi authoritas: nonnulla etiam pro ratione temporis loci & personæ instituendi par facultas. Penes eam solam est Sacras Scripturas interpretandi & docendi inuiolabilis potestas, vt sine am-

biguitate doceat, quid in ijs apertè quid in mysterio contineatur, vel quid ex ijs elicitum (qualis est inter cætera Sanctorum inuocatio) omnino credi debeat. Ac proinde nec minor illis, quàm expressa Dei verbo, vindicanda est authoritas. Iesuuitæ Colon. in censura dialog. Monhemij. pag. 231.

Omnis antiquitas recepit, probauit & docuit Christianam doctrinam, quæ cuique ad salutem profitenda est, partim scripto, partim verbo seu viua voce à primis fidei magistris Apostolis traditam, ac in Ecclesia porro semper conseruatã, hodiéque nobis necessariò retinendam esse, vt multi veterum Patres docuerunt, & plerique etiam Nouatores confitentur. Canis. lib. 2. cap. 17. de Maria deipara virgine, pag. 177.

Etsi magnæ temeritatis sit aliquem cultum, vel aliquod dogma contra expressum Dei verbum in Ecclesiam inducere, non est tamen temerarium absque expresso Dei verbo id facere. In confessio enim est Catholicam Ecclesiam non solum multa facere, publicéque obseruare, de quibus scripturæ expressè nihil cauent, sed nonnulla quoque credere, quæ in Scripturis expressis verbis tradita non extant. Quàm multæ, bone Deus, occultæ veritatis Ecclesiæ nundum sunt patefactæ, nec vnquam fortassis patefient, quæ tamen eandem credulitatem eandémque fidem à nobis exigerent, si patefierent, atque illæ quæ iam per claras Scripturas Christiano orbi patefactæ sunt? Insanire est ergo cum ratione asserere id tantùm admittendum esse, quod Scripturæ probant, vt quæ neque seipsas quoque per seipsas probare queant, sed vt publicam fidem obtineant Ecclesiæ authoritate & patrocinio indigent. Th. Peltanus lib. de purgatorio. cap. 11. pap. 411.

Vetat Christus, Matth. 15. de traditionibus loquens, ne in ordinationibus humanis, contemptis Dei legibus, præcipuũ cultum ponamus. Quominus autem ad cultum diuinum, cultum etiam qui diuinæ legi non repugnet, sed rationi, adeóque voluntati Dei, qui in Scripturis sanctis rationabile obsequium & iudicium in cultu probat, addamus, hoc ille minimè vetat. Quinimò, tanquam sapiens pater familias peregrè profectus in cælum, relinquénsque seruis suis, vt ait Marcus, cuiusque operis potestatem, Apostolis, ac imprimis Petro eiúsque successoribus facultatem fecit, vt salua semper ordinatione diuina, ea quæ pro ratione temporum, ad ædificationem Ecclesiæ expediunt, tum in aliis rebus, tum etiam in cultu constituerent, nobisque non in hoc aut illo genere, sed simpliciter per Apostolum suum (Hebr. 13.) mandauit, vt præpositis nostris, in omnibus videlicet quæcunque pro munere suo iustè dicerent atque statuerent, obtemperaremus. Qua potestate tum cæteri Apostoli, tum Paulus vsus est, & Titum etiam vicarium suum vti voluit quem (vt ipse testatur) eius rei gratia reliquit Cretæ, vt ea quæ deessent corrigeret. Et vt ministerium episcopale Petri ac reliquorum Apostolorum, non in Petro & Apostolis expirauit, sed ad successores, quamdiu Ecclesia durat, pertransit: ita non illis tantùm sed successoribus etiam ea potestas tribuitur, cum

omni tempore sit Ecclesiæ necessaria. Greg. de Valentia in Apolog. de Missæ sacrif. pag. 323. 324.

Ex Gratiani Canonibus hac VII. *Sectione comprehensis colligere non difficile est.*

1. *Malas consuetudines in Ecclesiam Dei irrepere posse.*

2. *Veritatem firmissimam & absolutissimam in verbo Dei Scripto contineri: eámque separandam esse ab istis consuetudinibus, quas semper & omnibus locis excludit, & discernandã ab illis traditionibus quæ ad ecclesiasticam* εὐτοξίαν *pertinent.*

3. *Vsum huic veritati contrarium esse abolẽdum. Consuetudinem sine hac veritate, vetustum errorem, & Christum in Euangelio loquentem per omnia sequendum esse.*

4. *Consuetudines, Traditiones, constitutiones Ecclesiasticas nullo modo huic veritati prescribere posse: cùm Dominus sic veritatem non consuetudinem appellet.*

5. *Veritatem rectis etiam consuetudinibus & traditionibus esse præponendam.*

6. *Consuetudinarios, Traditionarios [veritatis desertores] esse inuidos & malignos erga Ecclesiam, & circa Deum ingratos. Traditionarios nouos esse deploratos homines.*

7. *In ceremonijs & Constitutionibus Ecclesiasticis instituendis & recipiendis modum & decorum esse obseruandum.*

8. *Ecclesiarum particularium institutis nos esse alligatos.*

9. *Romanam Ecclesiam, veterem illam, à noua*

noua infinitis spatiis separatum, in alias Ecclesias, etiam quod ad ceremonias & constitutiones positiuas attinet ius non habere: per consequens non esse caput aliarum, sed dum pura mansit, fuisse membrum purum Ecclesiæ Catholicæ.

10. *Ceremonias & traditiones nimias esse tollendas: multò magis constitutiones superstitiosas & idololatricas.*

11. *Ecclesiam Catholicam verbo scripto esse alligatam. Traditionem vniuersalem (quæ explicatur distinct. 12. Can. 11.) ab Ecclesia retineri: priuatas cõstitutiones vnicuique Ecclesiæ particulari pro ratione locorum, temporum, &c. recipiẽdas aut omittendas relinquere.*

12. *Traditiones, consuetudines, constitutiones & ceremonias istas omnes, quæ Ecclesijs commendãtur non eandem cum verbo scripto habere auctoritatem, nec esse dogmata fidei, sed Ecclesiasticæ disciplinæ ornamenta: Diligenter enim & perpetuò auctoritatẽ solis Scripturis Canonicis tribuit Gratianus, quo nomine fidei normam Catholicæ traditam Ecclesiæ à Iesu Christo per verbum Propheticum & Apostolicum in libris Canonicis Testamenti veteris & noui comprehensum intelligit.*

Contra verò,

1. *Iesuitæ ludunt in voce Ecclesiæ, Orbem in urbe includunt, Ecclesiam vniuersalem, particularem constituunt, Veterem Romanam cum noua seu Papistica impudenter confundunt.*

2. *Quam tribuunt Ecclesiæ pontificiæ. Spiritus S. præsentiam eò spectat, vt malas consuetudi-*

nes in eam ingressas esse negent, Christo, Sanctis Angelis, & infinitis pijs hominibus reclamantibus.

3. Omnia dogmata ad salutem necessaria in Scripto Dei verbo contineri nondum ingenuè fassi sunt aut perspicuè negarunt: sed vt impostores & subdolos hæreticos decet de præceptis Ecclesiæ, de successione Apostolica, de traditionibus non scriptis (quarum Catalogum integrum ab illis expectamus) adhuc vsque vociferantur. Præterea quæ firmiter semper, ab omnibus sunt credenda ad salutem cum præceptis Ecclesiæ, vt vocant, confundunt. Quod autem Canis. lib. 2. cap. 17. pag. 177. allegat non explicamus aut refutamus: nulla enim exempla profert de dogmate quopiam ad salutem necessario, quod viua voce non scripta in libris Canonicis sit nobis traditum. Quod enim adfert de baptismo paruulorum, de Symbolo Apostolico, de Canone librorum bibliorum & de Confessione veterum Synodorum, puerile est, omnia enim ista Christiani recipiunt, ceu firmum in verbo scripto fundamentum habentia.

4. Vsum ceremoniarum ad veritatis diuinæ examen, quæ omnia in Ecclesijs ordine & decenter fieri iubet, reuocari minime patiuntur. Consuetudines partim superstitiosas, partim impias vetustatem erroris esse fatentur quidem sed quum ad hypothesin ventumest, & de horrenda illa superstitionum Papisticarum mole quæstio agitur, ne harum vnam & quidem crassissimam sepultam volunt: immò manifestas εὐκοσμονομίας Ecclesiæ præcepta

cepta appellant.

5. Quid aliud est Papatus, quàm Chaos ceremoniarum ridicularum & impiarum? quibus verbi scripti auctoritatem & efficaciam noui isti tenebriones extinguere conantur?

6. Christus est illis veritas cum consuetudine: nam si ad verbum Scriptum eos alligare contendis, tunc Sacram Scripturam librum hereticorum, nos Ecclesiæ, patrum & totius orthodoxæ antiquitatis hostes esse declamitant.

7. Traditionum inutilium aduersarios, ceu pestem in mundo, & abominationem coram Deo execrantur.

9. De modo & decoro in ceremonijs & constitutionibus Ecclesiasticis conseruando luculenter Augustinus Canone à nobis in medium producto. Iesuitæ contra Pontificibus Romanis omnia licere in Ecclesia contendunt: multáque posse ad salutem reuelari, quæ adhuc latent, vt nos ab ore & nutu idoli sui pendeamus.

10. Ceremonias & traditiones positiuas à necessarijs nondum distinxerunt. Quæ olim in particularibus Ecclesijs viguerunt, aut à Romana veteri probatæ sunt, Catholicæ obtrudunt Ecclesiæ, membris Christi laqueum injicientes.

11. Romanam veterẽ. Ecclesiam caput aliarum constituunt in omnibus quæ ad religionem pertinent. Sed Can. 10. Dist. 2. repugnat, alioqui non constaret permissio illa de qua agitur & euidenter Gallicanæ & aliæ Ecclesiæ veteri Romanæ equiparantur, quæ si fuisset caput, ab ea tanquam

à fonte, rectæ disciplinæ forma erat hauriēda. Nec exigui ponderis est ratio quæ subiungitur, Non pro locis res, sed pro rebus loca esse amanda.

12. *Alia Iesuitarum sophismata non excutimus: præstat enim lectori Christiano diligentem Gratianorum & Iesuiticorum Canonum collationem absoluandam relinquere ne libellus noster in immensum crescat.*

CAPVT. II.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS, Patribus & Conciliis.

Sectio I.

GRATIANVS.

SANCTA Romana Ecclesia post illas veteris & noui Testamenti Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet: Sanctam Synodum Nicenam CCCXVIII. &c. Paulò post. Iam nunc subiiciendum est de opusculis Sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur. Opuscula Beati Cypriani martyris & Carthaginensis Episcopi. Item opuscula beati Athanasij, &c. *Et infra.* Gesta Sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum trium

trium his irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa toleraſſe? Sed ideo secundum authoritatem antiquam vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia eorum quæ scripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut dictis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cuiusdam Quirici & Iulitæ matris eius, sicut Georgij, aliorúmque passiones huiusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscriptæ, &c. *Et infra* Scripta de inuentione Sanctæ Crucis Dominicę, & alia scripta de inuentione capitis beati Ioannis Baptistæ, nouellę quidem reuelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legũt: sed cùm hæc ad Catholicorum manus peruenerint, beati Pauli Apostoli sententia præcedat, Omnia probate, quod bonum est tenete. *Et infra.* Cæterùm quæ ab hæreticis conscripta vel prædicta sunt, nulla tenus recipit Catholica & Apostolica & ecclesia Romana. Quibus & pauca quæ ad memoriam venerunt, & Catholicis vitanda sunt, decreuimus esse subdenda. In primis Ariminensem synodum à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc & in æternum confitemur esse damnatam. Item itinerarium, nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementæ, lib. 8. apocryphi, &c. Liber Canonum Apostolorum Apocryphus, &c. Epistola Iesus ad Abigarum Apocrypha, &c. *Distinct.* 15. *Can.* 3. *ex Concilio Gelasij habito Romæ cum* 70. *episcopis, circa annum Domini.* 496.

Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec sancti

Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab auctoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota atque inter Apocripha deputata. *Dist.16.Ca.1.* Sexaginta sentẽtias Apostoli præscripserunt cum quamplurimis episcopis, quas seruandas esse censuerunt. *Can.2.* Clementis librum, id est Petri Apostoli Itinerarium & Apostolorum Canones numerant patres inter Apocrypha, exceptis capitulis quæ decreuerunt orthodoxæ fidei [tractatoribus adiungẽda. *Can.3.*

Ex superioribus Canonibus sequitur.

1. Scripturas veteris & noui Testamenti esse regulam quam Ecclesiæ Dei suscipiunt. Ea autem est regula fidei & norma vitæ Christianæ.

2. Alia scripta, aut decreta veterum ab ea regula ita distingui, vt ad illam examinari debeant. Cur enim Concilia & scripta quædam approbat *Canon.3. Distinct.13.* Alia verò aut damnat, aut inter Apocrypha reiicit, si regula (ad iudicandum) destituitur?

3. Ecclesiam ex se iudicium non ferre, sed ex verbo scripto, ceu certissima regula iudicium illud depromere.

4. Multos impostores variis temporibus inse pta & impia commenta, Catholicæ doctrinæ u co oblita Ecclesiis Dei obtulisse, quæ à superstitiosis hominibus arrepta, conseruata & posteritati tradita sunt.

5. De quibusdam veterum scriptis, nomine Apostolorum insignitis, Ecclesias inter se dissensisse, & liberiùs iudicasse.

Ista verò omnia variis artibus à Iesuuitis impugnantur, vt sequentia eorum pronuntiata testantur.

Quando quæritur vtrum omnia, quæ ad fidem pertinent sint scriptis (i. in verbo Dei scripto) expressa: dicendum est, Omnia fidei mysteria ceteráque creditu & scitu necessaria in corde Ecclesiæ esse clarissimè exarata: in membranis tam noui, quam veteris Testamenti multa desiderari Cost. in enchirid. controuers. pag. 47.

Si multa creditu & scitu necessaria in verbo Dei Scripto (quod per contemptum & non sine blasphemia Costerus multoties appellat) desiderantur, quomodo regulariter à Gelasio & veteri Ecclesia Romana, id est, pro regula fidei & vitæ rectè instituendæ susceptum est? nisi forte velit bonus Iesuuita Pontificum suorum traditiones infinitas, quas tanquam creditu & scitu necessarias, & quas etiam verbo Dei scripto longè antepositas in S. Scripturis, omnino, seu verba seu sensum spectes, desiderari. Nulla fidei mysteria in verbo Dei non desiderantur, Quod enim postea quærit Costerus, eadem pag. 47. Vbi numerus Euangeliorum & Epistolarum Euangelicarum? vbi Euangelium Matthæi & Marci in Scripturis diuinis potiùs quam Nicodemi aut Thomæ commendatur? vbi habetur duodecim articulos fidei ab Apostolis esse rel. & os? illud, inquã, nihil Costero fauet. Ecclesia etiam quæ 4. Euangelistarum & Apostolorum scripta canonica nouo Testamento comprehensa ab Apocryphis libris separauit ex ipsismet Canonicis scriptis iudicium illud deprompsit. Putantne, Iesuuitæ, pios illos Patres, pro suo arbitrio, & ex sensus humani regula, Canonicos libros reuerenter ceu normam fidei suscepisse, Apocryphos abiecisse? vnde mendacia in Apocryphis sparsa deprehenderunt, certè ex ipsorum lectione. Articuli fidei Christianæ omnes ex libris Canonicis cõcinnati sunt, vt à Theologis orthodoxis sæpius ostensum est. Sed de his plus satis: disputationem enim integram non instituo, sed Gratianum anti-Iesuuitam offero.

Pro sacrosanctis habẽda firmissimáque fide complectenda sunt, quæ Spiritus sanctus credenda nobis reuelat, pronũciat, quæ per Ecclesiam, siue scripto illa, siue viuæ vocis traditione notis commendantur. Canis. in Catechism. Iesuuit. pag. 42.

De præceptis Ecclesiæ, idem Catechismus prolixè disserit, pag. 124. 125. 126. &c. regulam fidei in verbo scripto inclusam omittens, traditiones non distinguens, Pontificias cum constitutionibus Ecclesiasticis confundens: quamuis idem fateatur varium esse debere iudicium de traditionibus Pharisaicis & Apostolicis, de Iudaicis & Ecclesiasticis, de priuatis seu particularibus, & iis quæ totius Ecclesiæ consensu receptæ sunt. Illas nobis accurata methodo & apertè cupimus explicari, & fidei normam demonstrari, adhibitis ex Canonica Scriptura probationum fundamentis: quod miramur in hunc vsque diem omissum esse à Iesuuitis qui artem differendi inflatis buccis tórque scriptis editis iactitant, & de plaustro aduersum nos, tanquam nihili homunciones supercè loquuntur.

Esse Traditionum eam vim, vt quæstionibus de S. Scripturæ sententia exortis & lucem & robur suppeditare queant, docet præter eos, quos iam appellabo, antiquissima Ecclesiæ praxis. Dum hæc verba, In principio erat verbum, contra latentissimas, Ariy & Samosateni depranationes, in Cõcilio Niceno enucleanda essent, nónne grauissimus ille patrum Senatus Ecclesiæ traditionem, sta confuluit, vt huius potius quàm scripturæ armis illos refutarit. In alijs Concilijs idem obseruatum est. F. Repedius in disput. de duodecim Sanctis Apostolis, thesi 59.

Si Rapedio fides est adhibenda, regula fidei tenebricosa & debilis lucem & robur à traditionibus mutuabit. Quæ sint autem illæ Traditiones, Costerus apertè docuit, videlicet Consensum perpetuum Ecclesiæ, id est αὐτὸς ἑαυτῷ Iesuuitarum, qui quotiescunque de religione agetur, clamabunt. Sic Ecclesia sensit. Quare? quoniam summo Opt. Max. Pontifici Romano ita visum est. Porrò quod de refutatione Arrianorum Rapedius addit, luce indiget. Ecclesiæ traditio Arrianis obiecta, ex regula verbi Scripti petita est. Deinde firmissimis Scripturæ Canonicæ testimonijs Ecclesiæ sententiam confirmarunt Patres, sicut ex eorum disputationibus & scriptis liquidò constat.

Diuinam Institutionem, non solùm sacris literis expressam esse, sed etiam Traditione maiorum haberi cùm alia multa, tum vel sola Christianæ Ecclesiæ infantia magno argumento probat. Siquidem hæc multis annis de diuina voluntate non dubitabat, literas tamen quibus eandem probaret, nullas proferre poterat. Siue autem Scripto ad nos perueniat, siue Traditione aliorum, eandem & habet & habere debet vim. Neque enim illa ex literis, sed literæ ex institutione suam habẽt authoritatẽ. Neque quia per manus à maioribus traditur, de authoritate eiusdem quicquã decedit. P. Thyræus in disput. de Sacramentali Confessione, thes. 352. & 353.

Ecclesia Christiana antequam Scriptis Euãgelistarum & Apostolorum fruerctur, habebat libros Propheticos. falsum est igitur, quod asserit Iesuuita, Canonica & Apocrypha confundens, regulam fidei & controuersiarum de Religione iudicem incertam imperfectámque reddens, Apostolicorum scripta aut dicta, denique impostorum multorum præstigias cum libris Propheticis & Apostolicis impudentissimè admiscens.

II.

Gratianvs.

De Patribus.

Regvlæ Sanctorum Patrum pro tempore, loco, persona, & negotio, instante necessitate, traditæ sunt. *Distinct. 29. Can. 2.*

Non offeramus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue est, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis Sacris, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauiùs appendamus. *Causa 24. quæst. 1. Can. 21. ex August.*

Confirmat hic Canon, & causæ 25. quæst. 1. Canon 9. infra adscriptus, quæ superiùs dicta sunt de regula & norma fidei insolo verbo Dei scripto comprehensa.

Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia inde nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus vel eius Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Prophetæ & Apostoli destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Sed hoc procul sit ab eis qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt. *Causa 25. quæst. 1. Can. 6. ex Vrbano Papa.*

Contra statuta Patrum credere aliquid vel mutare,

tare; nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuat antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reuerétiam. *Ibid. Can. 7. ex Zosimo Papa.*

Omne quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia. Iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu vel iussu à iudicibus ordinata nõ valeat. Nequaquam, quod contra Euangelicam, vel Prophéticam, vel Apostolicã doctrinam constitutionemve eorum, siue Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit: & quod ab infidelibus vel hæreticis factum fuerit omnino cassabitur. *Ibid. Can. 8. ex Marcello Papa.*

Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. *Ibid. Can. 9. ex Hormisda.*

Satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ legibus religionis ministremus, quibus nos etiam subditos esse Sacræ Scripturæ præcipiunt. *Ibid. Can. 10. ex Pelagio Papa.*

Iesvvitæ.

Voluit Christus fideles suos ad æternam felicitatem, ad quam hoc vitæ spatio piè transacto consequendam creati erant, per vicarios suos in via salutis, ne aberrarent dirigi: quamobrem talem eis potestatem dedit, quæ ad hanc rem vel necessaria vel vtilis fore videretur. Duo verò sunt quibus in cælestem Patriam ducimur: fides recta & Christiani mores. In his igitur Christus, vt Ecclesiæ filij probè instituerentur, vicarijs suis de auxilio prospexit. Error in fide, vt grauissimum est malum, ita facile, multisque modis in eum incurritur: ingeniorum te-

meritate, quæ ad intelligentiæ iudiciíque examen omnia reuocant & expendunt: & prauitate humana, quæ ad cupiditates suas omnia trahit & æstimat. Opus itaque fuit certam constituere normam, & Iudicem veracem, quæ & clarè ediceret omnibus credenda, & quæ corrumpi, mutilari, detorquerive in alienos præpostero ósque sensus ab aliis non posset. Ipsam Scripturam Sacram nō esse hunc iudicem, ex variis, qui in ea mituntur erroribus, cuiuis manifestum esse debet: quā si solam nobis Christus iudicem reliquisset, hoc iudice non satis prouisum & consultum fuisset Ecclesiæ, quod (vt est res sine anima, vel sensu) in varias pugnantésque sententias distracta, nihil quæratur, nullóque externo indicio se in falsum improbúmque sensum detorqueri & vsurpari coarguat. Vnum igitur hunc iudicem esse conuenitbat, qui suæ mentis esset interpres errantésque corrigeret. Et quidem penes Ecclesiam Catholicam est iudicium veritatis, sed quod ea per vastum orbem diffusa, sine grauissimis incommodis vnum in locum coire nequeat, & pro re nata quæstiones difficiles non rarò exoriantur, necessum erat maiori compendio Christianorum commodis, fideique integritati prospicere. Christus igitur summa sapientia & charitate, vnum iudicauit in Ecclesia constituēdum nominandúmque hominem, cui sic suam præsentiam, sanctíque Spiritus gratiam addiceret, vt de quæstionibus fidei & religionis decernens nunquam erraret, sed fidem ab Apostolis plātatam, inuiolatam integrámque conseruaret: ad quem in dubijs recurrerent omnes, doctrinam suam ad eius fidem collimarent, & eius quem

quē non posse errorem proponere nossent, sententiam sequerentur. Hoc quidem tanto priuilegio donati fuerunt primis Ecclesiæ initijs Apostoli omnes atque Euangelistæ, quando seminandum erat per orbem terrarum & diuulgandū Christi Euangelium, vt conformis esset atque consentiens omnium doctrina, quam maior eorum pars sine scriptis tradidit. Sed plantata vbique iam fide sufficiebat vnius (ad occultandum miraculum, & humilitatis obedientiæque augendum in cæteris meritū) qui Christi vice, Doctor Ecclesiæ, catholicam fidem tueretur, hæreses omnes damnaret, & in se conuersos haberet cæteros: à quo, tanquam Dei vicario, Christi sententiam & veritatem omnes expeterent. Hunc sanè non conueniebat alium esse quàm illum hominem, cui cura totius Ecclesiæ committēda erat, beatum Apostolum Petrum, eiúsque successores. Et ne dubitationi in quoquam locus relinqueretur, nō erat tale donum Sanctitati, doctrinæ, aliæve id genus qualitati, dotibusve corporis vel animi alligandum (quæ vtrum in homine sit ab aliis plerunque ignoratur) sed homini ipsi & officio: Vt quisquis in ea beati Petri Cathedra, seu pius, seu sceleratus, seu doctus, seu imperitus, seu nobilis, seu obscurus, dummodo ex officio pronunciaret, Christum haberet directorem. O magnum beneficium in Christianos collatum, quod cum summis beneficijs Dei meritò conferatur: esse hominem in terris, similem nobis, peccatorem, quem in gratiam nostri Deus constituit veritatis suæ testem, sententiæ interpretem, & Christiani populi Doctorem, cuius linguam sic mouet, vt nō fallat: sermonem sic moderatur, vt er-

rorem non doceat: calamum sic temperat vt hæreses destruat: & hæc quidem non tam in hominis illius gratiam, quandóque fortassis improbi, flagitiosi & nullius pensi, quàm Christi fidelium & electorum, in quos beneficia suà omnia retulit Deus. Fatemur siquidem fieri posse, vt Petri successor idola colat, apud se forte de fide nõ rectè sentiat, adeóque Diabolicis artibus operam nauet, quæ vt sunt hominis peccata, ita nobis Dei benignitatem clarissimè testantur, qui per tam putidos canales sua ad nos dona transfundit: hoc vnum cogitãt, vt commoda habeamus, cuiusmodicúmque tãdem illi sint per quos habeamus. Sed id constanter negamus, vicarios Christi, Petríque successores Romanos vel hæresin docere alios posse, vel errorem proponere. Nõ condunt igitur illi nouum vllum fidei articulum, sicut hæretici calumniantur, neque fidem nouam Christianis proponunt, à maioribus suis non acceptam: sed diuini Spiritus præsentia & ope, singularíque beneficio, sic in Apostolica fide retinentur, sanámque doctrinam conseruant, vt ex officio Christianos doceant quid pro dogmate fidei sit hactenus creditum & ab omnibus credẽdum, quid pro errore reiciendum. Hanc Romanorum Pontificum constantem fidei doctrinam duobus potissimum Scripturæ locis (Matth. 16. Tu es Petrus, &c. & Luc. 22. Ego pro te rogaui, Petre vt non deficiat fides tua) docuerunt Patres. Coster. in enchirid. controuers. pag. 133. 134.

Audiuimus mirificum rhetorem alterúmque Parmenianum, qui multa dicit & nihil probat. Tametsi verò istius Iesuitæ garrulitas Pontificum primatum perpetuo ferè

ferè verborum filo asserere velle videatur, nihilominus quum Gratiani Canones superiori sectione citatos obliquè etiam impugnet, vtriusque sententiæ examen lectori reliquimus.

1. *Verbum Dei scriptum Gratianus vocat stateram de thesauris Dominicis depromptam, & rectæ fidei regulam.* Costerus negat: & malè (inquit) consultum Ecclesiæ fuisset hac norma & hoc indice, verbo Scripto videlicet, quod rẽ sine anima vel sensu appellat.

2. *Gratianus ex Gregorio traditas regulas Patrum ad tempora, loca, personas & negotia accommodatas à regula fidei distingui debere probat.* Costerus *in fidei dogmata Pontificem Romanum ius habere testatur: illorum enim est (ait) Christianos docere quid pro dogmate fidei sit hactenus creditum & ab omnibus credendum, quídque pro errore reiciendum.*

3. *Romanum Pontificem leges condere posse Gratianus negat, si Prophetæ & Apostoli sententialiter de re agitata definierunt. Vult* Costerus *istum mentis diuinæ esse nobis interpretem. Nihil ergo definierunt Canonicæ Scripturæ. totum istud negotium sententialiter definiendi viuo iudici Romano (qui scilicet in scrinio pectoris omnia iura tenet inclusa, & qui Dei est consiliarius) commissum est, inquit Iesuita.*

4. *Sedis Romanæ authoritatem contra statuta Patrũ aliquid condere vel mutare minime posse, ex Zosimi Papæ decreto Gratianus affirmat. Si autem* Costero *credere fas est, Pontifex, qui omnis impurus, sceleratus, idolorum cultor, infidelis, ma-*

gus modo Romæ (quam Cathedram Petri nominat) sedem fixerit in decernendis quæstionibus fidei & religionis nunquam errat, perpetuò sequendus est, vt qui Christum habeat directorem, sit veritatis diuinæ testis, sententiæ Dei interpres, Christiani populi doctor: cuius lingua sic mouetur à Deo vt non fallat: sermo ita moderatur vt errorem non doceat: calamus sic temperatur vt hæreses destruat. Denique Papatus est summum beneficium in Christianos collatum, quod cum summis Dei beneficijs merito conferendum est.

Gratianus Pontifices Romanos legibus religionis ex verbo Scripto alligat. Costerus, diruptis istis vinculis ἀνυπεύθυνους iudices extráque omnem reprehẽsionem positos infinitis alijs Canonibus repugnantibus, Pontifices suos depingit.

II.

Gratianvs.

De Conciliis. Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilij sententia magis teneatur, cuius antiquior & potior existit authoritas, *Distinct.* 50. *Can.* 15. *Domino Sancto.*

Iudices qui debeãt esse. Iudices autem esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur, elegerit: aut quos suo consensu hęc sancta sedes aut eius primates, authoritate huius sanctæ sedis, delegauerint. *Causa* 11. *q.* 1. *Can.* 3. *ex Niceno Concilio.*

Testes, Accusationes Defensiones. Nullus vnquam præsumat accusator simul esse & iudex, vel testis: quoniam in omni iudicio quatuor semper personas necesse est esse, id est, iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Iudices autem debent vti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam. *Item* Nullus introducatur personaliter ad causam, sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione, iuxta quod ordo exigit. Accusatores verò & iudices nõ ijdem sint, sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, vnusquisque in suo ordine. *Causa* 4. *q.* 4. *Can.* 1. *&* 2.

Quòd suspecti & inimici iudices esse non debeãt, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratiùs & amabiliùs dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendum commiserit, quem ledere forte voluerit? Quòd prouidè Constantinopolitana Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur prohibere capitulo, & infra. Veniamus ergo & ad sanctam Chalcedonensem Synodum, & quid nobis de Athanasio Paræmorum Episcopo referat, audiamus. Is enim antistes tertiò euocatus ad Synodum, quia non occurrit, à Patriarcha suo canonicè condemnatus existerat: sed solùm quia cùm vocaretur ad Synodum, quod inimicus esset eius ipse qui iudicabat, clamauit; à sancta Chalcedonensi Synodo, ad causas illatas sibi examinendas reseruatur: & nisi denuo conuinceretur, recipere propriam iudicatur Ecclesiam. Quod si Athanasius à Patriarcha suo depositus, quia de inimicitia eius conquestus est, iteratò ad iudicium renouandum dirigitur, etsi manifesta sibi officiant crimina, tamen suæ reddi Ecclesiæ præcipitur: quantò magis Ignatius, qui non à patriarcha, sed ipse potius existens patriarcha, minimè debuit Ecclesia propria (inimicis & suspectis iudicibus decernentibus) expoliari? *Et paulo post.* Veniat & facundissimus noster Papa Gelasius, hæreticorum expugnator fortissimus, &

quod de Constantinopolitanis episcopis more solito tunc ægrotantibus dixit, etiam nunc nobis edisserat. [*Quæro, inquit, tamen ab his iudiciũ, quod prætendunt, vbinam possit agitari? an apud ipsos? vt ijdem inimici sint & testes & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi iudicia.*] Quod si iudicio, vbi ijdem sunt inimici qui iudices nec humana debent committi iudicia, quanto minus diuina, id est Ecclesiastica? Qui sapiens est, intelligat. Et re vera Iustinianus, Imperator pius, legibus suis promulgasse dignoscitur, dicens [*liceat ei qui suspectum iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, vt ad alium recurratur. Nã quodammodo naturale est suspectorum iudicum insidias declinare & inimicorum iudicium semper velle refugere.*] Hinc S. Athanasius inimicorum sæpe declinauit insidias. Hinc S. Ioannes Chrysostomus concilij contra se congregati renuit intrare collegium. *Causa 3. q. 5. Can. 15.*

C. de Iudici. l. aptissimi.

Accusatores & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi se vlcisci velint. Inoffensus igitur accusatorum & testium affectus quærẽdus est, & non suspectus. *Ibid. Can. 2.*

Accusatores non sunt testes

Accusatori omnino non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit, ante vtriusque partis iustam discussionem. *Causa 3. q. 9. Can. 1.*

Caueant iudices Ecclesiæ, ne absente eo, cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit: immo etiam & causam in Synodo pro facto dabunt. Proditoris verò nec calumnia nec vox audiatur. *Ibidem. Can. 2.*

In absentes sententia non feratur.

Omnia quę aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut iudicãtur, omnino euacuentur: quoniam absentem nullus addicit, nec vlla lex damnat. *ibid. Can. 4.*

Non oportet quenquam iudicari vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. *Ibid. Can. 5.*

Absente aduersario nõ audiatur accusator, nec sententia absente alia parte, à iudice dicta, vllam obtineat firmitatem. *Ibid. Can. 11.*

Absens verò nemo iudicetur, quia & diuinæ & humanæ hoc prohibent leges. *Ibid Can. 13.*

Necesse est secundum Sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum iustitię tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse, & vnã partem quãtacúmque & qualicúnque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, vt alteri parti nullum præiudicium irrogetur. *Ibid. Can. 21.*

Iesvvitae.

Vt tueantur tyrãnidem quam ab aliquot seculis Pontifices Romani in Ecclesias Christianas exercuerũt, multa suffurantur Iesuitæ ex patribus & historicis: veteris & nouæ Ecclesiæ Romanæ doctrinam, disciplinam, statum, malo animo confundentes. Deinde has assertiones inflatis buccis detonãt, sicut constat ex eorũ Scriptis, quorum summa comprehenditur in thesibus Iesuuit. Posnanienſium, à pag. 181. ad 217. Ea autem est huiusmodi:

Patriarchæ omnes, cõcilia omnia, Patres, S. Romani Pontifices veteres, Imperatores, hæretici, Ethnici primatum Romani Pontificis agnoscunt.

Vt autem Primatum istum confirment, addunt.

Romanus Pontifex summam in Ecclesia potestatem semper exercuit.

Semper agnitus est summus Iudex controuersiarum de fide.

Primatũ in hæreticorũ cõdẽnatione semper exercuit.

Tulit leges ab vniuersa Ecclesia asseruatas.

In Cõcilijs general. sæper præfuit, ea deniq; cõfirmauit.

In oẽs Iurisdictionis Episcopos iurisdictionẽ exercuit.

Assertionum istarum infinita mendacia detegere nostri non est instituti, quum etiam id iampridem à doctissimis Theologis abunde præstitum sit. Sed illud quæritur (etiam si daremus, D. Petrum fuisse Caput Ecclesiarum, fuisse Episcopum Romanum, Episcopos Romanos eius esse successores & Ecclesiæ Catholicæ capita: quamuis cum Petri Apostolatu, Doctrina, disciplina & pietate nihil prorsus commune habeant. sint verè scelerati Iudę successores) an qui à multis Christianorũ Principum & populorum myriadibus, hæreseos, antichristianismi multipliciſque sacrilegij crimine accusatur, quum factorum suorum reddenda ratio est in Concilijs, ibi testis & iudex sedere debeat? Canones ex Gratiano hac sectione collecti firmissimis argumentis iniquitatem istam profligant. At enim (inquiunt Iesuitæ) vos hæretici, solenni diplomate ad Concilium Tridentinum vocati estis. Addant, & ab accusatoribus & testibus subornatis, Pontificis Romani imperio & iussu iudicati. Sed turpissima hæc fuit omnis æquitatis abolitio. Et quandò de hac Pontificis vestri potestate disputatur, in ipso limine petitis principium.

Ne revereamus autem quæ vobis millies obiecta sunt, ex Gelasij verbis responsum accipite, An potuit agitari iudicium apud vos (*Romani Pontifices & Pontificij*) qui ijdem inimici estis, & testes, & rei, & iudices? Si iudicio, vbi ijdem sunt inimici (*addamus testes rei*, & iudices, nec humana debent committi iudicia, quanto minus diuina, id est Ecclesiastica? Qui sapiens est, intelligat. *Hactenus Gelasius. Sed quidam nouus Turrianus, aut alius Scholæ Iesuiticæ magister, ingens volumen nobis conficiet in hos Canones, qui Papisticorum Conciliorum anathemata Pontificiámque tyrannidem funditus euertunt.*

ADVER-

ADVERSVS CONCILII TRIdentini bruta fulmina, seu Anathemata iniusta, quorum Patrocinium Iesuitæ suscipiunt.

Gratianvs.

Cvi est illata sententia, deponat errorem & vacua est: sed si iniusta est, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum & Ecclesiam eius neminem potest iniqua grauare sententia. Ita ergo ea se nõ absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum *Causa xi. quæst. 3. Can 46.*

Nec etiam bruta fulmina Tridentini conciliabuli formidamus.

Secundum Catholicam fidem, & sanam doctrinam & intelligentibus perspicuam veritatẽ, nec naturæ Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei nocere iniustè cuiquam: nec nocere iniustè patitur quemquam. Qui enim nocet (vt ait Apostolus) recipiet hoc quod nocuit. *Ibid. Can. 47.*

Christianas Ecclesias à Pontifice Romano damnatas, & crudeliter oppressas, Christus tandem respiciet & liberabit.

Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum. Ligas illum in terra: sed vt iustè alliges vide. Nã iniusta vincula dirũpit iniustitia. Cùm autem correxeris & concordaueris cũ fratre tuo, soluisti illum in terra: cum solueris in terra, solutus erit in cœlo. *Ibid. Can. 48.*

In Synodo legitima placidè nobiscum agant Iesuitæ & alij pontificiæ sedis patroni: errores (si quos fouemus) aperiant, veritati oblatæ locum dabimus. Inauditos & innocentes verò si anathemate ferire pergunt,

quid iusto iudici responsuri sint ipsi, videant.

Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei de quo temerè iudicatur. Ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat. *Ibid. Can. 49.*

Iudicati & Iudices, attendite.

Quid obest homini quod ex illa tabula nõ vult eum recitari humana ignorãtia, si de libro viuorum nõ eum delet iniqua conscientia? *Ibi. Ca. 50.*

Catalogum Pontificum, Cardinalium, Legatorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, &c. qui Tridenti adfuerunt vt Ecclesias Christianas damnarent, pastorum & Theologorum in his Ecclesiis docentium nomina non continet. Sed bene habet. De libro viuorũ humana potentia nos delere minime potest.

Senti de Augustino, quicquid libet: sola me in oculis Dei conscientia non accuset. *Ibid. Can. 51 ex D. Aug. contra Secundinũ Manichæum. cap. 1.*

Sentite de nobis, Ieiunitæ, quic quid splendida bilis vobis suggesserit: Sola nos in oculis Dei conscientia non accuset. Iterum prouocamus ad legitimam Synodum, in qua testes & iudices nos non simus, vos non sitis: sed aut accusatores, aut defensores.

Et si ad tempus damnaris ab homine, & si dixit sententiam proconsul in Cyprianum, aliud est sella terrena, aliud tribunal cælorum. Ab inferiore accepit sententiam à superiore coronam. *Ib. Ca. 53.*

Aliud tribunal Tridentinum, aliud Christi solium. Homines maledicant: benedic verò tu Domine.

Plures alios canones ex ead. causa & quæst. eiusdémque argumenti non descripsimus: locum designasse sufficiet, si quis plura testimonia desiderat.

Iesvvitæ.

Tertij generis Scriptura est in decretis Conciliorum generalium, quæ Christus grauissimo suo testimonio & authoritate communiuit. Qui vos audit me audit: & si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi tãquã Ethnicus & publicanus. Itẽ, Ego vobiscũ sum omnib. diebus

usq; ad cõsummationẽ seculi. Hæc sanè decreta, si veritatẽ, si obsignationẽ Spiritus S. si præsentiã Christi spectes, idem habent põdus & momentũ, quod sancta Dei Euangelia. Si aũt verba ipsa decretorũ cõsideres, nullo modo sũt cũ sacris literis cõferenda: cũ hæ dictatæ à Spiritu S. nec iota vnũ vel vnũ apicẽ habẽt cui non insit suũ põdus & efficacitas, vndè tanquam diuina eloqu a mẽtem hominis admirabili dulcedine & suauitate afficiunt: Conciliorũ verò decreta à Sanctis Patribus conscripta fuerunt, qui suis verbis veritatem diuinam nobis loquuntur, non aliter atque Scriptor qui regis voluntatem suo stylo literis mandat. Atque hinc rectè dixit D. August. se nullius hominis libris tantùm deferre atque diuinis literis, nõ quidem ob veritatem, quæ par est in vtrisque, sed ob verba & phrasim dictantis qui fuit Spiritus S. Coster. in enchirid. controuers. pag. 46. 47.

Penes summos pontifices Sacra definiendi suprema semper potestas fuit. magno se illi crimine contaminant, qui oppugnare palam audeant venerandas Conciliorum generalium constitutiones, quorum in Ecclesia, vt Augustinus loquitur, salubrrima est authoritas. Illud præclarè dictum est à piis imperatoribus, Iniuriam facit iudicio Synodi, si quis semel iudicata et rectè disposita reuoluere & publicè disputare contendit. Canis. catechis. Iesuit. pag. 142.

Hic deprehendes, Lector, Spiritũ vertiginis qui Iesuitas exagitat. In omnibus suis disputationibus accusant obscuritatis verbum Dei scriptũ: Sacrarum literarũ expositionẽ nõ in verbis, sed in sensu cõsistere asserunt: traditionum ἀγράφων atque verbi scripti eandem vim esse libros Canonicos veteris & noui Testamenti esse literam mortuam: Ecclesiæ consensum (quem vocant) esse viuam Dei Scripturã in cordibus, quæ sui per omnia similis perseuerat, traditiones denique pontificum suorum, ceu ex eodem fonte haustas, propheticis & Apostolicis scriptis persimiles esse clamitant. Nunc autem Costerus

præstantiam S. Scripturarum in nescio quibus apicibus includit,& verbis solummodo à Papisticis Concilijs (de his enim quæritur) distinctam esse prædicat. At verò ijdem sunt Bibliorum & Canonum concilij Tridentini apices: nisi forte in literis aut syllabis variorũ idiotismorum aliquid arcani latere Costerus somniet. Si rem attendas, petimus à Iesuuitis, an nulla extet Conciliorum hæreticorum & orthodoxorum regula seu differentia? qualis ea sit? num statuta Cõciliorum ad sola verba Scripturæ expendi debeant? an verò Scripti verbi & Conciliorum discrimen in apicibus, voculis & periodis sit constitutum? Postremò, si verbum scriptum à Spiritu S. dictatum est, cur litera mortua, obscura, difficilis, chartacea, atramento scripta, quæ truncari, torqueri & prauis expositionibus corrumpi possit, à Iesuuitis vocatur? Euãgelium potentia Dei est ad salutem omni credenti: Christus, in Scripturis loquens, habet verba vitæ æternæ: Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est vt perfectũ reddat hominem Dei: Habemus firmissimum Sermonem Propheticum. Obscuritas autem & perplexitas hæret in hominum animis, non in verbis aut sensu S. Spiritus. Quę truncantur, torquentur & corrumpuntur ab hæreticis, vt commenta sua stabiliant, authoritati Spiritus S. per Prophetas & Apostolos loquentis, nullum preiudicium afferunt: nec Scriptura est liber impiorum, qui ea abutuntur. Quod ad Canisium, modò probet accusatos, accusatores, testes & reos, simul, in vna eademque causa iudices esse debere, pronuntiatis eius assentiemur. Concilium Tridentinum à generalibus orthodoxis tota via recedere, nec non in eo omnia pessimè dispositia fuisse, in legitima Synodo Christianarum Ecclesiarum Theologi, probare parati sunt.

CAPVT

CAPVT. III.

DE PRIMATV IN Ecclesia.

Gratianvs.

Sectio I.

Origo Hierachiæ, seu anarchiæ, Papisticæ teste ipsomet Gratiano.

Ministri Sacrorum Canonum & decretorum sunt summi Pontifices, & infra præsules, & reliqui sacerdotes, quorum institutio est in veteri Testamento inchoata, & in nouo plenius cõsummata. Summus etenim Pontifex & minores Sacerdotes à Deo sunt instituti per Moysen, qui ex præcepto Domini Aaron in summum pontificem, filios verò eius vnxit in minores sacerdotes. Posteà verò Dauid, cum ministeria domus Domini ampliaret, ianitores & cantores instituit. Porrò Salomon quendam modum inuenit, quo dæmones adiurati, ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati exorcistæ vocati sunt: de quib. Dominus in Euangelio, si ego in nomine Beelzebub eiicio dęmonia, filij vestri (s. exorcistæ) in quo eiiciunt? Hęc omnia in nouo Testamento Ecclesia imitata habet ianitores suos, quos ostiarios appellant: pro cantoribus lectores & cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo & officio permanente recepit. Pro filiis verò Aarõ, omnes infra summum Pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati. Inter

eos quædã discretio seruata est, vt alij appellentur simpliciter Sacerdotes, alij archipresbyteri alij chorepiscopi, alij episcopi, alij Archiepiscopi seu metropolitę, alij primates, alij patriarchę, alij summi pontifices. Horũ discretio à Gẽtilibus maximè introducta est, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios protoflamines appellabãt. Simpliciter verò maiorũ & minorũ Sacerdotũ discretio in nouo Testamẽto ab ipso Christo sumpsit exordium, qui duodecim Apostolos, tanquam maiores sacerdotes, septuaginta duos discipulos quasi minores Sacerdotes instituit. Petrum verò quasi in summum sacerdotẽ elegit, dũ ei præ omnibus & pro omnibus claues regni cœlorum tribuit: & ipse petra Petri nomen sibi imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse testatus est, & vt ipse cæteros confirmaret subiunxit, dicens. Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Hanc eandem formam Apostoli secuti, in singulis ciuitatibus episcopos & presbyteros ordinauerunt. Leuitas autem ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus, Subdiaconos & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. *Præfat in Can. 5. distin. 21.*

Iesvvitae.

Præsentis instituti non est, quæ singulis ordinibus functiones & leges præscriptæ sunt enucleare. Illud sanè constat, magno in pretio cunctos ordines habendos, ac sedulo retinendos esse. Firmum enim testimonium illis præbet sacra traditionis Apostolicæ Ecclesiastica obseruationis disciplina, quæ ad nos vsque transmissa perdurat. Et paulò post, *Extant Apostolorum Canones, in quibus hoc modo statuitur Episcopus à duobus aut à tribus episcopis ordinetur. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur: item diaconus & reliqui clerici. Tum infra, Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut hypodiaconus, aut lector, aut cantor sacram quadragesimam non ieiunauerit, ordine moueatur, &c. Caius verò ante annos 1300. Pontifex & martyr illustris, hos ipsos gradus & ordines sigillatim recenset, quum ait: Si quis Episcopus esse meruerit, primò ostiarius, deinde lector, post exorcista, deinde sacretur acolythus: dehinc verò subdiaconus, diaconus, & postea presbyter: exinde, si meretur, Episcopus.* Canis. Catechism. Iesuuit. pag. 308. & 313.

In insula Creta, à Tito vsque in hodiernum diem est metropolitanus qui primatem suum agnoscit: infra metropolitanum sunt singuli episcopi per singulas ciuitates non paruas. Hæc eadẽ dispositio Ecclesiarum per totum Orientem & Occidentem cernitur. Et infra. *Quis non intelligit (præter vos qui non vultis credere) in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, non solum Episcopos, sed Archiepiscopos, vel metropolitanos, ac Patriarchas, secundum Apostolicam dispositionem fuisse?* Turrian. libr. 2. pro epist. Pontif. pag. 167. b.

Gratianus hierarchiam partim Pontificiam: Iudaicã, partim Ethnicam & Christianam constituit. Iesuuitæ verò ex traditione Apostolica eius originem deducunt.

II.

Gratianvs.

Adu. primatus affectationem.

Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo: nec inter seruos Christi computabitur qui de primatu tractauerit: ne vnusquisque eorum festinet quomodo alijs maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur. Quoniam non qui maior fuerit in honore inter homines ille est iustior: sed qui fuerit iustior, ille maior. *Distinct. 40. Can. 12. Multi, ex Chrysostomo.*

Primæ sedis episcopus nõ appelletur princeps Sacerdotũ, vel summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis episcopus. Vniuersalis autem, nec Romanus pontifex appelletur. *Distinct. 99. Can. 3. ex concil Aphricano.*

Nullus Patriarcharum vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorũ imminuere ex quãtulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam, etiam suis in epistolis, vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem infert indebitum. *Ead. distinct. Can. 4. Ex epist. Gelasij ad omnes Episcopos.*

Ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui, direxistis, superbę appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens, imprimere curastis, quod (peto) mihi dulcissima sanctitas vestra vltra non faciat: quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit probetur. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus námque est honor, vniuersalis Ecclesiæ: meus honor, est fratrũ meorum solidus vigor. Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc: recedant verba quæ vanitatem inflant & charitatem vulnerant. *Ead. distinct. Can. 5. ex Gregorij Epist. ad Eulogium patriarch. Alexand.*

Iesvvitæ.

Ita est necessarium in Ecclesia caput visibile, vt si nullum à Christo constitutum foret, vehementer optari ab omnibus oporteret. Paulo post. *Quid sequetur incommodi, si quod in omni repub. est optimum, id etiam fateamur. Christum in sua Repub. constituisse? Scripturæ enim sacræ id non aduersantur, quæ in vtroque testamẽto nihil horum vlla vnquam cautione vetuit. In Iudæorum nempe Synagoga, in qua tanquam primis lineamentis maiestas Ecclesiæ Catholicæ adumbrata fuit, vnus Aaron cum posteris suis præfectus est sacris, illisque rebus quæ ad populi institutionem & spirituale directionem faciebant: non modò vt Doctor, vel inspector, vel ceremoniarum curator: sed vt verus cum imperio & authoritate princeps. Qui (inquit lex) noluerit obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur. In Euangelio quæ fuerit mens Christi in constituenda Ecclesiastica politia, vel ex ipsa Apostolorum ambitione intelligitur. Quoties enim saluator discessus sui ex hoc mundo mentionem fe-*

ciſſet, ſtatim vel taciti ſecum cogitabant, vel inter ſe diſceptabant, quis ipſorum eſſet maior, vel etiam quærebant quis futurus eſſet maior in regno cælorum, in Eccleſia nempe, quam nomine regni cælorum toties à Chriſto vocari audierant: adeóque primatus iſte animis rudium cogitationibúſque adhuc inſidebat, vt nouiſſima Cœna cùm audita mẽtione proditoris, & mortis inſtantis mœrore affici debuiſſent, facta ſit tamen contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Intelligebant enim neceſſarium eſſe paſtorem, qui diſcedente Chriſto vniuerſo gregi præeſſet. Audierant illi quidem Petro aliàs dictum: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c. Sciebant quoque ſtaterem datum Chriſti & Petri nomine, tributum in ciuitate Capharnaum, qui à Patribus familias pro domeſticis pendebatur, vnde videri poterat committendam Petro Chriſti familiam. Sed quod obſcurius Chriſtus ſæpè loqueretur, variſque parabolis veritatem tegeret, non aperte intelligebãt. Petrum ad hoc munus obeundum deſignari, donec poſt contentionem in poſtrema Cœna, his verbis Petrum compellaret: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos: & poſt reſurrectionem à mortuis, Paſce agnos meos, paſce oues meas. Ex eo enim tempore, nulla amplius controuerſia vel quæſtione mota, omnes Beato Petro primas detulerunt: & ipſe Petrus, curam commiſſi gregis agnoſcens, officio ſuo nõ defuit. Collect. enchirid. controuerſ. pag. 123. &c.

Petamus pro Petri ſucceſſore ex veteri Teſtamento

mento haud infirmum argumentum. Cùm enim in eo vnus perpetuò fuerit ſummus Pontifex, cui ſucceſſum fuit, Aaron primò, tum Eleazarus & deinceps alij: quid ni ſummo Sacerdoti noui Teſtamenti, Petro videlicet ſuccedatur? Aduerſarius, ſat ſcio, reſpondebit, ſummum Pontificem Iudæorum non fuiſſe typum & figuram alterius Pontificis quàm Chriſti: & hoc in primis falſum eſt. Sed demus ita eſſe. Argumentum æquè atque primò firmum eſt. Neque enim ex figura argumentamur & typo, ſed à minore ad maius, euidenti ſane ratione. Incredibile enim eſt Synagogam auctore Deo iudicem habuiſſe, qui controuerſias de fide, de lege, de religione componeret: Eccleſiam non habere, præſertim cùm Eccleſiæ id ſit multò magis neceſſariũ, quæ ex tam variis nationibus, linguis, ingenys, inſtitutis emerſerit. Ieſuuitæ Poſnanienſes, in diſputationib. pag. 163. 164.

Angelus dixit virgini de Ieſu, Luc. 1. Et dabit illi Dominus Deus, ſedem Dauid Patris eius. Hoc enim promiſerat Deus Dauid regi, de Salomone filio inquiens, & firmabo regnum eius, & ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. Impletum eſt ergo hoc in regno Eccleſiæ. hoc eſt enim regnũ Chriſti, non temporale, ſed Spirituale: quia huius regni non ſolùm in corpora eſt poteſtas, ſed etiam in animas: quæ poteſtas eſt de cœlo data, ſicut ipſe Dominus Pilato dixit, regnum meum non eſt de hoc mundo. Hoc, inquam, eſt regnum quod Ieſus Chriſtus regnat in terris de cœlo ſecundum humanita-

tem, in quod transtulit regnum Dauid terrenum. Hæc est monarchia Romanorum, id est, Ecclesiæ catholicæ Romanæ, cuius fides, vt Apostolus testatus est, annunciatur in vniuerso mundo, quam monarchiam elegit Christus, vt hîc ait Apostolica doctrina. Quod si Ecclesia Catholica est monarchia Christi, quæ visibilis est, ergo elegit Christus in ea monarcham, qui esset quoque visibilis. Natura enim ipsa docet nos, quòd si quis in aliquo loco regnare vult, vbi non est per se visibiliter versaturus, necesse est, vt aliquem cõstituat, in quo & per quem regnat visibiliter, & non tantùm inuisibiliter. Christus igitur quia noluit regnare visibiliter in hoc regno, quia neque decebat, oportebat vt eligeret, qui loco inuisibilis monarchiæ monarchiam visibilem visibiliter gereret, qui fuit primus B. Petrus, cui commisit vt vniuersi mundi oues pasceret, cùm ei dicit, Pasce oues meas. Sic enim omnes interpretes & doctores Sancti, Græci & Latini, semper intellexerunt & interpretati sunt. Nec vllum vnquam veterem auctorem Catholicum, qui aliter intelligeret aut interpretaretur, Protestantiũ magistri & scriptores producere potuerunt, nec vnquam poterunt. Cura itaque omnium ouium & potestas in eas, monarchia est & dicitur: & monarcha qui huic curæ præest, & hanc potestatem à Christo monarcha inuisibili & omnipotente accepit. F. Turrian. defens. adu. Sadeelem. lib. 2. pag. 97. 98.

Gratia-

Gratianum audiuimus primatum in ecclesia Catholica eiúsque affectatores damnantem: nomen principis sacerdotũ, aut Sacerdotis summi, aut episcopi vniuersalis nulli permittentem. Gregorij, cognomento magni, ad Eulogium, scriptæ epistolæ de eodem negotio fragmentum ex Gratiano subiunximus. Iesuitæ cõtrà, Pontificem Romanum caput visibile totius Ecclesiæ, Sacrorum principem, pontificem maximum, Sacerdotem summum, & Monarcham indigitant: argumentis huic sectæ perpetuis, id est homonymijs, petitionibus principij, ignoratione elenchi, & eiusmodi Sophisticis argutijs tecti. Regnum Christi cum politijs mundi confundunt, Aaronis Pontificatum in Ecclesiam Christianam inuehunt: Ambitiosos dicunt Apostolos fuisse, cùm de primatu contenderent: & tamen volunt à Petro primatum ita susceptum fuisse, vt solis episcopis Romanis tantæ superbiæ nomen & effectum reliquerit. Quàm impudenter autem Posuanienses axioma illud Theologicum, summum Iudæorum Pontificem non fuisse typum & figuram alterius Pontificis quàm Christi, falsum esse in primis asserunt? Minime autem illos iuuat Sophisma, quod vocant à minore ad maius, & apodicticum: videlicet, Si Ecclesiæ Iudaicæ necessarium fuit Iudicem habere qui controuersias de fide componeret, id Ecclesiæ Christianæ multò magis esse necessarium, quæ ex tam varijs nationibus, linguis, ingenijs, institutis emersit. Nã Christus ascendens in altum dedit Ecclesiæ Catholicæ dona, reliquitque functiones Ecclesiasticas, partim extraordinarias & temporarias, vt Apostolos, Prophetas, Euãgelistas: partim ordinarias & perpetuas, vt pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi: vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vẽto doctrinæ in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum versutia: sed veritatem sectantes cum charitate prorsus adolescamus in eũ per omnia, qui est caput, nempe Christus. Hæc sunt verba D. Pauli ad Ephes. cap. 4. qui-

bus si Iesuuitæ repugnare pergunt, insania sua fruantur. Apostoli enim auctoritatem istorum nebulis oppositisse sat est. Cæterùm Turrianus, more suo pergens, Monarchiam Pontifici tribuit, Gratiani Canones palam conspuens. Priori autem disputatione adu. Sadeelem cap. 18. multis paginis seipsum & lectores miserè agitat, vt inuictis Gratiano & Gregorio summum Sacerdotium, principatum, & vniuersalis episcopi nomen Pontifici suo conferuet. Pauca quædam describemus, vt ingenium Iesuuiticum appareat.

Qua fronte (inquit) quod in Synodo Mileuitana decretum est, seu potius renouatum, & ex tertia Synodo Carthaginensi, c. 26. repetitum, vt episcopus primæ sedis non appelletur princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus, hoc ad Episcopum Romanæ sedis referre audetis? &, quod magis ridiculum est, non aduertistis, vos vobis contradicere. Cùm enim Episcop. Rom. episcopum primæ sedis vocari & esse conceditis, primatum ei, licet inuiti & nescientes, conceditis. Quomodo enim prima inter reliquas alias sedes esse poterat, nisi primatum inter eas haberet? Cùm enim Romana non sit prima sedes in his aut illis prouincijs, vt est Carthaginensis prima in prouincijs Africæ, Alexandrina prima in prouincijs Egypti, Antiochena item prima in suis, relinquitur vt sit prima sedes in omnibus prouincijs Ecclesiæ Catholicæ, aut nusquam est prima. Habet igitur potestatem in episcopos omnium prouinciarum, vt habet, propter eius formam, Alexandrina sedes potestatem in suarum prouinciarum episcopos, Antiochena item in suarum, & Carthaginensis in episcopos Aphricæ. Aut dicant aduersarij, si sciunt aut vsquam legerunt, in

quarum prouinciarũ episcopos habeat priuatè potestatem prima sedes episcopi Romani, quam ipsi confitentur appellatam esse in Synodo Carthagin. primam sedem. Aut si dicere non possunt, superest vt confiteantur esse quidem illam primam sedem, sed inter nullas alias, quo nihil potest esse magis delirum, vel primam esse inter reliquas omnes. Sic isti sapiẽtes, iuxta verbum Domini, in astutia sua comprehensi sunt.

Hoc vult Turrianus:

Quicunque est primæ sedis Episcopus, is in alias sedes habet primatum.

Pontifex Romanus est primæ sedis Episcopus.

Ergo in omnes Ecclesias habet primatum: & vi consequentis est princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, & monarcha visibilis Ecclesiæ Catholicæ.

Primùm omnium dico pugnacem istum Iesuuitam verba Gratiani conuellere non posse, nec, præ iracundia, Canonum mentem aduertisse. De nominibus enim & superbis titulis agebatur, quibus sublatis de re ipsa inter dissidentes theologos placidè agendum fuit. Sed Iesuuita veritus ne superbiæ appellatione sublata tyrannis Pontificum tandè tolleretur, acrẽ λογομαχίαν instituit. Quum verò à Sadeele validis telis, ex theologico & Scholastico armamẽtario depromptis, glorioſus iste miles pridem sit confossus, paucis vim istius argumenti expendere nobis liceat. Quod ad minorem propositionem attinet, prima sedes quidem à veteribus Roma dicta est, tum propter vrbis & imperij dignitatem, tum quod de Petri & Pauli in ea Ecclesia predicatione & passione multa præclara à veteribus proposita, episcoporúmque nonnullorum Romanæ Ecclesiæ fides, doctrina constantiáque, maximo in pretio apud omnes haberẽtur. Inde fiequẽter factum est vt Episcopo Romano prima sedes in Concilijs tribueretur: quemadmodum necesse est in consessibus Ecclesiasticis & secularibus aliquem cæteris præesse, qui prior loquatur, collegarum suarum sententiam audiat, actionem denique totam moderetur, vt omnia decenter

& ordine fiant. Pontificem Romanum autem primis illis temporibus perpetuũ οἰκουμένικα fuisse negamus. Quum vero diuinus episcopatus in humanum degenerauit, & Romani Pontifices primatum in Ecclesia ambierunt, tituli istius eos fuisse amantiores non diffiteor, ita tamen vt ab alijs episcopis in ordinem aliquoties cogerentur. Tandem post varias de primatu contentiones, Romanus alijs patriarchis depulsis, & Imperatorum fauore armatus, Pontificum omnium Pontifex & ipsorum etiam Imperatorum Imperator apparuit. Maior verò luce indiget, nec eorum qui primus sedet aut loquitur, aliorũ primas & princeps perpetuus nec semper est: neque id ordinis aut honoris necessitas postulat. Sed quid ista omnia ad Antichristum Romanum, qui nec est episcopus, neque aliam sedem quam tyrãni & hominis perditi retinet? Veterem sedem nobis restituat, Episcopi munere fungatur: tunc cum alijs Episcopis non de primatu, sed de Christi gloria promouenda regnóque instaurando certe cogitabit. Conclusio autem Turrianica, vt maior propositio, falsa est & malè cohæret, sicut ex rectè differẽdi legibus cordato lectori est manifestum.

Alio Sophismate postea Gratianum adoritur Turrianus, quando addit,

Canon igitur Concilij Africani, à Gratiano relatus, distinct. 99. c. primæ sedis, de episcopo Romano non potest intelligi. Sanctus est de primatibus Africæ, id est, de Episcopis primarum sedium in Africa. Illud autem (vniuersalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur) *non est ex Canone Concilij Africani, sed ex Gratiani rubrica (sic vocant summas capitum è scriptas singulis capitibus) in caput proximè sequens epistolæ Pelagij pontificis. Qui quidem prohibuit, vt nullus patriarcha vniuersalis appellaretur, quia qui se sic appellaret, se solum patriarcham appellari velle videretur.* Sed

Sed etiam, si Turriano demus verba ista (*vniuersalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur*) esse rubricam Gratianicam in caput sequentis epistolæ: cur Romanus pontifex vniuersalis appellatus est, quũ Canone sequenti Gratianus obiectioni Turrianicæ velut occurrens, ex Gregorio neminem vniuersalem Papã aut Episcopũ velit appellari? Hîc Turrianus multa effutit, quorũ summa est, Episcopum Romanũ vniuersalis Ecclesiæ esse episcopum, sed vniuersalem episcopum nolle se vocari. Quid ita? Vniuersalis episcopus (inquit) significat non alium esse episcopum, vt si de aliquo diceremus eum esse vniuersalem hominem, significaremus sanè esse eum vniuersum hominem, id est, nullum hominem præter ipsum esse in mundo. Audis acutum disputatorem, accidens cũ substantia confundentem, ludentem homonymijs, & argutias nescio quas nobis fabricantem, vt episcopo suo, non amplius Catholico, fucat. Sed iam lõgiùs progressi sumus, quàm huius collationis ratio postulat. Alias igitur tertij huius capitis Sectiones persequamur.

III.

Gratianvs.

Non est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere cathedram regnantium cum Christo: quia hinc dicitur, Nõ sanctorũ filij sunt qui tenẽt loca Sanctorum: sed qui exercent opera eorum. *Distinct. 40. Can. 2. ex Hieronymo.*

Nos qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus: nec vrbium claritate, sed fidei puritate. *Ibid. Can. 3. ex Gregorio.*

Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt: sed nos aut merita bona ei coniungunt, aut mala disiungunt. *Ibid. Can. 4.*

Sine doctrina sincera seu fidei puritate & bonis operib. personalem successionem eeu rem nihili dãnat Gratianus: & optimè quidem. Maius enim iudiciũ sibi accersit tyrannus qui pio principi succedit. Porrò videtur Gratianus tacitè refutasse inanem Symmachi pontificis iactantiam, priore huius distinctionis Canone expressam, in qua ille sibimet contradicens, ait, *Non nos beatum Petrũ (sicut dicitis) à Domino cum sedis priuilegio, vel successores eius peccãdi iudicamus licentiã accepisse.* Deinde addit. *Ille quippe perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ transmisit ad posteros. Quod illi concessum est per actuũ lucem ad illos pertinet quos par conuersationis splendor illuminat: Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci prædecessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit: aut eos qui eriguntur illustrat.*

Ita fiet, si Symmacho fides adhibetur, vt lupus, pastori succedens, fidus custos gregis euadat. Nugæ pontificiæ, quas sequentes Canones dissipant. Sed quid Iesuuitæ, Symmachi commilitones, affirment, audiamus.

IESVVITÆ.

ESTO, fuerint quidem Pontificum, in propria salute promouenda negligentiores, aluerint simultates, studuerint congerendis pecuniis, quæsierint familiæ splendoreu: vt autem ad se nihil putauerint pertinuisse ouile Christi, quibus rationibus probabitur, aut qui huius criminis testes producentur? Item. *Sed fuerint negligentes, non solùm in propria, verùm etiam totius Ecclesiæ salute procuranda (neque enim homines esse desinunt qui Petri successores & Christi vicary in Romani sede conspiciuntur) quomodo probabitur, quod controuersiæ caput est, communem omnium salutem ipsos vel oppugnasse, vel impedimisse?* Item. *Non asserimus Romanos Pontifices labi non posse: neque*

que asserimus leuia tantùm fuisse, & facilè promeruisse veniam quæcunque ab illis patrata sunt peccata. Duxerit licèt ipsorum pars maxima vitam inculpatã & præluxerit egregia virtute: omnes tamen à crimine absoluere, & asserere humanũ passos esse nihil, omnium est se vocibus opponere. Non enim par ipsis collata est potestas in iis definiendis statuendisque, quæ communem salutem concernunt & propriis moribus componendis. Possunt propriæ salutis iacturam facere: labi possunt, & lapsi sunt quidem illorum grauiter: e verò à fide quandoque deficiãt, Christi obtinuit oratio, &c. P. Thyreus, in disput. de nouo & falso Antichristo, the. 178. 180. 262. 263. 264. 265.

Fatemur fieri posse vt Petri successor idola colat, apud se forte de fide non rectè sentiat, adeóque diabolicis artibus operam nauet, quæ vt sunt homines peccata, ita nobis Dei benignitatem clarissimè testantur, qui per tam putidos canales, sua ad nos dona transfundit. Coster. enchirid. controuers. pag. 137.

IIII.

GRATIANVS.

Paulus Petrum reprehendit: quod non audet, nisi se non imparem sciret. *Causa 2. quæst. 7. Can. 33. ex Hieronymo super epistolam ad Galatas;* De Apostolorum inæquali potestate.

Caput hoc (*inquit noua editio decreti, Gregorij 13. iussu facta*) quod citatur in plerisque exemplaribus ex B. Hieronymo. & in aliquot ex B. Augustino, in neutrius libris inuentum est: sed in glossa ordinaria adeo verba ipsius epistolæ ad Galat. *In faciem eius restiti* additur hæc interlinearis explicatio, *quod non auderet, nisi se nõ imparẽ sentiret.* Et in cõmẽtariis Ambrosii in eũdẽ locũ hæc legũtur.

Nam quis eorum auderet primo Apostolo, cui claues cœlorum dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis sua sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat?

Quod Gratianus addit. *Hoc non de officio Ecclesiastica dignitatis sed de puritate vitæ & sanctitate conuersationis intelligitur. Solus enim Petrus inter Apostolos primatum gerebat.* caret ratione & à D. Hieronymi sensu prorsus est alienum, vt etiam liquet cordato lectori ex diligenti consideratione circumstantiarum historiæ quæ recitatur 2. cap. ad Galat.

Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: verum inter ipsos, quis cui preponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factũ putemus, quod vna die, vno in loco vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deesset: sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco ijdem martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet vt vbi caput Superstitionis erat, illic caput quiesceret Sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morarentur. *Causa. 2. queest. 7. Can. 37. ex Ambrosio.*

Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico, tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super vnum ædificat Ecclesiam: & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut me misit Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur: vt Ecclesia vna monstretur. *Paulò post.* Hanc vnitatem tenere firmiter & vendicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus: vt episcopatum ipsum vnum atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mẽdacio fallat: nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est: cuius à singulis in solidum pars tenetur: & Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. *Et infra.* Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumẽ est quod vbique diffunditur: nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs pandit: vnum tamẽ caput est, & origo vna, & vna mater est fœcunditatis successibus copiosa. *Causa 24. quæst. 1. Can. 18 ex Cypriano Papa, lib. de vnitate Ecclesiæ.*

Iesvvitæ.

Potestas remittendi peccata transit ab Apostolis in omnes eorum successores per hierarchicam ordinationem. Quæ enim Apostolis ad communem Ecclesiæ vtilitatem data sunt, ea per ipsos posteris sunt etiam communicata. Paulò post. *Ex his verò verbis, qui ita omnium Apostolorum æqualem potestatem & dignitatem colligunt, vt inter eos Pe-*

trus principatum nullum obtineat malè sanè ratiocinantur. Et si enim omnibus æqualis esset potestas, non eodē tamen modo omnibus concessa est. Petro enim singulariter & primò hæc potestas concessa est: aliis verò, quia vnus vnius domus Dei gubernationi aliter sufficere nō poterat, per illum vnum Petrum scilicet. Alioquin sanè eadem ratione colligere licebit, reliquos etiam discipulos Apostolis æquales fuisse. Ex his enim quidā aderant, cùm hæc verba Dominus enunciaret, vt ex 24. ca. Lucæ manifestum est. Et tamen etiam si omnia omnibus hæc paria daréntur, in quarta tamen appatitione omnibus Petrus præponitur. Item. D. Paulus, quamuis D. Petro inferior, cum Gentilitū salutis ardenti studio flagraret, ad quod potissimum missus erat, D. Petro in faciem restitit eúmque reprehendit. Vbi enim de fide agitur, ibi etiā ab inferiore superior iurè reprehenditur. Sed cur, quem paulò ante Græcè Petrum vocabat, hîc Syriacè potius Cepham vocat? An vt Chrysostom us, & ex Clemente Eusebius aiunt, quia hic Cephas non ille Apostolorum princeps, sed ex 70. discipulis vnus fuit? qui ab aliquibus putatur Martialis Episcopus Lemonicensis, ab aliis Caniæ præsul. An verò, vt mutatione nominum, modum quoque reprehensionis indicaret, vt non tanquam superiorem, sed tanquam Cepham, id est primatum quempiam errantem reprehenderit, vt non malè vult Catharinus. Sed quod prius ex eodem dixi magis placet, authorib. D. Aug. Gregorio, Cypriano, quorum hic Petrum laudat, quòd se primatum habere non indicarit, vt modestè inferioris admonitionem ferret. Rapedius, disput. de Sanctis Apostolis, thes. 34. 36. 75.

Miris Strophis Gratiano illudit Rapedius, vt Apostolos Petro inferiores esse probet. Sed, lector, expende huius magistri sophismata. Vario modo (inquit) potestas Apostolis concessa est. Petro autē singulariter & primò. Ergo Petrus & eius successor est caput Apostolorum totiúsque Ecclesiæ. Maior falsa est. Minor item: nulla enim singularis potestas Petro concessa est, quæ ab aliorū Apostolatu diuisa sit: immo vnus est Apostolatus, cuius à singulis pars in solidum tenebatur. Paulum Petro fuisse inferiorem nugatur, non probat. Ridiculum autem est quod de Petro & Cepha garrit: verba enim Apostoli ad Galatas somniū illud satis supérque refellunt. Si primatum habuit Petrus, id Paulum non latebat, qui tamen acriter eum obiurgauit, nec principem Apostolorum aut totius Ecclesiæ agnouit. Si non, vnde nobis tot plaustra mendaciorum Iesuuiticorum de Petri primatu. Esto verò, fuerit Petrus primus Apostolus, & collegarū suorum primus: quid hoc ad Ecclesiam Catholicam? quid hîc obtendere potest Romanus pontifex, Iudæ proditoris non Petri prædicatoris successor?

Illud verò Cypriani quod secum facere, non intelligentes, falso existimarunt (hoc erant vtique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prediti & honoris & potestatis) *non significat quales remanserint Apostoli post primatū Petro datū, sed quales antea erant. Ante primatum enim Petri pares erant honore & potestate: omnes enim erant Apostoli. Sed hoc non obstitit, quin vnus præponeretur: id est, licet omnes antea essent æquales, vnus tamen Petrus deinceps cæteris Apostolis præpositus est.* Et infra. *Si Episcopatus vnus est, vt dicit Cyprianus, est igitur vnus Episcopus, qui præest Episcopatui qui vnus est. Non enim potest esse, immo neque cogitari Episco-*

patus, sine episcopo, sicut neque sacerdotium sine Sacerdote. Dicat Cyprianus quis iste vnus Episcopatus. *Ecclesia (inquit statim) vna est. Quem prius dixit episcopatum vnum, dicit nunc Ecclesiã vnam, quæ (vt statim ait) per orbem totum radios suos porrigit. Itaque Ecclesia vna Catholica, cuius partes sunt omnes particulares Ecclesiæ per cũctum orbem diffusæ est ille vnus* Episcopatus, *cuius à singulis in solidum pars tenetur: quia vnusquisque episcopus de episcopatu particulari, qui est pars illius vnius episcopatus, vniuersalis, sibi ascripto redditurus sit rationem in solidum, id est vnusquisque de ea parte quam tenet solus rationem Domino est redditurus.* Turrian. 1. lib. Defension. aduers. Sadeelem, pag. 212. 213.

Plura alia, Iesuitica fide congerit Turrianus, quæ lubens omitto: hic est enim scopus noster vt Gratianum anti-Iesuuitam esse lector, & nouæ istius sectæ insignem tum in peruertendis Sacris literis, tum in corrumpendis patribus audaciã agnoscat. Attamẽ multiplicẽ fraudem Turriani in Cypriano torquendo paucis annotare libet.

1. Apostolos ante primatum Petri, æquales Petro fuisse concedit: non autem post. Cõtra Gratianus ex Cypriano, *Apostolis omnib. post resurrectionem suam Christus parem potestatem tribuit.* Constituunt autem Iesuuitæ primatum Petri in his verbis, *Tu es Petrus*, quæ prolata sunt ante Christi mortem. Respondebit fortasse Iesuuita, primatus potestatem absolutam fuisse quum Petro dictum est, *Pasce oues meas*, post resurrectionem. At etiam alijs dictum est, *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Missus autem est Christus, pastor bonus, vt colligeret & pasceret oues & agnos. Igitur Apostoli missi sunt cum Petro ad pascendum gregem. Ratio autem huius dicti ad Petrum, sepius explicata est ab Orthodoxis Theologis, quàm repetere collatio à me instituta non patitur. Præterea, ostendat Iesuuita an Petrus magis quàm Paulus gregem Christi pauerit: nec enim seculi huius vanos honores captauit D. Petrus. Deinde, etiam si concederem quod miserè & futiliter postulat Turrianus, quid ista ad Romanum Antichristum?

2. Si episcopatus vnus est, & vnus etiam Episcopus, sicut vna Ecclesia: Ergo Pontifex Romanus Petri successor est vnus vnius Episcopatus seu Ecclesiæ Catholicæ Episcopus. Hoc dicit Turrianus, qui alibi Episcopi vniuersalis nomen Pontifici suo denegat: & tamen vult vnũ esse Episcopum & Episcopatum. Oedipus ille ænigmata ista nobis aperiet. Quid respondebit autem Cypriano addenti, (quod à Gratiano omissum est:) *Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur?* Illud videlicet, super Cathedram Petri fundatam esse Ecclesiam: fraternitatem vniuersam vni Episcopo obtemperare debere. Quod ad Cathedram Petri attinet, Cyprianus seipsum explicat. *Vt vnitatem Christus manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Postea addit, *Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus.* Sacramentum istius vnitatis addit à beato Paulo fuisse ostensum, dicente, *Vnum corpus & vnus Spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Vnitas veræ fidei & sinceræ Charitatis est Cathedra à Christo constituta, & ab vno inchoata, id est Petro, qui omnium nomine respondens vnam & solam fidem professus est. Cathedra verò Iesuuitis est primatus, quem & si Petro ordinis gratia datum fuisse concederemus, non sequitur apostaticæ sedis idolum Ecclesiæ Catholicæ esse monarcham. Singulis pastoribus est quidem portio gregis ascripta, nec vnitas scinditur, aut grex dissipatur, sed vt vnanimi consensione ab Apostolis, ita etiam à Christianis episcopis & pastoribus pascitur. Si autem vnusquisque de parte sua rationem Domino est redditurus, in vtramque aurẽ summus ille Pontifex quiescat, quippe cui curis

soluto, ambitionem & luxũ in sinu fouere licebit. Si verò episcopus vnus est & vnũ possidet Episcopatum, quã partem alijs relinquet? At ineptum seu Turrianicum est effugium illud, A singulis in solidum pars episcopatus tenetur, id est vnusquisque de ea parte quam tenet rationem Domino est redditurus. Immo verò, ad vnitatem ista referri debere tota Cypriani disputatio euidẽter ostẽdit.

Alterum Sophisma, de fraternitate vniuersa quæ vni Episcopo obtẽperare debet, excutiamus. Inde colligunt Iesuitæ, Cyprianum (cuius ista sunt) iussisse Christianos omnes, per vniuersum orbẽ sparsos, vnius episcopi Romani dicto audientes esse debere. Extant verba in epist. Cypriani ad Cornelium, quem fratrem nominat, cuius initium est, *legi literas tuas*: ex quibus attento lectori constabit Cyprianum id sensisse, ad vitanda schismata vnum in vna diœcesi. non vnum qui omnibus Ecclesijs imperet, episcopum esse debere: quod colligi facilè potest ex alio loco, epist. ad Antonianum, *Accepi literas*, &c. & refertur à Gratiano, caus. 7. quæst. 1. Can. 5. *Cùm post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debet, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.* Pamelius hęc accommodat ad Pontificis primatum & vnicum Episcopatum, sed non aptè, vt cuiuis non cursim legenti patefiet. Aliquot testimonijs sententiã nostram confirmemus. Quum Nouatus hęreticus nefarijs artibus subnixus populum Romanum in partes distraxisset, suósque omnes, nunquam se ad Cornelium Episcopum Romanum redituros, solenni Sacramento obligasset, atque hoc modo vnum episcopatum in duos diuulsisset, duósque episcopos in vnam ciuitatem inuexisset. Cornelius ea de re, vt refert Euseb. lib. 6. cap. 35. apud Fabium episcopum Antiochenum per literas conquestus, inter multa hæc ait, *Nouatus omnino præterijt vnum solum Episcopum oportere esse in Ecclesia Catholica, in qua tamen non ignorabat presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem*, &c. Certè, de vniuersa orbis terrarum Ecclesia non est loquutus, sed suã solummodo Romanam, propriámque Ecclesiam significauit. Similiter cum Episcopus Ioannes (teste Socrat. lib. 6. cap. 20.) Sisinnium Nouatianorum Episcopum

pum videret, sic ad eum inquit, *Vna ciuitas non potest duos Episcopos habere.* Sic Hieronymus, in 1. ca. epist. ad Titum, & si omnium presbyterorum, diuinæ legis authoritatem vnam æqualémque potestatem agnoscit, tamen homines postea vitandæ cõtentionis causa ait vnũ in singulis vrbibus constituisse qui cæteros fratres ordine quodam & disciplina contineret. Hoc modo totius Ecclesię concordia est conseruata: hoc modo omnes Ecclesiæ instar vnius factę sunt, omnésque episcopi quasi vnus extiterũt. Quisquis enim ab vno dissensit ab omnibus disiunctus est. *Ecclesia* (inquit Cyprian. lib. 4. epist. 9.) *cohærẽtium sibi inuicem Sacerdotum glutine copulatur.* Et Hieronymus: *Episcopi nouerint in commune debere se Ecclesiam regere.* Hoc modo quiuis Episcopus ad suum tẽpus est Christi vicarius, & ad huiusmodi omnes Christus ait, Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Proinde Ignatius ad Trall. inquit, *Episcopus* (in Ecclesia sua) *Dei Patris omnium typus est.* Cyprianus verò, *Hinc oriuntur schismata & hæreses nascuntur, quod Sacerdoti Dei* (in particulari sua diœcesi) *non obtemperatur.* lib. 1. Epist. 3. Alibi etiam, id est lib. 4. epist. 9. *Qui cum episcopo* (in particulari sua diœcesi) *non sunt, in Ecclesia non sunt.* Ignatius perinde loquitur in epist. ad Philadelph. *Quicunque Christi sunt, hi etiam cũ episcopo* (i. pastore Ecclesiæ in qua viuunt) *sunt.*

Quare, ista verba Cyprianus generatim est loquutus de omnium episcoporum authoritate quam in sua quisque diœcesi obtinet: non autem de particulari aliquo episcopi Romani iure.

Fraternitas autem illa vniuersa Cypriano non est vniuersa totius Christianitatis communio per orbem sparsa, sed vniuersa distinctæ cuiusque diœceseos fraternitas. Sic enim in 4. epist. 1. lib. scribit, *ferè per vniuersas prouincias tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & episcopus deligatur plebe presente*, &c. *Quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt ex vniuerso* fraternitatis *suffragio episcopatus ei deferretur.* Item, lib. 2. epist. 12. *Meritò illos reuertentes summo gaudio & clerus & plebis* fraternitas omnis *excepit.* Vt autem huic

collationi finem imponamus, ex Cypriani epist. ad Fl. Pupianum, lib. 4. aduersus Turriani cauillationes perspicuum addamus testimonium. *Vnde* (inquit;) *schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus qui vnus est & Ecclesiæ præest superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur?* Quæ præcedunt & sequuntur conuincunt ista omnia Cyprianum Episcopum Carthaginensem de se dixisse. Quapropter eiusmodi locos Romanum tantùm pontificem torquere, nec ad quenquam alium pertinere posse confidenter iactare, summæ cuiusdam fraudis fuit.

IIII.

Gratianvs.

De verbis Christi, Tu es Petrus, &c.

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorẽ gratiam reperit quàm amisit. Tãquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit: vt qui sibi ante infirmus fuit, fieret omnibus firmamentum: & qui se interrogationis tentatione mutauerat, cæteros veræ fidei stabilitate fundaret. Denique propter soliditatem deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamentum posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagẽ molémque cõtineat· *Distinct.* 50. *Can.* 48. *ex Ambr. Serm.* 47.

Quoniam Christus est vnicum fidei fundamentum, nec aliud poni potest, teste Apostolo, quod additur, tanquam saxum immobile, &c. ad Christum omnino referẽdum est. Petrum enim, quis ausit dicere esse fundamentum aut immobile saxum quod totius Ecclesiæ molem contineat? Legendum ergo videtur, post τὸ *posuerit*, quod tanquam saxum immobile totius corporis Christianitatis

tis compagem molémque contineat, alioquin erunt ista ἀσύστατα & absurda. Siverò ex Serm. Ambrosij, cuius fragmentum excerptum est à Gratiano, quod sequitur addamus, nihil erit difficultatis. *Petra ergo* (inquit) *pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus* 1. *Corinth.* 10. *Bibebant autem de Spirituali consequente eos Petra. Petra autem erat Christus. Rectè consortium meretur nomine, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, Petrus plantat: Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat.* Hactenus Ambrosius. Atsi Paulus plantauit, si fundamentum posuit, 1. Cor. 3. ex sententia Ambrosij æqualis Petro pronunciandus est. Idem dico de cęteris Apostolis. Porrò Soliditas deuotionis seu solida deuotio Ecclesiarum nihil aliud est quàm vera fides quæ in Christum recumbit: vt ex sequentib. Canonibus colligere licet.

Quodcũque ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictũ est, nõ hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ soluũtur in terra soluantur in cœlo (quia cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus, cũ reconciliat Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus) Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni; in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali. *Caus.* 24. *quæst.* 1. *Can* 6. *ex Augusti.*

Ne autem Sophista quispiam Petri personã cum vera Ecclesia confundat, illud obseruandũ est, Augustinum prius dixisse, tractatu videlicet 50. in Ioannem, *Si in Petro non esset Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cœlorum: quodcunque ligaueris, &c.*

Tu es Petrus, & super istam Petram [i. inquit glossa, super fidei tuę soliditatem] ædificabo Ecclesiam meam. Super vnum ædificat ecclesiam: &

quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat,& dicat,Sicut misit me Pater,& ego mitto vos.Accipite Spiritum sanctum:tamen vt vnitatem manifestaret,vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit & Petrus,pari consortio prædit & honoris & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur,vt Ecclesia vna monstretur. *Ibid. Can.18. Loquitur,ex Cypriano,de vnit. Eccles.*

Superiori sectione in hunc Canonem satis multa scripsi aduersus Turriani sophismata. Illa autem expendas Lector, ceteros videlicet Apostolos pari consortio & honoris & potestatis cum Petro fuisse participes.

Omnibus cõsideratis, puto me non temerè dicere,alios ita esse in domo Dei,vt ipsi etiam sint eadem domus Dei,quæ dicitur ædificari super petram[i.inquit glossa,*supra firmam Petram. Petra autem erat Christus.*de consecr.distinct.2.*re vera*] quæ vnica columba appellatur,&c.quæ domus etiam claues accepit, ac potestatem soluendi & ligandi. *Ibid. Can.20. ex August.lib.7.de baptismo. cap.51.*

Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur.In Petra Moyses ponitur,vt Dei speciem contempletur,quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit,Diuinam præsentiam non cognoscit.De qua soliditate Dominus dicit,Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*Ibid. Can.22. ex Greg. in moralib.lib.35.cap.6.*

Ex superiorib. Canonibus concludo, non vni sed vnitati,non membro quidem,sed Ecclesiæ, id est Christi vnico

vnico Episcopatui,cuius à singulis Episcopis in solidum pars tenetur,claues regni cœlorum fuisse datas. Deinde, Petram illam supra quam Ecclesia fundata est, non esse Petrum sed Christum ipsum & solidam in eum fidem. Anti-Gratianos autem audiamus.

Iesvvitae.

Potestatem clauium Christus ad remittenda peccata ministris Ecclesiæ,& imprimis Apostolo Petro, eiúsque successoribus legitimis, vt potè summis Ecclesiæ rectoribus,commendauit. Canis. catechism.Iesuit.pag.35.

Ministris Ecclesiæ non Apostolis dixit Iesuuita, vt fucum incauto lectori faceret. At expressis verbi scripti testimoniis istius vafrities refellitur. Ioan.20.23.Act. 1.8.Cæterum Pontifices nouæ Ecclesiæ Romanę legitimos esse Petri successores negamus. Tabulas diuinas exhibeant Iesuuitæ, aut primatum Pontificium primò humanum,tandem Satanicum euasisse,agnoscant.

Hanc Petri Cathedram,hunc Petri primatum qui oppugnant,primùm illis quidẽ magnificas promissiones Christo factas (Matth.16.Ioan.21.Luc. 22.Matth.10.Ioan.1.Matth.17.Act.1.) & mysticas regni cælestis claues illi vni traditas, aliáque multa de Petro, Apostolorum principe,ore,vertice, scripta non intelligunt Canis.catech. Iesu.pa.132.

Promissiones Petro,Sunt etiam factę cæteris Apostolis.Quòd eius nomen mutatur, quod prior aut solus loquitur,primatum potestatis minimè constituit. Vni illi autem claues traditas fuisse, Iesuuitæ nunquam euincent ex verbo Dei:& quicunque veterum scripta (quæ Canis. ad marginem huius 132.pag. affixit) diligenter perleget,cæteros Apostolos clauũ potestate priuatos fuisse, aut à Christo non donatos nunquam fatebitur. Quid sint autem illæ claues, quo tempore datæ sunt, quo-

modo ijs Petrus sit : vsus, an solus, an eas alijs Apostolis tradiderit, quomodo, quo loco & tempore, acutissimi disputatores Iesuitæ nobis ostendant. Petimus & aliud, quas videlicet claues episcopis Romanæ Ecclesiæ reliquerit, quomodo veteres & noui isti Pontifices clauibus vsi sint? An cæteri Apostoli nullas claues habuerint, nullas reliquerint? Plaustra nugarum Iesuiticarum de Petri primatu, & de clauibus, possem Lectori exhibere: sed de his quæstionibus apud illos altum silétium. Vt autē Canisianæ fidei specimē habeat lector, percurramus quem citat ad marginem pro primatu Pontificis, locum ex Basilio magno, Busæus Iesuita, integrum adscribit, pag. 134. 2. his verbis. *Petrus terriò abnegauit, & collocatus est in fundamento. Petrus dixerat iam antea, & beatus pronunciatus fuerat: dixerat, Tu es filius Dei excelsi, & vicissim audierat se esse Petram, ita laudatus à Domino. Licet enim Petra esset, non tamen Petra erat vt Christus. Vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis Petra. Petrus verò propter petram. Axiomata námque sua [dignitate] Iesus largitur aliis. Largitur autem ea non euacuatus sed nihilominus habens. Lux est: & vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, & facit Sacerdotes. Ouis est, & dicit, Ecce ego vos mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, & petram facit. Qua sua sunt largitur seruis suis. Argumentum hoc est opulenti, habere videlicet, & alijs dare.* Andreas fuit lux, ouis, pastor, & missus à Christo sicut Petrus, cum Petro, ad pascendum gregem: Iacobus, Ioannes, &c. item. Si Christus petra, propter Christum Petra Ioannes, Paulus: alioqui non Apostoli, nec stat Basilij argumentatio. Vnicúsne fuit seruus Petrus, aut Sacerdos, aut pastor? Euangelistæ aliter sentiunt & loquuntur. Viginti alia testimonia, eadē fide à Canisio producta non excutio, ne instituti nostri metas transilire velle videar.

Quid clariùs pro Petri supra omnes principatū dici potuit quàm illud Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam? Christum enim ædificare Ecclesiam suam super hanc Petram, nihil aliud est, quàm Christum Petrum

trum tanquam fundamentum in Ecclesiæ ædificio constituere, quod tanquam saxum immobile, vt ait Ambrosius, Serm. 47. totius operis compagem molémque contineat. Si autem fundamētum Petrus, primum profectò locum in ædificio habere debet (à fundamento enim incipit domus) is à nulla etiam ædificij parte dependebit, ab ipso tamen vniuersæ, vt quæ eius ope subsistant, inuicémque aptè cohæreant. Petro igitur tanquam basi nitentur huius ædificij columnæ & robora, Apostoli videlicet cæteri, non modò partes minutiores, alij nimirū pastores, ouiúmque tota multitudo. Iesuuit. Posuaniēs. in disputatione de principatu Petri. pag. 105.

Doctores Papistici de capite ministeriali varijs scriptis egerunt vt Antichristi tyrannidem fucarent. Nunc verò larua ista detracta, Posnanienses apertè constituunt Petrum fundamentum Ecclesiæ, cui totum ædificium innitatur. Distinctio aliorum hîc prorsus tollitur. Christus, vnicum fundamentum, à Petro, Paulo. 1. Pet. 3. 1. Corinth. 3. Ephes. 2. reliquis Apostolis & Apostolicis viris positum, euertitur. Quomodo autem explicandus sit locus epist. ad Galat. cap. 1. vbi Petrus columna appellatur, ipsi Posnanienses viderint. Vario (dicuet) respectu: sed eadem quæstio recurrit, quis sit ille respectus. Nemo enim aliud fundamentum ponere potest, præter id quod est positum, quod est Iesus Christus. 1. Corinth. 3. 11. Locum Ambrosij paulo ante expendimus.

Aduersarij per Petram in verbis Christi, Christum intelligi volunt: alij confessionem fidei, vel ipsam fidem quam Petrus confessus est. Sed vtrique falluntur æquè: nam in primis, si diuinæ Scripturæ interpretes patres illos veteres consulamus, doctissimam quémque vt modò Catholicos Christi verba

explanasse (videlicet, super hanc Petram, id est, super te Petrum) *comperiemus: quorum eò certior & verior habenda est expositio, quo magis inter se consentiunt, & ab ætate præsente, qua hæc de verborum Christi sententia controuersia orta est, remotiores extiterunt. Ii sunt Hieronymus in Matthæum, Chrysostomus in Matthæum, Cyprianus in epistola ad Quintum, 71. 69. 55. 63. libr. de vnit. Eccles. lib. de exhort. ad Martyr. c. 11. l. de habit. l. de pudic. Hilarius in Matth. & lib. 6. de Trinit. ante medium. Augustinus in Psal. 15. & 69. lib. 1. retract. cap. 21. Epiphanius in anchorato. Basilius lib. 2. cont. Eunomium, & in Esai. 2. Cyrillus lib. 2. in Ioannem, cap. 12. & lib. 2. thesau. Ambrosius, Serm. 47. Maximus item, Leo, Gregorius, Athanasius, Theophylactus, Psellus, Euthymius, Origenes, Procopius Gazæus, Nazianzenus: quos omnes in vnam fidem errasse, vt Tertulliani verbis vtar, per mirum est, & scribas doctos in regno cœlorum verum sensum Scripturæ non percepisse, homines autem animales, non percipientes ea quæ sunt Spiritus Dei, veram Christi sentẽtiam assecutos.* Iesuuit. Posnan. ead. disp. pag. 106. 107. &c.

Aduersarios vocãt Iesuuitę quosdam nostræ ætatis theologos: sed quis non videt eos in Veteres à Gratiano citatos impetum facere? Multorum autem multa congerunt testimonia, quibus ostendere se putant, hæc verba [super hanc Petram] idem significare, ac si Christus dixisset super te Petrum. Ne verò Thrasones isti, vt solét, nimiùm glorientur, necesse est locos ab ipsis citatos, in lectoris

lectoris gratiam excutere, vt fides & conscientia Iesuuitica magis conspicuæ fiant.

1. Hieronymum aiũt scripsisse, Quid est quod ait, & ego dico tibi? quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filij Dei viui: & ego dico tibi non sermone cassõ, & nullũ habente opus, sed dico, quia meum dixisse & fecisse est. Quia tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam. At omiserunt præcedentia & subsequentia Hieronymi verba, quę addemus, vnde colligere non difficile erit Hieronymum aliud quàm Iesuuitæ putant sensisse. *Petrus* inquit, *ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus filij Dei viui.* Paulò post. *mercedem recepit vera confessio.* Et infra. *Quid est quod ait, & ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filij Dei viui: & ego dico tibi, non sermone cassõ, & nullũ habente opus, sed dico tibi (quia meum dixisse fecisse est) Quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarẽtur, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.*

Vides, Lector, verba illa [*super te*] referri ad ea quæ prius dicta sunt, videlicet ad Petrum, ex persona Apostolorum, in Christum Ecclesiæ petram, credentem. *Super* te, igitur, id est, super Petram quam omnium nomine confessus es, in quam credis & quam ceu solidum fundamentum pones, vt hæc doctrina quæ Iesum Christum Filium Dei viuentis proponet, appellabitur fundamentum Apostolorum, id est, ab Apostolis

positum ita vt etiam super Apostolos Ecclesia fundata dici posit, quoniam videlicet vt periti architecti fundamentum illud, quod est Christus, posuerunt. Porrò audiamus quæ subiiciuntur à Hieronymo. *Vt portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ego portas inferi reor vitia atque peccata: vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad Tartarum. Nemo itaque putet de morte dici, quod Apostoli* [nominat Apostolos, non Apostolũ aut vnicum Petrum, vnde liquet superiora ad omnes applicanda esse] *conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyria videat coruscare.* Et dabo tibi claues regni cœlorũ. Et quodcunque, &c. *Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio: vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.*

Nullum hîc verbũ, vel in sequentibus (quę describere nimis prolixum foret) audio de primatu aut principatu Petri, aut pontificũ Romanorum, sed de potestate Ecclesiastica, Episcopis & Presbyteris, id est, Apostolorum successoribus, commissa.

Citant præterea Posnanien. locum epist. Hieronymi ad Damasum, vbi ait: *Cathedram Petri & fidem apostolico ore* (Rom. 1.) *laudatam, censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulãs cibum, unde olim Christi vestimenta* (baptismum) *suscepi.* Ista nihil iuuãt interpretationem Iesuiticam. Vetus Ecclesia Romana est Cathedra Petri. Ergo sũper Petrã ædificata est Ecclesia vniuersalis 3. Tertiò proferunt locum ex commentario in 2. cap. Esaiæ. *Super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed omittũt præcedentia

cedentia: domus Dei ædificata est super fundamẽtum Prophetarum & Apostolorum, qui & ipsi montes sunt quasi imitatores Christi. De interpretatione Hieronymi disputare, huius non est operis. In. 16. cap. Hieremiæ, scribit *Non solum enim Christus Petra, sed & Apostolo Petro donauit vt vocaretur Petra.* At de missione Apostolorum priùs loquutus est, nec de primatu vllum verbum, aut super Petrum fundatam esse Ecclesiam. Præterea, Hieronymus seipsum exponit in 6. ca. comment. in Amos, ad finem. *Petrus* (inquit) *Christus est, qui donauit Apostolis suis, vt ipsi quoque Petra vocentur: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Qui in istis petris fuerit, aduersariæ potestates persequi eum non poterunt.* Aliquoties, singulari numero, vt vnitatem representet, de Petro agit, ad finem commentar. in Abdiam, *Lumen Dominus Lucem appellat Apostolos: & ipsã Petra Petro donauit vt petra sit. Pastor quoque bonus illis pastorum largitus est nomina, & quodcunque dicitur de domino seruis tribuit vt dicantur. Sic ipse Saluator Apostolos suos mundi esse voluit saluatores.* 4. Quartò testimonium, ex lib. 1. contra Iouinian. allegant, quem non exprimant. Eum verò esse existimo circa medium. Hæc sunt Hieronymi verba. *At dicis, super Petram fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cunctis claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solideiur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Ista verò, quid iuuant fundamẽtum Iesuiticum? De primatu ordi-

nis agit Hieronymus, & supra, ita apertè Christum Petram constituit, vt Iesuuitæ aliud fundamentum, præter id vnum, sine manifesta blasphemia ponere nequeant. Nunc accedamus ad Chrysostomum, qui non vno in loco, inquiunt Iesuuitæ, Hieronymo astipulatur.

Chrysostomus.

Chrysostomus ergo, homilia 55. in 16. cap. Matthæi, ait, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, i. fidem atque confessionem. Græca autem habent ἐπὶ τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, id est super fidâ cõfessionis, vt etiam fert postrema parisiensis editio latina Chrysostomi, anno 1581. apud Niuellium. 2. In breui enarratione Matthæi, à Christophoro Serrarigo Italo ex Græco conuersa, hæc insunt: Super hanc Petram, hoc est super hanc fidem & confessionem. 3. Serm. de Pentecoste, tomo 3. Dixit Christus, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Qui sermones? quæ verba? Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Super hanc petram, non dixit super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei viui. Petram vocauit Ecclesiam, fluctus suscipientem & non titubantem. Et enim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super Petram? Hoc est super confessionem, super sermones pietatis. 4. In demonstratione adu. Gentiles, quòd Christus sit Deus, tom. 5. Duodecim erant discipuli sequentes ipsum, & Ecclesiam referebant, quanuis nullus tunc eam mente conciperet: siquidem nec nomen Ecclesiæ erat, sed florebat Synagoga. Quid igitur dicit? Orbe fermè toto in impietate detento, prædixit,

dixit, Super petram hanc ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Examina quid hoc verbum sibi vult, & videbis perspicuam eius veritatem. Nam non solùm hoc mirum est, quod ædificauit eam per totum mundum, sed quia inuictam fecit.

Iudicium nunc esto penes te, Lector, an Chrysostomus Ecclesiam super Petrum ædificatam esse dixerit, vt asserunt Iesuuitæ Posnanienses, nisi forte boni isti viri nouũ Chrysostomũ nobis cudunt, aut existimant nos à lectione veterũ theologorum prorsus esse alienos: ita vt nouis istis Sectariis ad somnia sua stabilienda quicquid libet confingere liceat? Eandem fidem produnt, citato Chrysostomo, homil. 38. de humilit. in fine. In ea enim nullum extat verbũ cõfessionis Petri & ædificij Ecclesiæ.

Cyprianus Iesuuitis est primatus Pontificij fortissimus assertor. Primùm autem locum citant ex epist. ad Quintum, numero 71. nouæ editionis. Nec Petrus, inquiunt, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, se vindicauit. Sed omittunt Posnanienses præcedentia & sequentia Cypriani verba. Per omnia (inquit) debemus Ecclesiæ Catholicæ vnitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hostibus cædere. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cũ secum Paulus de circũcisione postmodũ disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolẽter aut arrogãter asslũpsit, *vt diceret se primatũ tenere, & obtẽperari à nouellis & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, &*

Cyprianus.

rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facilè consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt nõ pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggerũtur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus.

Primùm igitur scopus & disputatio Cypriani non est de primatu, sed de audiendis fratribus & collegis vtilia suggerentibus. 2. Quod addit super Petrum fundatam esse Ecclesiam, alijs locis vbi expressè de hoc Christi dicto disputat, explicandum est, iuxta rectè differendi leges & eruditionis modũ. Libro. autem de vnitate Ecclesiæ, seipsum exponit Cyprianus. Hoc (inquit) erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna mõstretur. Hæc perpetua est S. Martyris sententia, quemadmodum, ex attenta omnium eius operum lectione, Christiano Lectori constabit. Idem responsum esto alijs testimonijs à Posnanienſib. citatis ex epist. 55. 63. 69. &c. Sæpius repetit Cyprianus Petrum pro omnibus esse loquutum, & Ecclesiæ voce respondisse. Sed de Cypriani consilio plura superiùs à nobis dicta sunt.

Hilarius. Hilarius Cyprianum sequitur, quẽ Iesuitæ ita de Petro scripsisse aiunt, *O in nũcupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari & omnia mortis claustra dissolueret!* At præcedentia satis supérque euincunt non Petrum sed fidem qua Christum cæterorum collegarum confessus est, intelligi: *Dei filium cælestis patris reuelatione cõspexit, digniúsque est iudicatus qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret.* Deinde citant Posnanien. locum ex lib. 6. de Trinitate. quorsum verò? vt

vt frons Iesuitica appareat? *In eo quod respondetur à Petro, Tu es Christus: confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis Petram ecclesiæ ædificatio est.* Et 2. lib. *Hæc est vna felix fidei Petra, quam Petrus ore suo confessus est.*

Prior ergo Hilarij locus fundamentum & Petram Petrum appellat, propter soliditatem fidei quam ore suo, omnium nomine, confessus est. Ad Augustinum porro deuenimus, cuius testimonio audent Posnanienses abuti, vt falsum istud dogma de fictitio Ecclesiæ fundamento confirment. Esto autem nobis venerandus ille Pater, instar multorũ in hac explicatione sententiæ Christi, & præstantissimi huius veteris Theologi auctoritatem Iesuitarum scholis opponamus. Primùm verò, quid Posnanienses proferant pag. 108. expendamus.

Augustinus (inquiunt) eandem cũ cæteris patribus non vno in loco explicationem secutus est, & im prim. Ser. 15. de Sanctis, hæc eius verba disertissima sunt: Petrum fundamentũ Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo dignè hoc fundamentũ Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. Et in Psa. 69. Petrus, qui paulò ante confessus erat eum Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia. Si autem interdum & de Christo exposuit, nihil causæ nostræ id officit: nam saltem ex verbis quæ modò attulimus, habemus clarè non repugnare fidei Christianæ, vt in Petro velut in Petra fundari Ecclesia credatur: quod tamen aduersarij volunt, & nos proinde impietatis arguunt. Augustinus.

Vestra certè hæc causa est Iesuitę: quã adeo contẽtiosè pro primatu Pontificio agitis. quid enim quęratis testan-

tur; præclara sodalitatis vestræ acta & negotiationes. Quæstus, vobis maxima est pietas. Augustinus autem à vobis citatus, non in scriptis dogmaticis, sed in homilia vna aut altera, non modò ex eius, sed etiam ex Ambrosij & aliorũ concionib. ad populum, vtcunque excepta, regulam fidei constituet? Non vos latet obscuros locos per magis perspicuos, & pauciores per plures debere exponi. De analogia fidei ad quam exigendæ sunt omnium in Ecclesia scribentium aut loquentium inrerpretationes vobiscum agere, minimè est opus, quum id à doctissimis Theologis iam olim præstitum sit. Seipsum exponat Augustinus. Testimonium ex Psalm. 69. petitum, de Petri confessione agit, supra quam Ecclesia fabricata est. Nulla enim est Ecclesia sine Christo eiúsque vera cognitione. Libri retractationũ, cap. 21. à vobis sit mentio. Quid ita? vt videlicet causæ, id est culinę vestræ congruentem expositionem retineretis, alias omnes, tanquam hæreticas, explodere tis. Vt autem fraus vestra manifesta sit, age, locum Augustini apponamus.

Dixi in quodam loco (inquit) de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatiss. Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipsa petra Ecclesia canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: vt super hanc intelligeretur quem confessus est Petrus dicẽs, Tu es Christus filius Dei viui. Acsi Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesię figuraret, quę super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed Tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia cõfitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Poste-

Posteriorem expositionem esse probabiliorem & sequendam, Augustini verba ostendunt: nam priorem quodam in loco attulit, alteram verò sæpissimè. Istam olim, presbyterii sui tempore: hanc postea & extra seruorem disputationum. Posteriores autem cogitationes piorum virorum, Augustini nominatim, sæpius sapiẽtiores & solidiores apparent. Ideo sinceras expositiones eius à vobis callidè dissimulatas, minus probabilibus locis eiusdem Augustini à vobis supra citatis, lectori Christiano proponimus, vt quam iudicauerit regulæ fidei orthodoxæ congruentem eligat & sequatur. Ea autem regula est, fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus. 1. Corinthior. 3. 11.

D. Augustinus itaque, *Serm. 13. de verbis Domini in Euang. secund. Matth.* Petrus (inquit) in Apostolorũ ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe vnus respondit pro omnibus. Ipse denique domino Iesu Christo requirenti, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante & dicente, vos autem quem me esse dicitis? respondit Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui. Vnus pro multis dedit respõsum, vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar-Iona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis. deinde addidit, Et ego dico tibi: tanquam diceret, Quia tu mihi dixisti, tu es Christus filius Dei viui: & ego tibi, Tu es Petrus. Simon quippe ante vocabatur. Hoc autem nomen ei vt Petrus à domino appellaretur impositum est, & hoc vt ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomẽ est: ideo Petrus à petra, nõ petra à Petro: quomodo nõ à Christiano Christus, sed à Augustinus.

Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc Petram quam confessus es, super hanc Petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam: id est, super meipsum Filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, ego autẽ sum Christi. Apostolus autem Paulus vbi cognouit se eligi, & Christum contemni: diuisus est, inquit, Christus? nunquid pro vobis Paulus crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi, vt Petrus ædificaretur super Petram, & non petra super Petrum.

Christianus & non imperitus lector ex hoc Augustini testimonio argumenta firmissima colligere facilè potest, quibus tota Iesuuitarum de Christi dicto (super hanc Petram) sententia funditus euertatur. Sed alios locos addamus.

Tractatu 124. in Ioannem. Vniuersa Ecclesia (inquit) fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo ait Dominus, Super hanc Petram quam confessus es, ædificabo Eccclesiam meam. Petra enim erat Christus super quod fundamentum ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe nemo aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues regni cœlorum ab eo accepit

pit in Petro, id est potestatem ligandi soluendíque peccata: quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in Petra: qua significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia.

Tractatu 50. in Ioann. Iudas malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesię, imò corpus Ecclesię, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cælorum: quæcũque solueris in terra soluta erunt & in cœlo: & quæcunque ligaueris in terra ligata erunt & in cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ soluuntur in terra soluantur in cœlo, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam Sanctam significauit.

Tractat. 10. in epist. Ioannis. Quid est, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus Filius Dei viui. Super hanc Petram, inquit, fundabo Ecclesiam meam.

Orat. contra Iudæos, Pagan. & Arrian. cap. 12. Cum ipse Dominus Christus discipulos suos interrogaret, quem dicerent homines esse Filium hominis, respõderunt, alij Heliã, alij Hieremiam, &c. Hunc cognouit Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei viui. Agnouit montem & ascendit in montem. Testimonium dixit veritati, & dilectus est à veritate. Supra Petram fundatus est Petrus, vt mortem susciperet illum amando, quem ter negauerat timendo.

Habes, Lector quædam D. Augustini fragmenta, ex quibus tibi manifesta fit Iesuuitarũ impudentia qui tam

præclarum Catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ Theologum Antichristi Romani patronum constituere conantur. Porrò, qua fide cæteros veteris Ecclesiæ Doctores nobis obtrudant, videamus.

Epiphanius.

Nec diuersam (inquiũt Posnanienses, pa. 109.) sequitur sententiam Epiphanius, in Anchor. initio, qui Petrum firmam petram, supra quam Ecclesia Christi ædificata est, appellauit.

Epiphanius non dixit supra quem, vt Iesuuitæ asserunt, pag. 104. & 105. sed supra quam, id est, vt Augustinus dicit, super me Christum quem cõfessus es ædificabo Ecclesiam. Hæc autem confessio est Ecclesiæ fundamẽtum, super quod & Petrus & cæteri omnes Christiani ædificati sunt. 1. Petr. 2. 1. Corinth. 3. Ephes. 2.

Basilius.

Addunt Posnanienses, ead pag. 109. Basilius ait, lib. 2. contra Eunom. & in Esai. cap. 2. Petrum, quoniam fide præstabat, Ecclesiæ in seipso ædificationem suscepisse.

Eunomius existimabat cum nominum Iesu, Christi, Domini discrimine, diuersitatem quoque essentiæ declarari, & filium patre inferiorem fingebat. Hanc blasphemiam Basilius refellens verè dicit hominum omniũ varias appellationes quidem esse, omnium tamen vnam esse essentiam seu naturam. Profert deinde exempla nominum quorundam, Petri videlicet & Pauli: & addit, *Audito Petro, 1. petri nomine, ipsius essentiam ex eo nomine non concipimus animo (essentiam autem nunc dico materiatum ipsum subiectum quod illo nomine nequaquam significatur) sed proprietatum quæ in illo spectantur forma quædam menti nostræ imprimitur. Statim enim audita illa vocula cogitamus Petrum Ionæ Filium, ex vrbe Bethsaida, fratrem Andreæ, à piscatione vocatum ad Apostolicum ministerium, qui propter fidei præstantiam ædificium Ecclesiæ in se recepit, τον διὰ πίστιν ὑπερέχοντα ἑαυτὸν τῷ οἰκοδομεῖσθαι τὴν ἐκκλησίαν δεξάμενον.* Non super Petrum, sed super præstantem fidem de Christo ædificata est Ecclesia. Petrus autem ædificium istudin se recepit, communi nomine omnium,

omnium, eo sensu quem Basilius ipse exprimit in homil. de pœnitentia: *Licet* (inquit) *Petrus petra esset, non tamen petra erat vt Christus. Vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra. Petrus verò propter petram.* Item, Serm. in verba Mosis, Attende tibi ipsi, ait, *Architectus es? fidei fundamentũ firmum ac tutum, quod est Iesus Christus, iactas.*

Alter locus ex Basilio à Iesuuitis citatus, is est, cõment. in 2. cap. Esaiæ, Tilmanno, Cartusiano monacho, interprete. *Domus Dei in sublimi vertice montium collocata, Ecclesia est, iuxta Pauli sententiam, dicentis: videte quomodo oportet vos conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viuentis, cuius fundamenta in montibus Sanctis. Est enim ædificata in Apostolis & Prophetis, qui eius fundamenta iecerunt, quorum vnus erat Petrus super quam Petrã pollicitus fuerat suam se ædificaturũ Ecclesiam. Intellectus enim in sublime erecti, à terrenis istis disparati, supráque hæc sese tollentes se, iure optimo montes appellantur. Anima autẽ beati Petri, meritò est petra sublimis, quod in fide radices solidè defixerit, & aduersus plagas per tentationes illatas stabiliter nec perfunctoriè se gesserit. Quicunque capaces sunt diuinæ cognitionis, propter celsitudinẽ intelligentiæ & earũ actionum quæ per eius intelligentiæ perficiũtur sublimitatẽ, hi ob vitæ integritatem vertices sunt montium, in quibus ædificatur domus Dei.* Hactenus Basilius, qui lib. de Spiritu S. in Psal. 44. & alibi Christum petrã, fundamẽtũ, & caput Ecclesiæ vocat, nec capitis aut fundamenti ministerialis vnquã meminit.

Ad Cyrillũ venio, cuius duo testimonia adscribunt Iesuuitæ. Prius est, lib. 1. in Ioann. cap. 12. Posterius verò, li. 2. Thesauri. Quod ad prius attinet, hæc sunt Cyrilli verba. *Iesus discipulũ instruit, eum se esse, qui cuncta etiam antequam fiãt nouit: nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tãquam in petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Posterius testimonium neque pictum neque scriptum reperitur lib. 2. Thesauri. lib. 12. cap. 14. sit mentio confessionis Petri: nulla autem syllaba ibi extat de Petri primatu aut fundamento. Cyrillus.

Verùm quo ad prius illud, si nullus extaret aut liber aut locus in Cyrillo qui de Ecclesiæ petra & fundamento dissereret, explicanda esset ex superioribus verbis Cyrilli sententia. Sed quoniã alia dicta extant, à Iesuitis callidè prætermissa, Cyrillum audiamus seipsum exponentem.

Lib.4.Dialogorum de Trinitate, adu. Hermiam: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferorum non prævalebunt contra illam. Petram opinor (inquit) per agnominationem aliud nihil, quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, vt non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens. *Commentar.in Isaiam.lib.3. Tom.3.* exponens hæc verba, *hic habitabit in excelsa spelunca petra fortis.* Securus (inquit) enim erit, & veluti in petra domum habens, immotam inueniet in omnibus optabilibus permansionem. Quinimo consentaneum est, his verbis petram nobis vocari, dominum nostrum Iesum Christum, in quo tanquam spelunca quædam vel ouium stabulum Ecclesia intelligitur, habens tutum & inconcussum, ita vt bene sit domicilium. Tu es enim, inquit Seruator, Petrus, & super hanc petrã fundabo Ecclesiam meam. *Comment.in Esai.li.4.orat.2.* in hæc verba, *Canite tuba, fundamenta terræ.* Quare euangelicorum vaticiniorum ministros dicimus vocari terræ fundamenta? Est enim omnium fundamentum & basis inconcussa

cussa Christus, qui omnia coercet ac continet, vt bene firma sint: in ipso enim omnes ædificamur, domus Spiritualis, compacti per Spiritum in templum Sanctum, in habitaculum ipsius. habitat enim in cordibus nostris per fidem. Fundamenta etiam proxima & viciniora nobis intelligi possunt, Apostoli & Euangelistæ, oculati testes, & ministri sermonis, facti in confirmationem fidei. Nam vbi cognouerimus ipsorum traditiones esse sequendas, rectam & minimè alienam aut deuiam à Christo fidem seruabimus. Ab ipso enim dictum est Diuino Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: petram, opinor, vocans immotam fidem discipuli. *Turrian. Iesuit.lib.2.pro epist. Pontificum,pag.136.* eandem causam de primatu agẽs, locum Cyrilli ἐν τοῖς ἑορταστικοῖς profert: quem latinè cõuersum hîc offero lectorib. vt Andabatarũ istorũ tenebricosam pugnã aduersus veritatem, magis ac magis miretur & detestetur. Petra inquit vocatur, & ei claues Ecclesiæ creditæ sunt. petra verò nihil aliud, vt arbitror, vocatum est, nomine ducto à Petro, quã immobilis & firmissima discipuli fides, super quam Ecclesia Christi ita fundata ac fixa est, vt subuerti non possit, & à portis inferni perpetuò tuta ac incolumis duret. Sed de Turriano posteà nam cum Posnanien sib. Sophistis nunc est nobis negotium.

Ambrosij locus, Serm.47, à nobis supra est explicatus. Etsi autem non diffiteor quædam Ambrosius.

in eius operibus inueniri quæ ad confirmationem sententiæ Iesuiticę recidere videtur: tamen si quis integram omnium, quæ de Petro protulit Ambrosius, collationem instituere velit, tãdem comperiet pleraque omnia ad fidem quam Petrus confessus est referenda esse: tum multa ita dici vt varium sensum facilè recipiant: deinde quædã aut ab imperitis assuta, vel ab improbis venerandi illius Patris operibus admixta: quæ si quis vrget, insulsus omnino erit, qui quæcunque occurrunt tanquam merè Apostolica dicta tueri conabitur. Nolim autem Patrum pudenda tractare vel detegere, quemadmodum Iesuitæ, nonnullique mălè feriati: qui dum singula papatus somnia ceu Dei veritatem obtrudunt, Christianam religionẽ profanis hominib. exponunt ludibrio. Si quis Iesuuita aliter sentit, candido & placido animo cum dissentientibus agat. Quæ de Ambrosio, de nõnullis aliis inter veteres dico, quibus obscuriores quidem, nec ita magni nominis, Græcos aut Latinos adiũgo. Nã si numero certare Iesuuitis aut aliis aduersariis est animus, theologos recentiores opponam. Si obiiciunt meos esse primatus pontificij hostes: regeram, suos eiusdem primatus esse iuratos patronos. Quid fiet tãdem? Eò res deueniet, vt totam Hierarchiam suam, quam vocant, humani & positiui iuris esse, ipsimet non negabunt. Deinde, quum de humano aut positiuo isto iure agendum erit, Pontifices Romanos, reos, accusatores, testes & iudices in propria sua causa fuisse constabit. Sed de his aliàs. Ad Posnanienses redeamus.

Leo.] Leonem, cognomẽto magnum, Ecclesiæ Romanæ Episcopum, nobis deinde obijciũt Posnanienses,

ses, Serm. 1. in natali Apostolorum Petri & Pauli. Quorsum autem non video, nam de expositione verborum Christi, Tu es Petrus, nulla fit mentio à Leone. Præterea, eò tẽdit tota ferè eius oratio, vt Petrum & Paulum coęquales laudet: quemadmodum ex sequentibus constat. *Vbi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi, Roma, Euãgelium Christi resplenduit, & quæ eras magistra erroris facta es discipula veritatis. Isti sunt Patres tui verique Pastores, qui te regnis cœlestibus inserendã multò melius multòque felicius condiderunt, quàm illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt. Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, &c.* Quæ addũtur postea, fortè interpretabuntur à Iesuuitis, ac si Catholicæ Ecclesiæ caput Petrus à Leone constitueretur. Sed integram periodon adscribamus.

Cum (inquit magnus Leo) *duodecim Apostoli accepta per Spiritum Sanctũ omnium locutione linguarum, imbuendum euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent: beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.*

Quibus conspicillis, nisi Iesuuiticis, poteris, Lector, hic legere, Super Petrum fundatam esse Catholicam Ecclesiam? Verùm, si sententiam Iesuuiticam amplectamur, Paulus erit alterum Ecclesiæ vniuersalis fundamentum: & ita noui isti architecti, cõtra expressum Dei verbũ

1.Corinth.3.non super vnam Christum petram,sed super tres Petras Ecclesiam ędificabunt.At Petri primatum Iesuiticum minime agnoscit,qui duodecim Apostolos terrarum partes sibi distribuisse, & Petrum ad arcem Romani imperij destinasse,asserit. Non autem Petrus, sed Roma,caput mundi appellatur:nisi velint Iesuitæ Pontificis primatum in mundanam monarchiam commutare: quod strenuè & à Pontificibus Romanis, eorúmque coniuratis iam olim procuratum est, & etiamnum tum per Iesuitas,tum per alios emissarios procuratur.

Sed ad Leonem. *Gloriæ Petri Paulum Apostolum consortem,coapostolum & consocium nominat.Tandem addit,In horum excellentia Patrum meritò est exultantius gloriādum,quos gratia Dei in tātum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit,vt eos in corpore,cui caput est Christus,quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus,quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diuersum nihil debemus sentire discretum:quia illos & electio pares, & labor similes,& finis fecit æquales.*

Quid apertiùs dici possit aduersus glossam Iesuiticam de Petri & Romani episcopi principatu, de fundamento visibili Ecclesiæ Catholicæ,de inæqualitate Apostolorum,minime video: nisi fortassis istorū Lynceorum qui tam acutum cernunt, sum talpa cæcior.

Cæterùm ex iam dictis sumenda est interpretatio eorum quæ Ser. 2. ab eodem Leone subiiciuntur.*Tu es Petrus,id est,cùm ego sim inuiolabilis Petra,ego lapis angularis,qui facio utraque vnum:tamē tu quoque petra es,quia mea virtute te solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria,sint tibi mecum participatione communia.Super*

per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum,& Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt,mortis vincula non ligabunt.Vox enim ista,vox vitæ est: & sicut confessores suos in cælestia prouehit, ita negatores ad inferna detrudit. Propter quod dicitur Petro, Et dabo tibi claues,&c. Transiuit quidem in alios Apostolos vis istius potestatis,sed non frustra vni commendatur quod omnibus intimetur.Petro enim singulariter hoc creditur,quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur.

Expende,Lector,vim singularum vocum, quarum diligentem considerationem tibi relinquo. Quod postea Leo Petrum totius Ecclesiæ principem à Christo factum esse ait, ad principatum ordinis inter Apostolos refertur, vt ex veterum testimonijs liquet. Iesuitæ aliter prorsus iudicant, sed audite eos velim quæ de successione Pontificum Leo Pontifex ibidem etiam subiungit. *Post resurrectionem suam, Dominus beato Petro Apostolo post regni claues, ad trinam æterni amoris professionem,mystica insinuatione ter dixit,Pasce oues meas: quod & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus suis,vt nulla tentatione superemur.*

Confirmat nos exhortationibus. 1. scriptis suis.hîc appositus erat locus de successione pontificia, cuius neguy quidem apud Leonem: sed Iesuitæ reclamabunt & dicent me omittere quæ sequuntur:item præclarum pro Sanctorum intercessione locum expunxisse.Etenim post verba illa *confirmans nos exhortationib suis*,addit exemplar Colonienſe.*& pro nobis orare non cessans.* At non disputamus de Sanctorum intercessione,nec quęritur an & quomodo animæ Sanctorum in cælis orent pro Ecclesiæ salute. De his suo loco.Reliqua autem addamus ex Leone.

Si autem (inquit) *Petrus hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, vbique protendit, quantò magis alumnis suis opem dignatus impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne requiescit?*

Si quid inde elicere potest ad suæ sententiæ confirmationem Posnanientis disputator, sit mihi alter Apollo. Ista autem, *sicut credendum est*, petunt principium, & à nobis reuocantur ad Augustini Canonem, Distinct. 9. *Ego solo*. Sermone 3. Leonis à Iesuitis in testimoniũ adducto eadem quæ supra annotauimus cõrinentur. Porro nõ satis mirari possum, qui fiat vt pro sedis Romanæ principatu Iesuitæ litigantes, Romanos ipsos Pontifices in causa sua testes & Iudices nobis constituant. Nec enim cõtenti Leonis testimonio, Grægorij, cognomẽto magni, & pontificis quidem Romani, authoritate Papistæ Christianos oppugnant. Veruntamen alterum hunc ex ipsa Roma eductum testem, de sede Romana dissentientem audiamus.

Gregorius

Epistola 37. lib. 6. ad Eulogium episcop. Alexandrinum. *Quis nescit sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus a Petra vocaretur?* Deinde addit. *Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate* (Romana) *conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiã quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem* (Alexandrinam) *in qua euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem* (Antiochenam) *in qua septem annis, quanuis discessurus, sedit. Cùm ergo vnius atque vna sit sedes cui ex auctoritate diuina tres nunc episcopi præsident: quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi tribuo.*

Firmata est Ecclesia, teste Gregorio, in Apostoli soliditate, qui Petrus à Petra vocatus est. Etsi verò Turrianus fidem Petri & Petrum non re sed cogitatione tantùm separari existimet. lib. 2. pro epist. pontif. pag. 136. tamen si quis verba & mentem Christi attentè consideret, fidem Petri, non vnius sed vniuersitatis esse fidem & confessionem ab vno omnium nomine factam inueniet. Quæ præterea de triplici patriarchatu in vnum conflato adduntur, requirunt tabulas diuinas, quas si Iesuitæ non proferunt, garrulitas non habet fidem.

Antequam verò ad alia Gregorij testimonia, quæ primatum pontificium euertunt, accedã, repetenda est acuta Turriani distinctio, qui vniuersalem Episcopum Pontificem negat esse: Ecclesiæ verò vniuersalis episcopum asserit, vt antea dictum est, pag. 459. Eo pacto eludit Iesuita quæcunque in Antichristi superbiam veteres & recentiores scripserunt. Sed inanis est hæc λογομαχία: quis enim existimet Gregorium in epistolis pro vocula tam acriter contendere voluisse adu. episcopum Constantinopolitanum: Sanè de summa rerum agebatur, mysterium iniquitatis Satã promouebat, quod paulò post. Phoca imperãte, Bonifacio Papa procurante, circa annũ à Gregorij morte 10. & Christi incarnatione 611. Præterea quid sibi volunt ista perpetua epitheta, Sũmus Pontifex, Pontifex Optimus maximus, Caput Ecclesiæ, & (per ridiculam antiphrasin) seruus seruorũ Dei? Addamus alia. Distinct. 96. Can. 7. Ex Nicolai Papæ epistola ad Michaelem imperatorem. *Satis ostenditur* (inquit) *à seculari potestate, nec solui prosus nec ligari Pontificẽ, quem cõstat à pio principe Deum appellatum: cũ nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestũ sit.* Item glossa in præfat. Clementin. *Papa nec Deus est, nec homo: sed neuter est inter vtrũque.* Item, *Papa nulli subest: infinita potentia Pontifici est collata: Data est ei potestas in cœlo & in terra: Dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Et c. quoniã. de immunit. in 6. Papa Ecclesiam Catholicam sponsam suam appellat, *Nos iustitiam nostram*, inquit, *& Ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere.* Canonistarum adulationes prætereo. nã istam Camarinam derexisse satis est. Et ex superioribus constat vanũ esse Turriani subterfugium, quod ex infinitis decreti testimonijs refellere possem, nisi me ad Gregorium collationis instituræ ratio reuocaret.

Videamus ergo, quid de ambitione successorum suo-

rum in ecclesia Romana, variis locis adscripserit & quàm acutis sagitis confixerit totam illam tyrannidem quæ postea per Occidentis Ecclesias longè latéque grassata est. Nec existimandum est, vt volunt Iesuitæ, Gregorium dicere, Constantinopolitanum episcopum vniuersalis nomen ita appetijsse, vt nullus esset in orbe alius episcopus. Sed primatum in Ecclesias ambiebat, & episcopi episcoporum nomen. Firma autem est consequutio. Si quis est episcopus episcoporum, in omnes episcopos ius & imperium habet. Per consequens est Catholicus seu vniuersalis episcopus. Item, qui est Catholicæ Ecclesiæ episcopus, tam episcoporum seu pastorum quàm omnium omnium est episcopus. Ideo solus & vniuersalis. Si non est vniuersalis, nec vniuersalis Ecclesiæ caput aut fundamentum. Vnus est episcopatus, sicut vna Ecclesia: vnus ergo Episcopus, pastor, caput vnum, & vnicum fundamentum, nempe Christus, qui dedit Apostolos, Euangelistas, deinde Pastores & doctores ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi: non vt dominarentur cleris, non vt quispiam in omnes imperium haberet. Ista addere volui, ne quis de vocula & re nihili Gregorium dissentasse, aut Constantinopolitanum singulos omnium Ecclesiarum episcopatus re ipsa ambijsse putet, ita vt vniuersalis, id est vnicus in terris esset episcopus, quemadmodũ Turrianus somniat. Sed ad Gregorium accedo.

I. *Epistola 32. lib. 4. ad Mauricium Augustum.* Non solus ego, inquit, sed tota turbatur Ecclesia: quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur. *Et infra.* Petro cura totius Ecclesiæ & principatus committitur: & tamen vniuersalis Apostolus nõ vocatur. & vir sanctissimus, consacerdos meus, Ioannes, vocari vniuersalis Episcopus conatur! *Paulò post.* Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorũ iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus

nullus terram cultor inhabitat. Sæuiunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriantur. *Item.* Sed absit à Christianorum cordibus nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. *Paulo post.* Ille coercendus est qui sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperij vestri se per priuatum vocabulũ superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viã ergo rectam reuertatur auctor scandali, & omnia sacerdotum iurgia cessabunt. *Postremò.* Si verò in superbia perstiterit, iam quid assequatur aspicio, quia illum sibi aduersarium inuenit, de quo scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

II. *Epistola 34. eiusd. lib. ad Constantiam Augustam.* Sunt quidam qui, iuxta egregij prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium: qui veste quidam despecti sunt, sed corde tument: & quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, simul cuncta adipisci quærunt: qui indignos se omnibus hominibus fatentur (*vide seruos seruorum Dei*) sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur. *Paulò post.* Sed cùm se noua præsumptione atque superbia frater meus vniuersalem Episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore, adscribi se in Synodo, tali hoc superbo vocabulo, faceret,

quanuis cuncta acta illius Synodi, sede contradicente Apostolica, soluta sint: triste mihi aliquid sereniss. Dominus. [*Imperator Mauritius*] innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed me magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorum & canonum statuta, humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. *Et infra.* Sed in hac eius superbia, quid aliud nisi propinqua iam antichristi esse tempora designatur? (*Nota Gregorij prophetiam*) quia illũ videlicet imitatur qui spretis in sociali gaudio angelorũ legionibus, ad culmẽ conatus est singularitatis erũpere.

III. *Epist. 36. eiusdem libri ad Episcop. Alexandr. & Antioch.* Nullus vnquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur. *Et infra.* aduersarius diabolus contra humiles sæuiens, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret: non iam, vt cernimus caulas circuit, sed ita validè in quibusdam necessariis Ecclesiæ membris dentes figit, vt nulli sit dubium, quia nisi vnanimiter fauente Domino cunctorum prouida pastorũ turba concurrat, omne quod absit, citius ouile dilanier. Perpendis, frater Charissimè, quis è vicino subsequitur, cuius & in sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia. Quia enim iuxta est ille, de quo scriptum est, Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ (*Nota Gregorij prophetiam de reuelatione Antechristi, quæ circa duodecimum ab hac epistola scripta annum impleta est.*) quod non sine graui dolore dicere compellor.

pellor. Frater & coëpiscopus noster Ioannes mãdata dominica, Apostolica præcepta, regulas patrum despiciens, eum per elationem præcurere conatur in nomine. Vestræ autem beatitudini indicet omnipotens Deus, quàm graui considerationis huius gemitu torqueor, quod ille quondam mihi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus atque ieiuniis videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate (*hypocriticæ arrogantiæ descriptio*) iactantiam sumpsit: ita vt vniuersa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem Pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare. *Paulò post.* Magnopere orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atque humilitate Ecclesiæ malum superbiæ & confusionis amoueat. Et fauente Domino omnibus viribus concurrendum atque prouidendum, ne in vnius veneno sermonis viuentia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et cùm fortasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, nullus iã Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Oportet ergo vt cõstanter & sine preiudicio seruetis sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in nobis hæc tẽtatio Diabolicæ vsurpationis adscribat. State fortes, state securi, scripta eũ vniuersalis nominis falsitate, nec dare vnquã, nec recipere presumatis. Omnes Episcop. curæ vestræ subiectos, ab huius inquinationis elatiõe phibete: vt vniuersa vos Eccl. patriarchas, nõ solũ in bonis operib. sed in veritatis auctoritate cognoscat.

Si qua autem forsan aduersa subsequuntur, vnanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus.

IIII. *Epist.38.eiusd.lib.ad Ioannem episc. Constantinop.* Quia resecanda vulnera prius leui manu palpanda sunt,rogo,deprecor, & quanta possum dulcedine exposco,vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat,nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat.*Paulò post.* Perpéde rogo,quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbetur Ecclesiæ,&gratiæ contradicitur cómuniter omnibus effusæ.In qua nimirum ipse tãtùm crescere poteris,quantum penes temetipsum decreueris. Tantóque maior efficeris, quanto te à superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis.Atque in tantùm proficis,in quantum tibi nó studueris derogando fratribus arrogare. Humilitatem ergo, frater charissime,totis visceribus dilige:per quam cunctorum fratrum concordia,& sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri.Certè Paulus Apostolus,cùm audiret quosdam dicere,Ego sum Pauli,ego Apollos,ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis dominici,per quam membra eius aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamauit,dicés,Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?Sic ergo ille membra dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus,& ipsis quidem Apostolis,subiici particulariter euitauit. Tu,quid Christo,vniuersalis scilicet Ecclesiæ capiti,in extremi iudicii es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris, vniuersalis appellatione, suppo-

supponere?Quis,rogo,in hoc tam peruerso vocabulo,nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere: vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur?Qui etiam dixit,in cœlum conscendam:super astra cœli exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti,in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? quorum vita simul & lingua inter peccata errorésque hominum quasi inter noctis tenebras lucent.Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorúmque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis,nisi,in cœlum conscendam: & super astra cœli exaltabo solium meum?*Et infra.* Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est Paulus,Andreas,Ioannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes(*attende Christiane lector*) mẽbra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam: sancti ante legem, sancti sub lege sancti sub gratia,omnes hi perficiẽtes corpus Domini,in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, qui illo nomine vocari appetit,quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. *Postea.* Certè olim clamabatur per Apostolum Ioannem; Filioli, nouissima hora est, secundum quod Christus prædixit.Pestilentia & gladius per mundum sæuit,gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis terra

Romani Antichristi reuelatio, Ecclesiæ dissipatio à Gregorio prædicta.

dehiscente sorbetur. Omnia enim, quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est: & (quod dici nefas est) sacerdotum est properatus exitus, quia ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. *Et infra.* Quid nos Episcopi dicimus, qui honoris locum ex redemptoris nostri humilitate suscepimus, & tamẽ superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce nouimus creatorem nostrum de sua celsitudinis culmine, vt humano generi daret gloriam, descendisse: & nos de infirmis creati, de fratrum minoratione gloriamur. *Paulò post.* Patrẽ nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester. Quid ergo, frater charissime, in illo terribili examine venientis iudicis dicturus es, qui non solùm Pater, sed etiam generalis Pater (*non solùm Pontifex, sed summus Pontifex, Optimus maximus Pontifex, vniuersalis Ecclesiæ caput, fundamentum, petra: denique κατ' ἐξοχὴν Papa, id est pater*) in mundo vocari appetis?

v. *Epist. 39. lib. 4. ad Arianum, Diaconum Constantinop.* Se, pene, per omnem versum, œcumenicum patriarcham nominat. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisin illius superna maiestas soluet. *Et infra.* Postquam pro vtilitate reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est, vt per inimicos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quàm fidem perdere.

vi. *Epist. 5. lib. 7. ad Cyriacum Episcop. Constantinop.* Pacem nobiscum veraciter habebitis, si prophani nominis superbiam declinatis: iuxta quod magister Gentium dicit, ô Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.

tates. Nimis quippe iniquum est, si qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur: cùm verus predicator dicat, Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ille verò ergo glorioſus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. In hoc itaque vos medullitus amplectimur. In hoc sacerdotes vos esse recognoscimus. Si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nephandi appellatione nominis scandalizati sumus.

Epist. 24. lib. 6. ad Anastasium episcop. Antioch. In suscipiendis fratris & consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola, dignum non fuit vt pro causa prophani vocabuli moras facerem, ne vnitatẽ sanctæ Ecclesiæ perturbarẽ: sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quem primus apostata inuenit. Vos tamẽ eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidẽ corrumpimus. Scitis enim quanti non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia (*de Romana autem, hæretici, Magi, Athei, Sodomitæ, & perditissimi alii nebulones*) sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis.

viii *Epist. 30. lib. 6. ad Mauricium Augustum,* Nunquid non cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolũ valde erit, sed tamen nimis

pernicioſum? Si quantitatẽ ſermonis atendimus, duæ ſunt Syllabæ. (*Papa, Caput, Petra.*) Si verò pondus iniquitatis, vniuerſa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit: quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur: quia ſicut ſuperbus ille deus videri vult ſuper omnes homines, ita quiſquis iſte eſt qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuper cæteros ſacerdotes ſe extollit. *Deinde.* Illis ergo pietas veſtra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nominis ſcandalũ gignant, qui in ſuperbiæ typhum ceciderunt. *Poſtremò.* Certi ſumus, quia ſi vos viuitis qui cœli Dominum timetis, nulla contra veritatem ſuperba valere permittetis. *Interfecto autem Mauricio, parricida & nefarius tyrannus Phocas, vt imperium ſibi conſeruaret, nomen quod toties & tam aſperis verbis Gregorius meritò damnat, Bonifacio Epiſcopo Romano largitus eſt.*

IX. *Epiſt. 13. eiuſdẽ lib. ad Eulogium Epiſcop. Alexandr. & Anaſtaſium Antioch.* Inter nos & coëpiſcopum Cyriacium, ſicut veſtra beatitudo nouit, propter appellationem prophani nominis eſt grauis diſcordia. *Paulò poſt.* Meus verò diaconus cùm prædicto fratre noſtro Cyriaco miſſarum ſolennia celebrare non debet: quia per prophanum vocabulum culpam ſuperbiæ aut commiſit, aut ſequitur: ne, ſi (quod abſit) procedit, ei in tali elatione poſito vanitatem ſtulti nominis confirmare videamur. Eundem verò fratrẽ admonere ſtudui, vt ſe à tali elatione corrigat: quia ſi hanc non correxerit, pacem nobiſcum nullo modo habebit.

X. *Epiſt. 69 lib. 7. ad complures epiſcopos.* Cogno-

Cognoſcat fraternitas veſtra Ioannem, quondam Conſtantinopolitanæ ciuitatis antiſtitem, contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectum & iniuriam ſacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe: & illicitè in Synodo ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicum, hoc eſt, vniuerſalis ſibi vocabulum vſurpaſſe. *Paulò poſt.* Eundem Ioannem ſcriptis ſemel iterúmque conuenimus, vt amoto ſuperbiæ vocabulo, cordis ſui elationem ad humilitatem, quam magiſter & Dominus noſter docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexiſſe comperimus, hæc eadem & conſacerdotem noſtrum Cyriacum ſucceſſorem ipſius cõcordiæ ſtudio non deſtitimus admonere. Sed quia iam, vt videmus, mundi huius termino propinquante, in pręcurſione ſua apparuit humani generis inimicus, vt ipſos qui ei contradicere benè atque humiliter viuendo debuerunt, per hoc ſuperbiæ vocabulum præcurſores habeat ſacerdotes: hortor atque ſuadeo, vt nullus veſtrũm hoc nomẽ aliquando recipiat, nullus id conſentiat, nullus ſcribat, nullus vbi fuerit ſcriptum admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adijciat. Sed ſicut omni potentis Dei miniſtros decet, integrum ſe ab huiuſcemodi venenata infectione cuſtodiat, & callido inſidiatori in ſe locum non prębeat, quoniam hoc in totius Eccleſiæ iniuriam ac diſciſſionem, & (ſicut diximus) in omnium veſtrum deſpectum fit. Nam ſi vnus (vt putat) vniuerſalis eſt, reſtat vt vos epiſcopi non ſitis. *Poſtremò.* Paſtorali conſtantia atque apoſtolica authoritate ſuffulti, prædonem irruentémque lupũ excludite, & in diſciſſionem Eccleſiæ ſæuienti non credite: nec de hac re, quacunque ſurreptione Synodum patiamini, quæ neque legitima quidem, nec ſynodus dicenda eſt, celebrari.

Ex tot Gregorii fragmentis hypotheſes multas extruere poteſt lector aduerſus & Pontificium primatũ & varios Papatus errores. Has autem annotare non libuit, ne in immẽſum opus iſtud creſceret. Quod autem Gregorius initio dicit, Curam & principatum totius Eccleſiæ Petro commiſſum eſſe, de omnibus Apoſtolis dicendum eſt. Paulus, 2. Corinth. 11. Incũbit mihi (inquit) quotidiana cura omnium Eccleſiarum. *Item.* Puto me nihilo inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis. Sed quid ex Gregorij dicto elicient Ieſuuitæ? Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ergo Pontifex Romanus eſt vniuerſalis epiſcopus, aut caput Eccleſiæ. At Gregorij ſententia repugnat huic ſophiſmati. Si vniuerſalitatis titulus ad quenquam omnino hominem pertineret, ad D. Petrũ maximè quidem pertineret. Ad D. Petrum autem minime pertinet. Ergo ad nullum prorſus hominem pertinet. Nunc ſupereſt, vt aliorum Patrum quos ad ſui erroris patrocinium Poſnanienſes pertrahunt, dicta percurramus.

Athanaſius.

Sequitur ergo Athanaſius, Eccleſiæ Alexandrinæ vigilantiſſ. paſtor, cuius teſtimonium, epiſt. ad Felicem, Ieſuuitæ proferunt, vt Petrum probent eſſe Catholicæ Eccleſiæ petram. Hæc epiſtola non exſtat inter opera Athanaſij, à Nannio & alijs è græco conuerſa: ſed reperitur in 1. Tomo Conciliorum, Coloniæ edito, ex emendatione Surij monachi Carthuſiani, pag. 440. hoc titulo, Epiſtola Ægyptiorum Pontificum ad Felicem 2. Papam, de infeſtationibus Arrianorum. Domino beatiſſ. & honorabili Sancto Patri Felici, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ vrbis Romæ Papæ, Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorum, &c. epiſcopi in Sancta Alexandrina Synodo congregati. *Eccleſia Romana* (vt fert epiſtola, pag. 441. col. 2.) *eſt ſacer vertex, in quo omnes* (Eccleſiæ) *vertuntur, ſuſtentantur, releuantur. Et ſicut in Chriſto Chriſtiani, & in petra, id eſt Chriſto, Petrus. Petri renouantur Eccleſiæ. Tu es enim, ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium, Petrus, & ſuper fundamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, id eſt Epiſcopi, qui Eccleſiam ſuſtinere & proprijs humeris portare debẽr, tibi ſunt confirmatæ: tibique claues regni cœlorum commiſit, atque ligare & ſoluere quæ in terra & quæ in cœlis ſunt promulgauit.* Sequentia, vt præcedentia, laudes, ſeu (quemadmodum Gregorius toties antea dixit) ſuperbos titulos Pontificis Romani continent. An verò hæc iuuant interpretationem Ieſuuiticam? Super hanc petram, i. Super te Petrum? Minime verò. Chriſtus eſt Petra (inquiunt Ægyptij) & in hac Petra Petrus eſt. Quid item ſibi volunt illa, ſuper fundamentum tuum? & cur Epiſcopi columnę Eccleſię vocantur? Scilicet, vt ſimili ſibi fundamento nitantur. Deinde, eam epiſtolam non græcè, & proinde non ab Athanaſio ſcriptam fuiſſe, multis ex indicijs colligi poteſt. Exempli gratia. *Romana ſedes eſt ſacer vertex, in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, releuantur.* Latinitas impolita eſt & barbara, ſenſuſque etiam aliquando penitus expers. Dicendi genus ipſum puerile eſt & nugatorium, quod cùm materia vacat, tum verborum inani ſtrepitu immoderatáque licentia redundat. Summa denique ea eſt aſſentatio, Romanæque ſedis exaggeratio, incredibili quadam putidorum mendaciorum congerie ſuffarcinata. Teſtimonia quædam addamus. 1. Author huius epiſtolæ, de Romana Eccleſia verba faciens, ait, *Inde Eccleſias ſumpſiſſe prædicationis exordium.* At Deus per Eſaiam ait, Ex Sione exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Quam ob cauſam Hieroſolymas religionis matricem Tertullianus vocat.

Simonem etiam Zeloten vniuersam Aphricam percurrisse, euangeliúmque prædicasse scribit Nicephorus lib. 2. cap. 40. Alios apostolos constat ex Hierosolyma ad varias mundi partes profectos esse, vt Gentibus Christum annunciarent, & æquali cum Petro potestate præditos fuisse infinitis testimonijs supra comprobatum est. Augustinus, epist. 170. & 178. Christianam religionem in Aphricam è Græcia, non Roma, primò delatam esse testatur. 2. Idem author ait, *In omnibus causis prouocare à metropolitanis ad episcopum Romanum licuisse, idque à Niceno Concilio decretum esse.* Istud autem in Carthaginiensi Concilio, cui Augustinus etiam interfuit, ab omnibus Aphricæ episcopis, numero ducentis & septemdecim, penitus explosum, triúmque Patriarcharum Antiocheni, Constantinopolitani, Alexãdrini falsum esse testimonio compertum fuit. 3. Addit, *fuit semper vestræ sanctæ & apostolicæ sedi licentia, iniustè damnatos vel excommunicatos potestatiuè sua authoritate restituere, & suis eis omnia reddere.* At ex historijs cõstat Romanum Pontificem nulla fuisse illo quidem tempore huiusce modi potestate præditum, neque illum istiusmodi homines sua authoritate fretũ restituisse, sed hoc totũ penes Imperatorẽ fuisse. 4. Ex Athanasij genuinis scriptis Iesuitæ nihil poterũt colligere quod primatus pontificij litem iuuet. Episcoporũ Romanorũ sæpe meminit, nullo addito magnificentiori titulo. Quæ enim quarto tomo legitur epistola ad Marcum, quem vniuersalis Ecclesiæ Papam salutat, Iesuuitis est infirmũ auxilium. Nam quod ibi refertur de Canonibus concilij Niceni, minime conuenit. Niceni Canones ab Arrianis combusti sunt, temporibus Constantij Imperatoris, Iulio tum pontifice Romano: quàm temporis distinctionem è Socratis etiam historia licet obseruare. Epistola autem illa, apud Marcum, qui pontifex Romanus ante Iulium fuit, nouéque ad minimum annis, antequam cremarentur Canones, mortuus est, incendium illum lamentabili querimonia deplorat. Et hæc quidem de Athanasio, ad Iesuuiticam obiectionem dicta sint.

Citant etiam Origenem, homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Sed Origenem apertiùs, & ex professo, in 16. cap. Matthæi, seipsum explicantem, audiamus. *Petra est, inquit, quisquis Christi discipulus est.* Item. *Si super vnum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? Quin alioqui num audebimus dicere, quod aduersus Petrum vnum non præualituræ sint portæ inferorum, aduersus cæteros autem Apostolos & perfectos præualituræ sint, ac non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, fit illud quod dictum est, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam? Item illud. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. An verò soli Petro dantur à Christo claues regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas acceptarus est? Quid si dictum hoc, tibi dabo claues regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cui non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequũtur velut ad Petram dicta, sunt omnium communia?* Origenes.

Inde colligis, Lector, Origenem intelligere, super vnumquemque & Apostolum & Christianum fundatam

esse Ecclesiam, id est firmitatem Ecclesiæ catholicæ oriri ex solida fide qua quilibet Christianus Filium Dei apprehendit & cõfitetur. Petra solidissima igitur Petrus, Ioannes, quiuis Christianus vocatur, propter Christi agnitionem & professionem, sine qua nulla imaginari potest Ecclesia in mundo.

Nazianzenus.

Gregorius Nazianzenus testis etiam producitur in medium à Posnaniensibus, Orat. 26. De moderatione in disput. seruanda. Sed integram eius sententiam excerpamus. Concionatores verbi Dei vult minimè esse confidentes inanisque gloriolæ cupidos, & varijs rationibus hoc morbo eos liberare conatur. Hæc autem ex consideratione ordinis Apostolici petita, maximi est momenti, quam ita proponit. *Vis aliud, quoque* inquit, *ordinis & disciplinæ exemplum in medium proferam, idque præclarum & laudabile, ac præsenti commemoratione atque admonitione in primis dignum? Videsne quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat, ille impensius ametur & supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui discipuli eũ sibi præferri æquo animo ferant. Iam cum in montem ascendendum fuisset, vt Christus corporea forma splenderet, ac diuinitatem suam patefaceret, quinam simul ascendunt? Petrus, Ioannes, Iacobus, qui ante alios erant, & numerabantur. Rursus cum animo anxio, & paulò ante passionem secedenti, precibus operam danti quosdam adesse oporteret, quinam ad eam rem asciti sunt? Iidem illi. Atque hæc Christi prælatio & electio fuit. Quid? reliqua moderatio, ordinisque disciplina, quanta? Aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud*

Iudas, aliud Thomas, aliud alius quispiam, neque aut idem omnes, aut omnia vnus, sed vicissim quisque ac sigillatim. Vbi hic morositas? vbi dominandi libido?

Quid ista ad primatum Pontificium? Deinde Petrus non vocatur fundamentum Ecclesiæ, sed in fidem suam Ecclesiæ fundamenta accepisse dicitur: quæ aliter interpretari non possunt quàm, Super hanc Petram, id est super fidem quam confessus es: non, super te Petrum. Fides enim, quę nomine omnium Dei electorum hìc profitetur & immota perpetuáque manet, distinguenda est ab hac persona quæ etiamsi Dei beneficio hac fide prædita est, tamen est mutabilis, & moritur. Quod autem de Successoribus & Pontificibus Romanis garriunt Iesuitæ, iam ante explicatum & à doctis Theologis millies refutatum est. Cæteros testes, tum à Posnanienſib. tum à Turriano, lib. 2. pro epistolis Pontificum, tum à Torrensi in Confessione Augustiniana productos, non considerabimus: tum quod ex supra explicatis, Patrum mens & sententia liquidò constat: tum quòd plus satis, horum verborum, Tu es Petrus, interpretationem expendimus.

V.

De presbyterorũ & episcoporum æqualitate.

AVDIO quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos presbyteris, id est episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros, quos episcopos, quis patiatur vt mensarum & viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorũ preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? audi testimoniũ: Paulus & Timotheus serui Christi Iesu, Omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis & Diaconis. Vis

& aliud exemplum. In actibus Apostolorũ ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi,in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regeretis Ecclesiam Domini quam aquisiuit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur eundem esse episcopum atque presbyterum.Propter hoc(inquit Paulus ad Titum)reliqui te in Creta, vt quæ deerant corrigeres,& constitueres presbyteros per ciuitates,sicut & ego tibi mandaui.Si quis est sine crimine,vnius vxoris vir,&c. Et ad Timotheũ, Noli negligere gratiã,quç in te est,quç tibi data est per prophetiã, per impositionem manuũ presbyterij. Sed & Petrus in prima Epistola: Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est,particeps:regite gregem Christi,&c. Item,2. Ioann:Presbyter Electæ dominæ. Et in alia Epistola,PresbyterCaio charissimo.Quod autem postea vnus electus est,qui cæteris prçponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiã rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euãgelista vsque ad Heraclã & Dionysiũ Episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum,in excelsiori gradu collocatum,Episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat,aut diaconi eligant de se,quem industrium nouerint,& archidiaconum vocent. Quid enim facit,excepta ordinatione, Episcop, quod presbyter non faciat? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est.Et Galliæ, & Britãniæ, & Africa, & Persis, & Oriens,& India,& omnes barbaræ nationes vnũ Chri-

Christum adorãt,vnã obseruat regulã veritatis.Si auctoritas quæritur,orbis maior est vrbe.Vbicũq; fuerit Episcop.siue Romç,siue Eugubij,siue Constantinop.siue Rhegij,siue Alexandriæ,siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas,vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit: cæterùm omnes sunt Apostolorum successores. *Distinct.93.Can.124.ex Hieronymo ad Euagrium.*

Olim idem erat presbyter qui & episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli,ego Apollo,ego autem Cephæ, communi episcoporum consilio Ecclesiæ gubernabãtur.Postquam verò vnusquisque eos,quos baptizauerat,suos putabat esse,non Christi:in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris,ad quẽ omnis Ecclesiæ cura pertineret,& schismatum semina tollerentur. *Et paulo post.* Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita episcopi nouerint se magis cõsuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores; & in commune debere Ecclesiam regere. *Distinct. 95. Can.5. ex Hieronymo in 1. cap. epist. ad Titum.*

Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoquidem & episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterásque prouincias, honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ. *Distinct. 65.Can.6.ex Concil.Nicæno,c.6.*

Ex tribus superioribus canonibus colligo,

1. Olim presbyteros & Episcopos idem eiusdémque dignitatis fuisse, idcóque distinctionem postea inuectam iuris esse merè positiui, quod tandem in sacrilegam superbiam degenerauit.

2. Episcopalem gradũ supra presbyteros, post schismata ab irrequietis ingeniis & pastoribus ambitiosis maximo cum Ecclesiarum damno per Christianum orbem inuecta, tanquam σόφισμα φάρμακον, conseruandi ordinis gratia adhibitum fuisse.

3. Ecclesiæ Romanæ Episcopum (etiam si hodie singulis Christiani Episcopi partibus & munere iuxta Canones verè Apostolicos omni ex parte fũgeretur) in alias Ecclesias earúmve Episcopos, neque ex diuino neque ex humano iure, vllam habere potestatem.

4. Parem omnium Ecclesiarum & Episcoporum esse dignitatem.

5. Orbẽ in vrbe eos includere velle, qui Ecclesiã Romanam (etiamsi purum membrũ esse concederemus) aliarum caput & Catholicam appellant.

6. Titulos, honores mundanos, priuilegia, pompas, diuitias, luxum & fastum, Romanum Episcopum aliumve (quisquis is sit) supra alios Episcopos, ceu Patrem & Episcoporum Episcopum, minimè attollere.

7. Eum verè esse Episcopum, & eadem auctoritate cum Romano, Alexandrino Antiocheno, in Ecclesia catholica pollere, quicunque Episcopali seu pastorali munere ex verbi diuini præscripto in sibi legitimè commissa Ecclesia ritè fungitur.

8. Veterem Ecclesiam, Hierarchiæ seu anarchiæ pontificiæ superbiam ignorasse, & eius initia odio habuisse.

9. Patriarchas, quos humana sapientia in Ecclesiam inuexit, fuisse coæquales: nec Romanum in alios imperium exercuisse. Nam quod noui decreti glossatores ex Nicolao primo referunt in Can. 6. distinct. 65. (Ecclesiæ Romanæ scilicet concessa esse omnia, & per consequens illam omnibus largiri formam & regulam) puerile est commentum putidúmque sophisma, quod principii petitionem vocant. Quid autem Pontificij emissarij

Iesvvitæ.

Cùm Hieronymus dicit eundem esse episcopũ & presbyterum: factúmque esse ad schismatis remedium, vt vnus eligeretur qui cæteris præponeretur, non hoc voluit dicere, neque dixit, idẽ esse episcopũ & idem esse presbyterum: sed eundem esse Episcopum & presbyterum, quod à principio quidem ita fiebat, vt propter paucitatẽ fidelium vnus & idem esset Episcopus & presbyter: cùm non esset opus in singulis Ecclesiis alio Episcopo & alio presbytero. si quidem in Episcopo presbyter cõtineretur. At postquam cæpit opus esse pluribus presbyteris, tunc non amplius erat vnusquisque idem presbyter, & idem Episcopus, ne tot essent Episcopi quot presbyteri: atq; ita fieret (vt ait idẽ Hieronymus) vt vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam, rumperet. Turrian. pro epist. pontif. lib. 5. cap. 20. pag. 445.

Quando Paulus præcipit Tito, vt in Creta cõstituat presbyteros per omnes ciuitates, scilicet maiores & minores, quales erant tunc (erat enim Creta, vt Strabo lib. 10. testatur, plures Metropoles, & centũ ciuitates, sicut nũc itẽ aliæ sunt maiores, aliæ sunt minores: par est profectò credere, vt nunc non vnius gradus presbyteri minoribus & maioribus ciuitatibus præsunt, sic Paulum Tito præcepisse, vt constitueret presbyteros non vnius gradus per omnes ciuitates, sed maioris per maiores, & minoris per minores, id quod vsque in hodiernum diem fit, secundum priscam Apostolicæ dispositionis traditionem. Sed dicent Aduersarij, at non dicit hoc expressè verbum

Dei. Fatemur: non expresse & aperte dicit, sed non continuò non dicit rem, qui eam obscurè dicit: alioqui dicamus quæ sunt in epistolis Pauli ad intelligendum difficilia, vt dicit Beatus Petrus, perinde esse vt si dicta non sint. Eodem opere pro epist. Pontif. lib. 2. cap. 16. pag. 168.

Hieronymus in Epistola ad Euagrium ita scribit. Quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, presbyteri & Diaconi in Ecclesia vendicent. Quis autem dicat, non fuisse differentiam in lege Mosis inter summum Sacerdotem, & filios eius minores sacerdotes? Quod si sunt, fuit igitur semper (auctore Hieronymo) differentia in Ecclesia inter episcopos & presbyteros. Idem rursus affirmat in epist. ad Nepotian. Repositis deinde quæ supra ex lib. 5. cap. 20. pro epist. Pontif. citauimus, addit. Idem Hieronymus, in ead. epist. ad Euagrium, cùm vellet defendere dignitatem presbyterorum contra illos qui diaconos presbyteris honorabiliores esse aiebant: quid enim, inquit, facit episcopus, quod non faciat presbyter, excepta ordinatione? Sensit igitur Hieronymus differentiam esse Episcoporum & presbyterorum, ratione ordinationis. Episcopus enim ordinare potest ministros Ecclesiæ, presbyter verò non potest ordinare, neque cætera facere quæ Episcopo ratione ordinationis cõueniunt: ea enim excipit etiã Hieronymus, cùm ordinationem excipit: quæ Damasus in epist. ad Chorepiscopos numerat. Sed quid opus est Hieronymi testimonio, vbi testimoniũ Pauli suppetit, qui ad Timotheum scribens, aduersus Episcopum, inquit, accusationẽ noli recipere, nisi sub duobus aut tribus

vibus testibus. Constat autem necesse esse, vt index maior sit iis quos iudicat. Si verbum Dei est, quod hic Paulus scribit, igitur verbum Dei negat qui episcopum & presbyterum pares facit. Docuisse sic a principio Ecclesiæ apostolos, & per linguas doctorum & prædicatorum Ecclesiæ Catholicæ deinceps per manus nobis hoc tradidisse, locupletissimus testis est Clemens Romanus. lib. 2. 3. & 8. Constit. Apost. Item Canon. Apost. 39. Concilium Hispalense secundum. Epiphanius lib. 3. tom. 1. hæresi 75. adu. Aerium, qui æquales esse presbyteros episcopis asserebat. August. in lib. de hæresib. cap. 53. Et infra. lib. primo, cap. 4. de Ecclesia & ordinationibus ministrorum: Verbum presbyteri, 1. Tim. 4. plures presbyteros hoc loco, id est plures episcopos significat: quia quæ presbyteris conueniũt in episcopo insunt. Idcirco episcopo conuenit nomen cõmune presbyteri, quod est alioqui proprium alterius inferioris ordinis. Vt Angeli nomen proprium quidem est eius ordinis, qui est in cælesti hierarchia extremus, commune verò omnium ordinum superiorum: quia habent superiores ordines proprietates ac virtutes inferiorum: inferiores verò, superiorum nõ ita. Sic beatus Petrus Episcopos vocauit presbyteros, & se compresbyterum, id est coepiscopum, cum ait: Presbyteros ego, id est seniores, qui in vobis sunt, obsecro compresbyter, id est consenior. Episcopos enim alloquitur, qui cleros habebant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, tum per singulas ciuitates non paruas, quæ sedes erant episcoporũ: tum per Metropoles, quæ erant sedes archiepiscoporum. Rursum Theodoretus, interpretans idẽ nomen pres-

byterij: presbyterion (inquit) vocat eos qui Apostolica gratia donati sunt: hi autem sunt episcopi, qui locum tenēt Apostolorum, vt S. Anacletus in epist. 3. ait: Presbyteri verò locum 70. discipulorum. Idcirco propria episcoporum sunt, vt in eorum ordinatione promulgatur, iudicare, interpretari, consecrare, in quo potestas ordinādi cōtinetur. Hæc enim ad charisma Apost. facultatis pertinent. Præterea etiam Theophylactus interpretās idem verbū presbyterij, sic ait, Cum impositione manuū presbyterij, id est episcoporum: nō enim presbyteri episcopū ordinabant. Vide verò quātum impositio manuum sacrarū valeat. Quis vnquā cogitasset aduersarium tam obtusum & tardum esse, & tam parum intelligentē, vt potuerim videri illi concedere hîc idē esse episcopos & presbyteros, quia interpretatus sum in eo loco Pauli vocari presbyteros, eos qui erant episcopi, Timothei ordinatores? nō enim statim à principio hæc nomina discreta ac distincta fuerunt, vt postea sunt. Obseruauit hoc etiam Theodoretus in epist. ad Philip. interpretans enim inscriptionē epistolæ [Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconis.] Cum episcopis, inquit, id est presbyteris: vtroque enim inquit nomine tunc vocabātur: vt ex historia Apostolorum perspici potest, cùm vocatis presbyteris Ephesiis Miletum, dixit Apostolus, Attendite vobis & vniuersō gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos. Et in epist. ad Titū. Propterea (inquit) reliqui te Cretæ, vt constituas presbyteros: ac paulò post, vt doceret quales esse deberēt, qui erant ab eo cōstituendi: oportet

oportet (inquit) episcopū, &c. quod etiā hoc in loco perspicuum est: coniungit enim diaconos cum episcopis, non facturus aliā mentionē presbyterorū. Adde quod multi episcopi non possūt vni ciuitati præesse. atq; Epaphroditum quidem in hac eadē epist. apost. Philip. appellauit, quæ appellatio satis declarat fuisse illum Apost. Philipp. Hactenus Theodoretus. Die, aduersarie, similiter concedere per impudentiā Theodoretum, quod negat: negat enim idem esse episcopum & presbyterum, siquidem vnus tantùm erat Philippensium episcopus, scilicet Epaphroditus, quia Philippis quæ erat vna ciuitas Macedoniæ, plures episcopi esse non poterant, vt quidem erant multi presbyteri: & tamen idem Theodoretus presbyteros ait vocari hîc episcopos cōmuni nomine. Itē, Theophylactus, Episcopos, inquit, vocat ipsos presbyteros: non enim in vna ciuitate multi esse poterāt, quia nondū erāt discreta nomina: quin potius qui erāt episcopi, Diaconi & presbyteri vocabātur. Ait enim Timotheo, qui episcopus erat, Diaconiam tuam, id est tuum ministeriū imple. Et rursus, Nōli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuū presbyterij, id est episcoporū: non enim presbyteri episcopū ordinabant. Contra verò, presbyteri vocabantur episcopi, tanquā speculantes etiā in populū, ad purgādum & illuminandū eos qui purgatione & illuminatione egebāt. Turriā. aduc. capita posterioris disp. Freyhubij, à pag. 399. ad 409 ltē 2. libr. defēsionis adu. Sadeelē, à pag. 194. ad 238.

Nullam hîc aduersus varia Turriani sophismata disputationem instituo, quum id iam antea abunde præstitum sit ab eruditiss. Theologo, A. Sadeele, scriptis editis, ex quibus lector tādem colliget veram sententiam mihi satis est ostendisse, tum ex Hieronymo, tum ex ipsius

Turriani declamationibus Gratianum esse Anti-Iesuitam. Quod vt liqueat, quasdam Turrianicas hypotheses ex superioribus dictis colligo, quæ Gratiani Canonibus oppositæ viam ad iudicandum aperient.

1. *Presbyteros & Episcopos non idem fuisse, sed aliquoties presbyterum & episcopum eundem simul fuisse propter paucitatem fidelium. Hanc distinctionem, traditionis esse Apostolicæ, & iuris diuini. Episcopum autem supra presbyteros esse, & Paulum Tito præcepisse, vt Episcopos per maiores ciuitates, presbyteros per minores constitueret. Ista quidem expresse & aperte non tradi in verbo scripto, sed tamen recipienda, tametsi obscurè dicta: alioquin reiiciendæ essent ipsiusmet Pauli epistolæ, quoniam sunt ad intelligendum difficiliæ quæ in illis continentur.*

2. *Sub lege discrimen constitutū est inter summum Pontificem & Leuitas. Sub Euangelio idem constituendum est inter Episcopos, presbyteros & diaconos.*

3. *Differt Episcopus à presbytero, ratione ordinationis, id est, presbyter non potest ordinare, neque cætera facere, quæ Episcopo ratione ordinationis conueniunt. Et est Episcopus sicut Aaron, presbyteri verò sicut filij eius.*

4. *Aduersus presbyterum accusatio non est recipienda, nisi sub duobus aut tribus testibus. Timotheus, ad quem Paulus hoc scripsit erat Episcopus. Iudex autem est maior iis quos iudicat. Ergo Episcopus & presbyter non sunt pares.*

5. *Clemens Romanus ait Episcopum esse caput*

put presbyteri. Ergo presbyter est inferior Episcopo. Item presbyteros esse Episcopi consiliarios, vnde sequitur presbyteros Episcopis esse minores. Item, Episcopus tribuit presbyteris potestatē baptizandi, sacrificandi, benedicendi, prædicandi. Est igitur episcopus maior presbytero.

6. *Canon Apostol. 39. iubet presbyteris & diaconis, vt nihil sine episcopi permissu & auctoritate in Ecclesia faciant. Sequitur inde Episcopū presbyteris esse superiorem.*

7. *Episcopus est caput cleri & princeps populi. Est igitur presbyter infra episcopum. Ratio. Si enim æqualis esset, duo capita clerus haberet.*

8. *Christus, ait Clemens lib. 8. constitut. Apostolic. Apostoli constituunt Episcopos, Episcopi presbyteros. Ergo presbyteri sunt inferiores Episcopis.*

9. *Concilium 2. Hispalense prohibuit ne presbyteri ad presbyterium alios promouerent, sed episcopo intactum relinquerent hoc munus. Sunt igitur Episcopis inferiores.*

10. *Epiphanius & Augustinus hæreseos damnant Aerium, qui presbyterum ab Episcopo nihil differre asserebat. Ergo hæretici sunt qui presbyterum & episcopum idem esse contendunt.*

11. *Presbyterium apud Paulum significat Cœtum episcoporum qui Timotheo manus imposuerunt. & Theodoretus vocat presbyterium eos qui Apostol. gratia sine charismate donati sunt. Episcopi autem Apost. locum tenent: & presbyteri 70. discipulorum sunt successores. Ergo Episcopi præcellunt.*

12. *Theophylactus presbyterium dicit significare cœtum Episcoporum. Ratio. Quia presbyteri episcopum non ordinabãt. Ergo Episcopi sunt presbyteris præstantiores.*

13. *Idem Theodoretus & Theophylactus affirmant vtrog; nomine episcopi & presbyteri Ecclesiæ pastores tẽporibus Apostolorũ fuisse appellatos. quia in vna ciuitate multi Episc. esse nõ poterãt, & nondũ erant discreta nomina. At postquã cœpit opus esse pluribus presbyteris, tunc nõ amplius fuit vnus quisque idem presbyter & idem episcopus, ne tot essent episcopi quot presbiteri.*

Ex hac analytica declamationũ Turrianicarum dissectione vides lector Sophistam extra mẽtas disputationũ Theologicarum vagãtem, nouas verborum & rerum significationes fingentem, statum disputationum mutantem, perpetua principij petitione, ignorantia elenchi, amphiboliis, & falsissimis propositionibus Ecclesiæ Dei illudentem. Petimus à Turriani discipulis diuinas tabulas. Quod enim de electione Timothei ab episcopis non à presbyteris facta, quemadmodum sine scripti verbi auctoritate, contra expressam Apostoli vocem, impudenter à Turriano prolatum est, confidenter reicio. Tandem, ũ Sophistæ fides adhibetur, Paulus ex Apostolo fuerit Episcopus, ipse enim imposuit Timotheo manus, quod factum fuisse in coetu presbyterorum qui Paulo adhæserunt, ex circunstantiis locorum & testimoniis Scripturæ facilè colligi potest. Timotheus Euangelista fuerit etiam Episcopus, cuius officium in eo consistit vt iudicet, interpretetur, consecret. Iterum autẽ ludit Turrianus, nec de prædicatione verbi & iis quæ Timotheo præcipit Paulus aliquid in medium affert. Quæ sit item vera vocum Episcopi & presbyteri significatio, aut quale fuerit presbyterorum munus nõ aperit: tantùm vult eos tanquam consiliarios asse disse Episcopo: & in perpetuum gyru falsissimæ interpretationis inclusus, apostolicã & apostolicorum

vitorũ διαταξιας in Pontificiã tyrannidẽ trãsformat. Quod autem ad testes à Turriano productos, aliquid est nobis addendum. Primùm autem, Pauli apostoli auctoritatem & D. Hieronymi suffragium maioris ponderis esse existimo quàm vt à Clemente Romano & similibus euerti queat. Deinde, ad omnia Hieronymi argumenta Turrianũ minimè respondisse liquet: non enim meminit eorum quæ à Gratiano Can. legimus, distinct. 93. circa medium, recitãtur. *Alexãdria* (inquit Hieronymus) *à Marco Euãgelista vsque ad Heraclã & Dionysium Episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant.* Igitur, iuxta sententiam Hieronymi, nõ episcopi, sed presbyteri episcopum eligebãt, id est quem magis idoneum nouerant qui compresbyterorum suorum cœtui præesset, in schismatis remedium. Quod additur postea, *Quid enim facit, excepta ordinatiõe episcopus, quod presbyter nõ faciat?* non iuuat Turrianum, qui ordinationẽ tribuit solis episcopis: nã Hieronymus nominationẽ & collocationem in gradu episcopali presbyteris concedit. Vide igitur, candide lector, nũ legendũ sit *accepta ordinatione*, vt sit sensus: ille qui ordinatus est à cõpresbyteris episcopus, nihil facit, quod presbyter non faciat. Cur igitur præsit? Dices, accepit ordinationẽ, & moderatur cœtus Ecclesiasticos cõsilia & actiones. Vel, si vulgatã lectionẽ retineas, idem sensus recurret, episcopũ videlicet presbyteros non antecellere, nisi ordinatione, id est quatenus à presbyteris ordinatus est.

Clementem Romanũ apostolorũ æqualẽ fuisse, Turrianus, Bouius, Venradius, & alij affirmãt: & ipse Clemens se ab Apostolis cõstitutũ nominat. De eo autẽ Hieronymus in catal. scriptorũ Ecclesiast. & Honorius Augustodunensis episcopus, lib. de luminarib. Ecclesiæ, ita loquũtur, vt constitutionum Apostolicarum non meminerint. Duas eius epistolas tantùm exprimit Hieronymus, & addit, *Disputatio Petri & Appionis* (lego Simonis, magi illius videlicet) *longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio historiæ Ecclesiasticæ volumine arguit.* Et Honorius, *scripsit Clemens* (inquit) *epistolam ad Corinthiorum Ecclesiam valde vtilem, & itinerarium Petri, & disputationẽ Petri & Appionis, & multa alia quæ inter apocryphã numerãtur.* Vnde ergo

hic Clemens græco-latinus? Quid si nunquam fuit à Clemente conscriptus? quid si ab hæretico scriptus est? fuit sanè priscis temporibus tritum libros impietatis plenos in lucem edere, Apostolorum aliorúmque Sanctorum patrum titulis ac nominibus fucatos, de quib. Leo Romanus, *Apocryphæ Scripturæ*, inquit, *quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus tradendæ sunt.* Gelasius, dist. 15. Can *Sancta*, meminit Itinerarij Petri, quod Clementi tribuitur, cõmentis octo libros quos appellat apocryphos. Bessarion Cardinalis, tractatu de sacramento Eucharistiæ, ita de his constitutionibus scribit: *Licet hæc Clementis verba inter apocryphas Scripturas commemorari soleant, placet tamen vt eis in præsentiarum tanquam veris assentiamur.* Sic Clementem videmus à Hieronymo & Honorio improbatum, à Bessarione in dubium vocatum, à Gelasio parum clementer exceptum, & damnatii. Sed fuerit à vetere quodam hic constitutionum codex scriptus, vnde hausit ista, *Episcopus est caput presbyterorum: presbyteri* (inquit) *accipiunt ab episcopo potestatẽ baptizandi, sacrificandi, &c. Episcopus est caput Cleri & princeps populi. Presbyteros nefas est ordinationes clericorũ facere*: & cętera id genus? Cedo verò tabulas diuinas: alioquin garruhitas apud Christianos nõ habet fidẽ. Quod si ad Canones ordinatiõ & electionũ Ecclesiasticarũ pleráque istius Clementis examinantur, inepta & falsa ea esse deprehendet attentus Lector. Et si Episcop. caput est cleri & princeps populi, quid fiet Petro dicenti presbyteris seu episcopis, Pascite Dei gregem, prõpto animo, non vt dominantes cleris, sed vt qui ũtis exemplaria gregis. Quot capita tandem Ecclesię Dei fabricabantur? Quis Clementem sic loquentem Petri successorem discipulum appellet? De Canonibus Apostolorum, vt vocant, supra egimus. Concilij Hispalensis decretum ἀπαξ ἰαν in cuiusdam particulari electionis sub Episcopatu humano, perstringit. Statum verò quæstionis mutat Turrianus, qui Hieronymi argumentis satisfacere debuit.

Ad Epiphanium accedo, cuius rationes si quis expendat, leuissimas esse deprehendet. Aerius presbyter, cui præfectura Ptochodochij commissa erat, quum eius liberam administrationẽ habere non posset, propter Eustathij episcopi (qui totam pecuniarum ecclesiasticarum œconomiam & tractationem sibi vsurpabat) auaritiam, primùm dissensiones & rixę ortę sunt: deinde contentiones grauissimæ, demum aperta odia & diuortia, & quæstiones natæ de iure presbyterorum & episcoporum, tum de iurisdictionis vtriusque muneris finibus: quæ ex malis initiis profectæ, primùm offendicula pepererunt, postea schisma, hæresin denique effecerunt. Sed quæstionis est, vtrum Aeriani pro hæreticis sint habendi, an potius Eustathiani, qui videntur magna Antichristi tyrãnidis fundamenta illo suo dogmate iecisse. At Epiphanius & Augustinus (inquiunt) Iesuitæ, Aerianos damnant. Primùm Augustinus simpliciter dicit Aerianos docuisse quod episcopus non potest ordinare: quòd si verum est, disciplinam Ecclesiæ confundebat Aerius. Nec tamen inde sequitur quod vult Turrianus, episcopum & presbyterum non fuisse idem temporibus Apostolorum. Disputator iste tempora, quæstionum & controuersiarum statum, testimonia verbi scripti, probatorum patrum, apocryphorum librorum, Turrianica fide collecta, miscet & temerè confundit, vt turbatum lectorem facilius in tetros errores Iesuiticæ scholæ pertrahat. Epiphanius quidem multis in patrocinium Eustathij propositis, addit Aerium dixisse, Episcopum nihil differre à presbytero: vnũ enim esse ordinem, vnum honorem & vnam dignitatem. *Imponit manus episcopus: ita etiam presbyter lauacrũ dat episcopus, similiter & presbyter: dispensationem cultus diuini facit episcopus, etiam presbyter. Sedet episcopus in throno, sedet etiam presbyter.* Refutationes Epiphanij non attingo, nam æquum est patrum nævos intactos reinquere: nec erroribus aut hæresibus Aerij faueo. Si quid enim inuexit, quod verbo Dei repugnans sit inuentum, id totum seu in literas relatum, seu temporis manu sepultum est, detestor. Cæterum, neque Theodoretus, in hæretic. fabul. 4. libris, nec tota historia Ecclesiastica, Aerianorum tam quam hæreticorum meminit, & si ante Socratem, Sozomenum, Euagrium vixit Aerius, nempe circa annum à

Christo passo 340. & temporibus Epiphanij, vt ipse scribit: quæ tamē eadem Eustachianos cōtemporaneos sepe commemorat inter hæreticos, adeò vt à paucis Aerij sententia damnata videri possit. Ac certe, si quis ea excipiat, quæ cum Arianis de Christi Deitate sensisse fingitur potius quàm probatur Aerius, nihil erit quod iustè in illius dogmate mentióque reprehēdi possit. Sed insolentes iam episcopi, & imperitando magis quàm pascendo gregi assuefacti, contra Petri præceptum, tam liberas aduersus suam superbiam insolentiā & tyrannidē voces ferre non poterant, & iam tū agebant quod Pontifex Rom. crudelius postea imitatus & exequutus est, vt haberent pro hæreticis quicunque aduersus eorū vitia, vel ordinis ipsorū peccata mutire auderent, quanquā illorum fastus & arrogantia iam Audeanis occasionem recedendi ab Ecclesia præbuisset. Itaque cùm Aerianis nihil aliud impingere possent, affinxerunt eos cū Arianis sensisse, connubia damnare, esu carnium superstitiosè abstinere. Prolixiorem verò huius dissidij explicationem attexere minimè necesse est. Illud vnum addam, Ephiphanium ipsum tādem coactum concedere hanc distinctionem inter episcopos & presbyteros tempore & seculo Apostolorum nondum fuisse: quasi verò in regenda Ecclesia posteri nósque ipsi Apostolis sapiētiores simus. At propter paucitatem fidelium id factum est, inquit Turrianus. Profer verò testimonium ex scripto Dei verbo, immò infinitas Ecclesias per Asiam & alias mundi partes per Apostolos & Euangelistas collectas fuisse, ex historiis constat, nec tamen ex probatæ fidei scriptore euincet Iesuuita episcopos fuisse capita cleri & populorum principes.

Ad Theodoretum quod attinet, dicit quidem presbyterion vocari ab apostolo eos qui Apostolicā gratiam acceperunt. Et addit, ita etiam eos qui erant honorati in Israel, diuina Scriptura senes. i. id est presbyteros vocauit. Cur verò presbyteros apostolica gratia priuaret, qua episcopi soli (vt vult Turrianus) induerentur? Eodem recidit quod in vers. 3. cap. 1. ad Tim. idem auctor scribit, ex-

ponēs illa verba, si quis episcopatū desiderat, &c. *Post leges episcopales, eas scribit Paulus quæ diaconis cōueniunt, prætermissis presbyteris. Sed vt dixi, inquit, eosdem olim vocabant episcopos & presbyteros, eos autem qui nūc vocantur episcopi, nominabāt Apostolos? Procedente autem tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs qui verè quidem erant Apostoli, episcopatus autem appellationem imposuerunt iis qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus.* deinde addit. *Verumtamen etiam si has leges constituit diuinus Apostolus, clarum est quod has leges oportet primos seruare episcopos, vt qui sint maiorem dignitatem assecuti.* Attende Lector. Qui nunc vocantur episcopi, nominabantur Pauli tempore Apostoli. At Apostolus Petrus vocat se presbyterum. Non solùm igitur presbyterum & episcopū eundem, sed idem fuisse apparet. Presbyteros esse consiliarios episcopi non diffiteor, modò ille maneat compresbyter, nec in cleros dominatum assumat: sitque τάξεως ordinis & ἐυταξίας in domo Dei cōseruandæ gratia, inter collegas suos sedens, non autem regiam aut prætoriam potestatem in Ecclesiam vsurpans, vt ab antichristi manipis factum est. Theophylactum recentiorem theologum, ex veterum puriorum scriptis intelligi & explicari debere ratio postulat. Et de his quidem hactenus.

An Episcopi Romani & aliorum Episcoporū equalis sit potestas.

Aduersarius non considerat (*inquit Turrianus*) quemadmodum Papam cum alijs episcopis Hieronymus in epistola ad Euagrium exæquet, verum ratione ordinis, an ratione potestatis clauium, siue potestatis ligandi & soluendi, quæ dici solet potestas iurisdictionis. Atqui ex ipsa epistola intelligere potest, æquare quidē ratione ordinis, quæ est potestas super corpus Christi verum, sicut altera potestas clauium est super corpus Christi mysticū, quod est Ecclesia. Quia ergo erant quidam, qui diaconos presbyteris anteferrent, quo eorum temeritatem magis retunderet, ait perinde esse æquare diaconos presbyteris, vt æquare diaconos episcopis: quia in episcopis sunt presbyteri, & quatenus episcopi presbyteri sunt, æquales

sunt presbyteri episcopis. Idcirco enim subiungit Hieronymus, *Ad quorum preces* (scilicet episcoporum & presbyterorum) *Christi corpus & sanguis conficitur.* Rursus episcopi ratione sacerdotii omnes sunt æquales, vt idē Hieronymus ait: *Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, eiusdē est meriti & sacerdotij.* i. non magis est episcopus, Romanus episcopus: quàm est episcopus, Eugubinus episcopus: sūntque omnes episcopi successores Apostolorum, qui ratione sacerdotij æquales quoque fuerunt. *Potentia autem diuitiarū, vel paupertatis humilitas, non facit sublimiorem, vel humiliorem episcopum:* non dixit, maior, aut minor potestas clauium, siue ligandi & soluendi, non facit sublimiorem, aut inferiorem episcopum: sed potentia diuitiarum, aut paupertatis humilitas. In hac enim potestate, quæ ad gubernationē Ecclesiæ Catholicæ, & curam ac potestatem pastoralem pertinebat, non fuerunt omnes apostoli æquales: quin potius vnum Petrum cæteris apostolis præesse voluit Dominus, quamuis omnes essent Apostoli: & quatenus presbyteri & episcopi æquales, ratione ordinis. Quod si Hieronymus Pontificem alijs episcopis in omni potestate æquabat, cur dixit ad probandum æquales esse, *Vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, eiusdem meriti est & sacerdotij?* & non dixit, eiusdem est potestatis & honoris? præesse enim alij, non est maioris sacerdotij episcoporum, quatenus episcopi sunt, sed est maioris potestatis & honoris eorum. Si quidem vna est ratio sacerdotij omnium episcoporum, sicut vna item est ratio sacerdotij omnium presbyterorum. Duo namque sunt ordines sacerdotum, vt ait S. Anacletus, in epist. 3. id est episcoporum & presbyterorum. Quod autem dixit Hieronymus

ronymus, *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe:* hoc dixit, quia illi, qui Diaconos presbyteris æquabant, ex consuetudine vrbis Romæ argumentum ducebant. Sic enim ait Hieronymus, *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur?* respondet, *quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem?* Huc igitur spectat quod paulò antè dixerat, Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. quod perinde est, acsi diceret, si ista cōsuetudo Romæ est, tametsi non reprehendo, at in aliis ecclesiis non est. Sic Hieronymo visum est respōdere, cùm alioqui in promptu esset ratio illius Romanæ cōsuetudinis, cur scilicet ad testimoniū diaconi presbyter ordinaretur: nempe quia diaconi sunt, vt ait Clemens Romanus, tanquam oculi episcopi, circunlustrantes vniuersos actus Ecclesiæ ad renunciandum episcopo: presbyteri verò non ita. Idcirco non adhibebatur testimonium presbiteri ad ordinationem diaconi: non tamen ex eo sequebatur, vt diaconi essent presbyteris humiliores. Similiter cùm ait Hieronymus, *Nec altera Romæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est,* significat eandem esse regulam fidei in omni Ecclesia Dei, quæ est pars Ecclesiæ vnius Catholicæ per cunctum orbem diffusæ, quod statim explicat idem Pater Hieronymus, cùm subiungit: & Galliæ, & Britāniæ, & Africa, &c. vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Quia verò aduersarius B. Hieronymi authoritatem, quam sciebat esse magnam, in primatum, vt eum pondere & grauitate tanti authoris inclinaret, irrito conatu torsit: nos rursum eiusdem authoritatem in ipsum, vt saltem erubescat, si quid fortè pudoris reliquum fecit, retorqueamus. Sic enim ad Damasum ex Syria epist. 57. scripsit: *Ego*

nullum primũ nisi Christũ sequẽs, beatitudini tuæ id est, Cathedræ Petri cõmunione consocior. Super illã petram ædificatã Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnũ comederit, profanus est. Si quis in arca non fuerit, peribit durãte diluuio. Eũ dicit extra domum comedere agnũ, qui Cathedræ Petri cõmunione nõ consociatur, sicut se dixit cõsociari, eundémque ait nõ esse in arca Noe, ac periturum regnante diluuio. Rursus ad eundẽ Damasum in altera epist. *Ariana*, inquit, *rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat: monachorũ circa manẽtũ antiqua in me surgit authoritas, ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est.* Turr. lib. de Eccles. & de ordin. ministr. Ecclesiæ adu. Freyhubium. Cap. 10.

Hoc vult Turrianus, insignis latebro aduersus Gratiani ex Hieronymo Canonem declamitans.

Omnes episcopos ratione ordinis & Sacerdotij æquales esse: ratione verò potestatis clauium, seu ligandi & soluendi, quam vocat potestatem iurisdictionis, Episcopum Romanum alijs omnibus maiorem esse. Quod se tribus argumentis probasse existimat.

1. A potestate quam Christus Petro concessit. Voum enim (inquit) Petrum in hac potestate quæ ad gubernationem Ecclesiæ Catholicæ & curam ac potestatem pastoralem pertinebat, cæteris Apostolis præesse voluit Dominus, quamuis omnes essent apostoli: &, quatenus presbyteri, & episcopi, æquales ratione ordinis.

2. Ex verbis Hieronymi, à Gratiano citatis, quæ Turrianus in medium methodo sibi familiari, id est planè Sophistica produxit.

3. Ab auctoritate eiusdem Hieronymi, locis aliquot epistolarum ad Damasum expressis, quibus sui Põtificis primatum ita confirmatum esse somniat, vt de eo nemi-nem, nisi hæreticos profligatissimos, litem mouere posse aut velle opinetur.

Ego vero, Lector Christiane, si singula Turr. sophismata, quib. verborũ Hieron. robur eneruare conatus est, tibi exhibuero, iustum volumẽ cõficere cogar. Quædã igitur

indicasse sat erit, quæ ad alia detegẽda tibi lucem facient.

Primùm autem, quomodo Episcopi ratione ordinis sint æquales: item quis sit ordo ille, & in quo hæc æqualitas consistat non aperit Turrianus. Quæ æqualitas est inter pedes, brachia & caput? Quis ordo inter episcopos quorum vnus est episcopus, caput, pater? Æquales sunt (dicet) quatenus episcopi, sed nomine tenus, non reipsa: id est apostoli non Episcopi. Nullus ordo certè nisi inter æquales: at æquales non sunt maiores & minores episcopi, quandiu maioritas & minoritas (in re barbara & horrẽda horridis barbarisque voculis mihi liceat vti) manent. Canonistarum putidas adulationes omitto, quibus constat ordinem à Turriano constitutum esse imaginariũ. Quæ communio episcopi Romani cum alijs, qui ceu viles animæ aut bruta mancipia ad idoli huius pedum oscula cadunt? Ordinem Concilij Tridentini forsitã nobis obijcient Iesuitæ: vbi scilicet omnia ex Põtificis vnius nutu & iussu, inimicis amicisque non paucis reclamãtibus, sunt definita? An ordinem episcopalem, id est ordinationem proferent? At quantum ùt discrimen inter Pontificum, Cardinalium, Patriarcharum & Episcoporum consecrationes Iudaicethnicas, ipsorum rituales libri satis supérque declarãt. Sed cur inter inordinatos & ἀτάκτους ordinem tampridem sepultum quærimus? Porro, si ratione ordinis æquales sunt episcopi, eadem etiam iurisdictionis potestate æqualiter fruuntur: alioqui non modò turbatus sed omnino extinctus iacet ille ordo. In ceremonijs enim non tantùm consistit, sed præcipuè in administranda Dei Ecclesia, cuius pars in solidum ab vnoquoque Christiano episcopo tenetur. Iterum respondebit Iesuita ordinem rectè constitutum exigere, vt quispiam primas teneat, cæteri omnes sequantur pro ratione circunstantiarum, id est vt Turrianus alibi ait, prout erunt in maioribus aut minoribus ciuitatibus cõstitutæ Ecclesiæ, quas in patriarchatus, archiepiscopatus, Episcopatus & presbyteratus trãsformat, nulla habita eruditorũ & piorũ Pastorũ ratione. At in Orthodoxa & verè Catholica Ecclesia Christus primas tenet: cæteri oẽs pastores gregis stationẽ suam pro virili tuetur, verbũ Dei annũciãt, disciplinã Ecclesiasticam

diligenter conseruant, & quoniam sunt æquales, symmystæ,collegę,compresbyteri,cœpiscopi,vno animi cõsensu idem opus in domo Dei promouentes, ordinem sanè retinent. Idem à nostris episcopis fit, inquiet Iesuuita. At tu, lector,omissa Papisticorum episcoporum (in qua certè inęqualitatem quandam agnosco,nec enim omnes eodem impietatis lethargo esse correptos asserere velim)væcordia,vanitate,epicurea vita,æqualitatem inter Romanum Pontificem & anarchiæ Papisticæ asseclas percutre animo ęquales quidem comperies quum de cõtemnenda & profliganda Sacrosancta Dei veritate agitur.

Ratione Sacerdotij sunt æquales,inquit Turrianus. Quid sit autem Sacerdotium illud explicat(suo quidem iudicio)Hieronymi verbis quum ait ad presbyterorum & episcoporum preces Christi corpus confici. Nomine Sacerdotij intelligit Hieronymus omnes partes muneris presbyterorum seu episcoporum, i. ministerium Ecclesiasticum,quod synecdochicos refert ad Eucharistici Sacramenti celebrationem. Etenim de episcopis seu presbyteris agit,quorum illis temporibus partes erant, concionesque habere ad populum,(vt ex Sermonibus D. Augustini aliorúmque colligimus) Sacramenta administrare, Ecclesiæ disciplinam sartam rectam conseruare: in summa,pascere Dei gregem. Ast Turrianus fortasse vult Papisticos Episcopos æquales esse,quatenus sunt sacrificuli, qui, ad quinque vocularum pronunciationem, Christi corpus è cœlis eliciant, & panem missaticum in Filium Dei transformẽt. De significatione verborum Hieronymi non est hîc disputandi locus: quum de consecratione sacramentali collatio nostra non agat,sed de primatu in Ecclesia. Quærimus autem à Turriano, quomodo existimet ratione Sacerdotij episcopos omnes esse æquales? Missam Pontificis Romani & rustici cuiuspiam Sacrificuli æqualem esse,id est eadem ignominia Filium Dei afficere fateor. At si partes omnes veri Sacerdotij, quod ante Hieronymi tempora viguit,perlustramus,quam æqualitatem inter suos Episcopos nobis depinget? Æquales sunt ratione ignorantiæ & ignauiæ. Si qui inter eos reperiuntur qui suggestum conscendant, æquales sunt in Pontificijs erroribus disseminandis. Inter fideles autem ecclesiæ Dei episcopos & Papisticas larvas tanta est inæqualitas & discrepantia,totius ministerij ratione, quanta inter Christum & Antichristum. Quod si examen, electiones & ordinationes Papisticorũ episcoporum ad veterum constitutiones reuocamus,omnes huiusmodi episcopos ab ipso Pontifice Romano ad minimum vsque Sacrificulum,Canonum suorum anathematismis ex Dei Ecclesia iam dudum ejectos fuisse apparebit. Ad Sacerdotium reuertamur. Episcoporum & presbyterorum Sacerdotium nihil aliud esse potest quàm tota ministerij functio, cuius pars à Hieronymo expressa est. Vnde colligo idem esse omnium episcoporum ministerium: & vi consequentis,nullum Ecclesiæ Dei ministrum aliorum ministrorum aut episcoporum esse caput & principem, excepta ratione externæ cuiusdam disciplinæ. Quid autem ista ad Romanos Pontifices,cuius successionem,vocationem, doctrinam & cęremonias eruditi Theologi ostenderunt à Petri,Pauli & Apostolicorum virorũ norma tota via recessisse? Nec possum Turrianicam audaciam satis mirari, qui de Romanis Pontificibus, quales nunc sunt, agens,ordinis & sacerdotij meminisse ausus est. Prius nobis depingat oportet veterum episcoporum & presbyterorum ex probatis Scriptoribus ordinem & sacerdotium, quod quum bona fide præstiterit,facilè iudicabit lector, quinam ordinem & sacerdotium in Ecclesia Dei retinuerint. Fastum autem & luxum Pontificiæ sedis, infinita cum superstitionum & blasphemiarum mole compactum, hîc describere non constituí: aliò enim nostra collatio nos vocat. Cætera absoluamus.

Ratione potestatis clauium seu ligandi & soluendi, quam potestatem iurisdictionis vocat,episcopum Romanum alijs omnibus esse maiorem Turrianus asserit, nos negamus: quibus autem argumentis id probet Iesuuita, paucis est dicendum.

1. Vnum(inquit)Petrũ in hac potestate quæ ad gubernationem Ecclesiæ Catholicę & curam ac potestatem

pastoralem pertinebat, cæteris Apostolis præesse voluit Dominus, quanuis omnes essent Apostoli: & quatenus episcopi & presbyteri, æquales ratione ordinis. Mirus argurator, qui idem per idem id est, nihil probat. Requiramus tabulas diuinas, Turriane. En proferimus (reclamat ille) Tu es Petrus, Tibi dabo claues, Confirma fratres tuos, &c. At verò, respondendum tibi prius est interpretationi veterum in hæc testimonia. Deinde, si fuerit Petrus primus inter Apostolos, quid hæc ad episcopos? quid ista iuuant Romanum Pontificem? Claues Petro datæ, (instas) Petri successoribus, i. Pontificibus Romanis, commissæ sunt. Igitur, quid sint claues, an soli Petro, an eius solis successoribus datæ sint, an Pontifices Romani tum veteres tum noui Petri sint soli successores videndū est. Claues regni cœlorum potestatem esse iurisdictionis, ait Turrianus. Iterum ludit: nam quæ sit illa iurisdictio quæritur. Potestas (inquit) ligandi & soluendi. Edissere verò quid sit ligare & soluere. Vides circulum sophisticum, lector. Claues dare metaphorica est locutio qua significatur œconomi potestas. (sicut apparet Esai. 22.) qua fungutur omnes ministri in Ecclesia Dei, quemadmodum tum ex 16. tum ex 18. Matth. colligitur. Ministerium enim Euangelicum verè est clauis regni cœlorum, quum Euangelium sit virtus Dei ad salutē cuiuis credenti, & vicissim odor mortis in mortem cuiuis non credenti. Cæterum, quum posceret metaphoræ analogia, vt Matthæus veteretur aperiendi & claudendi vocabulis (sicut fecit Esaias, & post Esaiam Ioannes, Apoc. 3. 7.) maluit Spiritus S. ligandi & soluendi verba vsurpare: nempe vt intelligamus quàm misera sit conditio eorum quibus cœlū claudetur, id est quorum retinentur peccata (sicut Ioannes interpretatur, cap. 20. 21.) qui videlicet, quum nolint oblatum Christum fide amplecti, manent obstricti peccatorum vinculis: contra verò quàm beati sint illi quibus apertum est cœlum, vt qui à filio Dei liberati sint ipsius cohæredes, quia Euangelio crediderunt. Ministerium autem illud à tota Ecclesia (quę est columna, stabilimentum & custos veritatis) committitur quibusdam fidis dispen-

satoribus qui rectè secent veritatis sermonem. Soli Petro autem claues datas esse contendunt Iesuitæ. Negāt veteres & recentiores Theologi, nec vni sed vnitati datas esse, seu Ecclesiam in Petro ligandi & soluendi potestatem accepisse testantur: quam intra metas ministerij verbi includunt. Quid de Excommunicatione scripserint veteres, tum de pœnitentia Ecclesiastica, alibi commodior erit dicendi locus. Quorsum autem hæc, ad indulgentiarum fumos, aut bruta Antichristi fulmina? Pontifices Romanos veras claues & verè aperire probet Iesuita: tunc illi credemus. Scilicet, Ecclesiæ Catholicæ gubernatio, vni Petro commissa est. Cura ac potestate pastorali donatus est. Alij Apostoli, vt ignauum pecus, aut Petri mancipia, stertebant. Sic totam Euangelicam & Apostolicam historiam impurus nebulo conspuit. Quamuis, inquit, essent omnes apostoli, cæteris tamen Petrum præesse voluit Dominus. Profer testimonium. Ex verbo Scripto nullum poteris. Primus, præcipuus & princeps à quibusdam veterib. Theologis vocatur quidem, sed ratione ordinis: nec aliud ex eorum testimoniis elicere potest Iesuitica turba. Inter Petrum & Paulū, quis cui præferatur, incertum est, inquit Ambrosius. Et Cyprianus, Hoc vtique erant cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Hîc obijciet Iesuita, Chrysostomum affirmare Petrum orbi vniuerso præfectum à Christo fuisse. Vnitati in vno commissa est hæc potestas. Deinde, Petrus est ne orbi præfectus, vt fastum & tyrannidem Pontificiam exerceret? Præterea, quod Petro mandatum erat, num cæteris Apostolis denegatum fuit? immo æquali iure commissum est. Christus dixit omnibus, Ite in vniuersum orbem, predicate Euāgelium omni creaturæ, baptizate. Remittite, retinete peccata. Aliasne claues habuit Petrus? De omnib. Apostolis Paulus prænunciatum fuisse dicit, In omnem terram exiuit sonus eorum. Quæ autem Chrysostomus de vno Petro dixit, hom. 55. in Matth. (eadem varijs homilijs in nouum Testam.) omnib. Apostolis, eisdem pene verbis est loquutus. *Apostoli* (inquit) *suscipiant curam totius mundi.* Item. *Paulo, Terræ ac maris, atque vniuersi*

orbis habitatio commissa est. Rursus, *Paulo Deus omnem prædicationem, & res orbis, & mysteria cuncta, vniuersámque dispensationem concessit.* Similiter ait Gregorius, *Paulus catenis vinctus Romam petit, occupaturus mundum.* Item. *Paulus ad Christum conuersus, caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.* Hæc Patrum dicta non tribuit Paulo in cæteros Apostolos principatum: neque illi aut Petro seorsim, sed reliquis Apostolis æqualiter: quod homil. in Psal. 44 ipse Chrysostomus aperte exponit, hisce verbis: *Apostoli vniuersum orbem terrarum peruaserunt, & omnibus principibus fuerunt magis principes, regibus potentiores.* Si totius orbis principes cum Petro extiterunt, cur Ecclesiæ Catholicæ principatus ad vnum refertur? quorsum ista vnius in collegas suos potestas? Solus Petrus (contra expressa diuini verbi testimonia) fuerit Ecclesiæ vniuersalis gubernator & pastor: quid ergo alij Apostoli: fortè Petro vicariam operam locabant. Postremò, etiamsi Iesuuitis concedamus Petrum cæteris Apostolis præfuisse, quid ista iuuant Romanum Antichristum, doctrinæ, disciplinę & potestatis Petro aliisque Apostolis, eorúmque legitimis successoribus commissæ subuersorem? Ludit igitur Turrianus perpetua petitione principij.

2. Alterum argumentum, ex epistolæ Hieronymianę verbis miserè discerptis sophista colligit, cuius partes sunt explicandæ, vt Iesuitica fraus magis ac magis appareat. Hieronymus ait, *vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, eiusdem est meriti & sacerdotij*: id est, non magis est episcopus Romanus episcopus: quam est episcopus Eugubinus episcopus. Vbi igitur illa iurisdictionis potestas, Turriane? Addit, sintque omnes Episcopi successores Apostolorum. Quid igitur fiet vestræ successioni Pontificiæ sedis, quam impudenter Apostolicam & Catholicam appellatis? Sed ad toties refutatum cauillum confugit, æquales episcopos esse ratione ordinis & sacerdotij, non potestatis clauium. Igitur neque Apostoli munere Apostolico, nec episcopi episcopali muneré funguntur. Præterea, sacerdotium illud quod tribuit episcopis, num presbyteris etiã cum episcopis cõmune est?

Quas tandem hic Turrianicas distinctiones adhibebunt acutissimi Iesuuitæ vt anarchiam pontificiam fulciant? Addit Iesuuita, Quod si Hieronymus Pontificem aliis episcopis in omni potestate æquabat, cur dixit ad probandum æquales esse, vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, eiusdem meriti est & sacerdotij & non dixit, eiusdem est potestatis & honoris? Respondeo. Hieronymum appositè loqui: quum enim dicit episcopos eiusdem esse meriti & sacerdotij, æquales eos tum potestatis tum honoris ratione constituit. Quis enim non videt sacerdotium seu ministerium ad potestatem, meritum ad dignitatem seu honorem debere referri? Præterea, qui fit, vt Romę potius quàm Mediolani meminerit, nisi vt fastum istorum Pontificũ retunderet, & quamuis plures sint episcopi, vnus tamen est episcopatus, cuius partes ab istis æqualibus episcopis in solidum tenentur. Hinc oritur tota illa disputatio de locis, de diuitiis, de splendore nominum, quæ omnia Hieronymus affirmat non tollere posse æqualitatem illam inter Ecclesiæ Dei episcopos. Nam quod ait Turrianus, Hieronymum minimè dixisse maior aut minor potestas clauium, siue ligandi & soluendi, non facit sublimiorem aut inferiorem episcopum: sed potentia diuitiarum, vel paupertatis humilitas: sophisticum est effugium. Nec enim tam stupidus fuit Hieronymus, vt claues maiores & minores, contra expressum Dei verbum imaginaretur. *Omnes* (inquit) *nationes obseruant vnam regulam veritatis*, ergo omnes episcopi nationum eadem regni cælorum claues gerunt. Qui principes fuerunt Apostoli, nihil mihi dederunt, ait Paulus. Mihi commissum fuit prædicare Euangelium inter Gentes, quemadmodum Petro inter Iudæos. Et Chrysostomus in epist. ad Galat. *Paulus nihil opus habebat Petro, nec illius egebat voce: sed honore par illi erat: nihil hic* (inquit) *dicam amplius.* Vbi illæ maiores aut minores claues? Christus singulis Apostolis æquè mandata dedit: vt pater meus viuens misit me, ita ego (inquit) mitto vos. Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta in cœlo: docete, baptizate, vos eritis mihi testes, &c. Sed maiores nescio quas

claues Petrũ gestasse concedamus, ex eóne concluserit Iesuuita vnicum Pontificẽ Romanum istas habere? Quid enim habet (vt sæpius iam dictum est) quod Petrus habuit? Doctrina & disciplina omissa, successionem sessionémque in Petri Cathedra, quæ Romæ est, suam iactabit. Responderit aliquis, qui Petrum Romæ sedisse concedet, scribas & Pharisæos in Cathedra Mosis collocatos Christi fuisse infensissimos hostes. Nos verò addamus, scribas cathedram istam vtcumque erectam habuisse, Pontifices Romanos Apostolorum & Apostolicorum virorum cathedras deturbasse & amouisse, vt suas erigerent. Præterea, quum Petrus isto maiorum clauium secto priuilegio donatus est, non Romæ, sed Hierosolymis fuisse constat. Inde sic colligo. Petrus neque est cæteris Apostolis dominatus, neque Romæ pontifex fuit, quando eũ Christus est alloquutus, quare hinc Romanus pontifex vniuersalem potestatem dominatúmque in omnẽ orbem sibi iure venditare nequit. August. lib. 1. contra literas Petiliani, *Paulus ipse* (ait) *non poterat esse caput eorum quos plantauerat. Inquit enim, Nos multi sumus, qui vnũ corpus in Christo sumus: Christúmq; ipsum esse caput vniuersalis illius corporis.* Ex istis Augustini verbis sic argumentari licet. Paulus eorum quos plantauerat caput esse non potuit. Multò minus igitur Papa caput esse potest eorum quos nunquam plantauit.

Ad perpetuum autem illud latibulũ [*Dabo tibi claues regni cælorum*] confugiunt Iesuuitæ. At Christus non dixit, do, sed dabo. Postea autem cum aliis accepit. Quod autẽ ei dictum est, Pasce oues meas, testimoniũ speciale fuit omissæ & cõdonatæ triplicis illius abnegationis, qua Petrus, quantũ in se fuit, pastoris ouisque nomẽ & dignitatẽ amiserat. *Si statim claues dedisset ei Christus, nunquã in ea prauæ confessionis error inuenisset locum*, inquit Hieron. in 16. ca. Mat. Proferãt igitur nobis ex scripti verbi scriniis claues istas maiores Petro commissas, deinde ostendant licuisse episcopis Romanis illas ita apprehendere, vt nulla fuerit apostolica Ecclesia nisi Romana: denique potuisse pontifices Romanos bona cõscientia claues spirituales in fer-

reas & mundanas conuertere. Potentiam diuitiarum & paupertatis humilitatem Synecdochicos posuit Hieronymus, vt ostenderet quocunque tituio insignita sit particularis Ecclesia, quibuscũque donis externis polleat, eius episcopos quantumuis eruditos aut insignes aliorum tamen episcoporum non esse dominos, sed omni ex parte collegas, fratres, coepiscopos, compresbyteros. Nec ordinem & σεμνεῖον, Ecclesiasticæ ταξίας retinendæ gratia, inæqualitatem inter episcopos vllam constituere.

Turrianus addit, Quod autem dixit Hieronymus, *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe:* hoc dixit, quia illi qui Diaconis presbyteros æquabant, ex consuetudine vrbis Romæ argumentum ducebant. Sic enim ait. *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi presbyter ordinatur? respondet, quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem?* Huc igitur spectat quod paulò ante dixerat. Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe: quod perinde est, ac si diceret, Si illa consuetudo Romę est, tametsi non reprehendo, at in infinitis alijs Ecclesijs non est. Quorsum ista? vt ictũ declinet, & potestatem iurisdictionis, à se confictã suo Pontifici conseruare possit. Sed Hieronymi locus huic errori minime patrocinatur. Tametsi enim de quadam consuetudine Ecclesiæ Romanę agat, illud fixum manet, omnes episcopos apostolorum esse successores. Sed obserua, Christiane lector, miserum Sophistam dicta Hieronymi truncasse, vt suos auditores cautius seduceret. In noua autem decreti Gratianici editione, ipsius Pontificis Romani iussu nuper facta, τὸ sed dicis, quomodo Romæ, &c. à præcedentibus distinguũtur. Illud verò, Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe, ad ea refertur quæ de presbyterorum & episcoporum æqualitate dixerat: vt ex contextu facilè percipies.

3. Superest postremum Turriani sophisma, petitũ ex fragmẽtis epistolarũ Hieronymi ad Damasum. Sed prius ostendisse debuit veterẽ & nouam Ecclesiam Romanam eãdẽ esse: quę enim olim fidelis & sincera Catholicę Ecclesię pars fuit, tãdem meretrix perdita, putridũ membrũ, & antichristi synagoga facta est. Præterea meminit Hiero-

nymus communionis Cathedræ Petri, id est fidei Ecclesiæ Catholicæ, quam fidem tunc Romana Ecclesia amplectebatur. Si quis autē legit Cathedræ Petri communione consocior, dicet se communionem habere cum Petri Cathedra. Eam autem communionem Hieronymus describit metaphoricis loquutionibus, quæ non nisi ad Ecclesiam Catholicam pertinere possunt. *quicunque extra hanc domum* (inquit) *agnum comederit, profanus est. Si quis in arca non fuerit peribit regnante diluuio.* An qui extra Ecclesiam Romę collectam viuit, profanus est? An Roma arca Noha? Ecclesia Israelitica in Egypto nullas alias Ecclesias agnoscebat in mundo? Arca figura est Catholicæ Ecclesiæ. qui extra fidem Catholicæ Ecclesiæ viuit, profanus est: qui non est Catholicæ Ecclesiæ membrum, perit: qui nō credit in Christum, ira Dei manet super eum. At Ecclesia Romana, inquiunt Iesuitæ, est Catholica & apostolica Ecclesia: illud verò constanter negamus: nec ex verbis Hieronymi tale consequens elicere poterit. Nulla enim communio inter homines esse potest, quorum Christus non est caput. Christus non est caput nouæ Ecclesiæ Romanæ. ergo qui extra hanc sunt, nō sunt extra arcam aut Dei domum; sed Antichristi synagoga dolerta ad Catholicam Ecclesiam antea derelictam reuerti sunt. Ostendant nobis fidem veteris & nouæ Ecclesiæ Romanæ eandem esse: tunc fatebimur, quod est verissimum: Quicunque Ecclesiæ particularis, quæ est pars Catholicę mēbrū fidē deserit, profanus est: membra enim à toto corpore (cuius caput est Christus) diuelli nequeūt. Sed quid ista Turriani sophismata ad Hieronymum, cuius de episcopatu stat obseruanda sententia in ca. 1. epist. ad Titum, *sicut* (inquit) *presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores: & in commune debere Ecclesiam regere.* Primatum igitur in Ecclesia, Hieronymo teste, hominum inuentum est, quod in antichristianam tyrannidem, temporis progressu & miris artibus seu horrendo iniquitatis mysterio, transformatum est.

A P.

CAPVT IIII.

DE VOCATIONIBVS, ELECTIONIBUS, & Ordinationibus Ecclesiasticis.

GRATIANVS.

De ordinatione Romani episcopi.

INSTRVCTI prædecessorum nostrorum, aliorúmque Sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque statuimus, vt obeunte huius Romanæ ecclesiæ vniuersalis Pontifice, imprimis Cardinales episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant: sicque reliquus clerus & populus ad consensum nouæ electionis accedat, nimirū præcauentes ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Et ideo religiosissimi viri præduces sint in promouēda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus verò atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perspectis diuersorum patrum regulis siue gestis, etiam illa beati Leonis prædecessoris nostri sententia recolatur. Nulla, inquit, ratio finit, vt inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Quia verò sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super se metropolitanum habere non potest, Cardinales episcopi proculdubio metropolitani vice fungū-

tur, qui videlicet electum episcopum ad apostolici culminis apicem prouehant. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus: vel si de ipsa nõ inuenitur, ex alia assumatur: saluo debito honore & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui in præsentiarũ Rex habetur & futurus imperator, Deo concedente, speratur, sicut iã sibi cõcessimus, & successorib. illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetrauerit. Quod si prauorũ atque iniquorũ hominũ ita peruersitas inualuerit, vt pura sincera, atque gratuita fieri in vrbe non possit electio, Cardinales episcopi cum religiosis clericis, catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineãt eligere apostolicæ sedis pontificem, vbi congruere viderint. Planè postquam electio fuerit facta, si bellica fuerit tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit vt is qui electus est, iuxta consuetudinem in apostolica sede inthronizari non valeat, electus tamen, sicut verus Papa, obtinet authoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognouimus fecisse. Quod si quis contra hoc decretum nostrum synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus siue inthronizatus fuerit, authoritate diuina, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis authoribus & fautoribus, & sequacibus, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abiiciatur, sicut Antichristus, & inuasor, & destructor totius Christianitatis. Nec aliqua super hoc ei audiẽtia reseruetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocũque fuerat prius, sine retractatione

sione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eũ defendere præsumpserit, pari sententiæ sit mancipatus. Quisquis autem huius nostræ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione cõfundere & conturbare contra hoc statutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione dãmnetur, & cum impiis, qui non resurgent in iudicio, reputetur: omnipotentis irã contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli (quorum Ecclesiam præsumit confundere) in hac vita & in futura furorem sentiat. *Dist. inct. 23. Can. 1. Decretum Nicolai Papæ de electione Romani Pontificis, in concil. Lateranensi.*

Hadrianus Papa Romam venire Carolũ regem ad defendendas res ecclesiæ postulauit. Carolus verò Romam veniens, Papiam obsedit: ibique relicto exercitu in Sancta resurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè susceptus est. Post Sanctam verò resurrectionẽ reuersus Papiã cœpit & Desiderium regem: deinde Romam reuersus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa, in Patriarchio Lateranensi, in ecclesia sancti Saluatoris: quæ Synodus celebrata est à 153. episcopis, religiosis & abbatibus. Hadrianus autem Papa cum vniuersa Synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi apostolicam sedem. Dignitatem quoque patriciatus ei cõcesserunt. Insuper archiepiscopos & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere diffiniuit, vt nisi à rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine consecretur: & quicunque contra hoc decretũ ageret, anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret, bona e-

ius publicari præcepit. *Distinct. 63. Can. 22. ex hist. Ecclesiast.*

In Synodo congregata Romę, in ecclesia Sancti Saluatoris, ad exemplum B. Hadriani, apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo, victoriosissimo regi Francorum ac Longobardorum, patritiatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicę sedis, & inuestituram episcoporum concessit: ego quoque Leo episcopus, seruus seruorum Dei, cum toto clero ac populo Romano constituimus & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam authoritatem concedimus atque largimur Domino Othoni primo, regi Teutonicorum, eiúsque successoribus huius regni Italię, in perpetuum facultatem eligẽdi successorem, atque summæ sedis Apostolicę Pontificem ordinandi: ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram accipiãt, & consecrationem, vnde debent: exceptis his quos Imperator Pontificibus & archiepiscopis concessit: & vt nemo deinceps cuiuscunque dignitatis vel religionis, eligendi vel patritium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem, absque consensu ipsius Imperatoris (quod tamẽ fiat absque pecunia) & vt ipse sit Patritius & rex. Quod si à clero & populo quis electus fuerit episcopus, nisi à supradicto rege laudetur & inuestiatur, non consecretur. Si quis contra hãc apostolicam authoritatem aliquid molitur, hunc excommunicationi subiacere decernimus: &, nisi resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis affici. *Distinct. 63. Ca. 23. Ex Leone Papa.*

Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu, sine cõcordi & Canonica electione Cardinalium & sequentium religiosorum clericorũ fuerit apostolicæ sedi inthronizatus, non apostolicus sed apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus, & alijs clericis Deum timentibus, & laicis, inuasorem illum anathematizare, & humano auxilio à sede apostolica pellere. Quod si hoc intra vrbem perficere nequiuerint, apostolica authoritate extra vrbem cõgregati, loco quo eis placuerit, electionem faciant, concessa electo authoritate regendi & disponendi res in vtilitatem Romanæ Ecclesiæ, iuxta qualitatem tẽporis, quasi iam omnino inthronizatus sit. *Distinct. 79. Can. 9. ex Nicolao 2. in Concil. Rom.*

De Capitulis vel præceptis imperialibus vestris, vestrorúmque etiam prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantum valuimus & valemus, Christo propitio, nunc & in æuum nos conseruatores modis omnibus profitemur: & si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem. *Item.* Vestrã flagitamus clementiam, vt sicut hactenus Romana lex viguit absque vniuersis procellis, & quæ pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita & nunc suum robur propriúmque vigorem obtineat. *Distinct. 10. Can. 9. & 13. ex Leone 4. ad Lotharium Augustum.*

Nos si incompereter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emẽdare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certè nõ veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestrę magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus perquirẽda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia ti-

meant,& cũcta (quemadmodum si vestra præsens fuitset imperialis gloria)diligenter exquirant. Et non tantùm hæc sola,quæ superius diximus,quærimus,vt examusim exagitẽt:sed siue minora,siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ex eis indiscussum vel indiffinitum maneat. *Caus.2.quæst.7. Can.11.eiusd.Leonis 4.ad Ludouicum Augustum.*

Ordinationes seu functiones Ecclesiasticas depravatas,& nomine tenus retentas in Pseudecclesia Romana confid ramus, Lector. Gratiani etenim vestigia sumus sequuti. Nec de ministris verbi sub Euangelio, aut de singulis Pseudeuangelici ministerij partibus nobis disputandum est.Pontifices & Episcopi quorum frequens mẽtio apud Gratianum à nobis cum clero suo considerantur,& quales in Decreti Canonibus describuntur à nobis opponuntur nouis Pontificibus & episcopis (pro quorum ordinationibus longas fabulas narrãt resuuitæ) vt ex ipso Gratiano constet totam illam hierarchiã seu Anarchiam Papisticam à suismet Canonibus esse repudiatam,vt pote quæ auctoritate apostolica legitima vocatione, & præscripta functionis administratione careat, quemadmodum à nostris Theologis abundè est demonstratum. Ex superioribus verò Canonibus, ad collationis nostræ præscriptum,sequentes theses colligo.

1. Pontifex Romanus à Cardinalibus,clero & populo,communi consensu eligendus est:ita vt Cardinales & Clerici præeant,populus sequatur.

2. Expetere debet populus cum quem Clerici elegunt,nec episcopus Romanus & inter episcopos tenẽdus est qui alia via recipitur.

3. Consensu & approbatione Imperatoria Pontificis electio fieri debet:alioquin irrita censetur.

4. Laici cum Cardinalibus & clericis etiã extra Romam episcopum Romanum eligere possunt.

5. Quisquis per seditionem,præsumptionem aliásve nefarias artes,Pontifex ordinatus fuerit, anathema esto, tanquam apostaticus,Antichristus,Christianissimi destructor,& cum impijs damnetur.

6. Romani Pontifices Imperatorum atque regum Francorum legibus & statutis subditi sunt.

7. Pontifex Romanus læsæ maiestatis accusatus coram Imperatore & rege Franco causam dicit.

Cardinales autem, de quibus mentio fit in his Canonibus,initio dicti sunt (sicut apparet ex Fabiani & Syluestri episcoporum historia,quantumuis deprauata)Diaconi Romanæ Ecclesiæ septem,à totidem vrbis regionibus(quos etiam cardines vocarunt)quibus illi singuli erant attributi,sic appellati,quasi Regionarij, quod etiam emendicati ipsorum tituli demonstrant.Quinetiam apud Gregorium Cardinalis Sacerdos appellatus videtur, qui Pastor vel Curio dicitur:nec vlla fit eorum qui nunc sunt in antiquarum Synodorũ subscriptionibus mentio. Præterea,quid sibi volunt ista adiecta, Cardinales episcopi, presbyteri, Diaconi, quibus etiamnum hodie nominantur,nisi vt distinctionem illam regionum & paroeciarum vrbis Romæ denotent?De iure Imperatorum & Regum Francorum in Pontifices Romanos, lege præfationem Commentar. C. Molinæi ad edictum Henrici 2. contra parnas datas,&c. Quod ad electionem veterum episcoporum Romę & aliarum Ecclesiarum,hæc ratio sequuta est,prout ex Canonibus & historijs colligitur : videlicet vt siue simul & vno eodémque tenore, tempore & loco (quod initio in Ecclesia Sancta vsurpatum,periculosum postea fecerunt ambitio & auaritia)primæ partes Pastoribus,Doctoribus, & presbyteris, (quos Cardinales Romæ,temporis progressu,alibi episcopos & presbyteros, & diaconos vocarunt) vt pote tum gregi præeuntibus, tum probabiliter certioris in diiudicanda doctrina iudicij : secundæ præcipuis & præstantibus tum pietate tum dignitate viris,veluti magistratui,si Christianus esset, in suffragijs ferendis tribueretur: accedente tandem plebis consentiunta vt nunquam nisi conscia & consentiente tota Ecclesia quisquam ad ecclesiasticas functiones admitteretur. Electionem præcedebat legitima vocatio, id est,

secundum ordinē à Christo & apostolis institutum,præibat diligens & acuratum doctrinæ & morum examen, ab Ecclesia cui episcopus destinabatur,& cum omni simplicitate & sinceritate,inuocato Dei nomine,quasi ipsius Spiritus Sancti voce per os ecclesiæ loquentis, deligebatur. Electione legitimè peracta,denuntiata & rata habita, impositio manuum siue ordinatio,id est veluti immissio in sacri ministerij possessionem, pastorum muneris erat, totius presbyterij nomine. Examen autem doctrinæ aut morum,vocationem & legitimam electionē ab ordinationibus Pontificum Romanorum prorsus explosam esse ex ritualibus illorum libris constat. Nec enim verbi diuini aut Sacramentorum administrationem, aut gregem curant noui episcopi Romani, vt fidei alienæ dominatores & animarum carnifices decet. Nec etiam de illorum ordinationibus mentio fit à Iesuitis, quippe qui existiment istos Pontifices à communi aliorum episcoporum sorte esse diuulsos, ita vt quicquid in Pontificali & libris ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ de ordinatione Pontificis in diaconum, presbyterum, episcopum, deinde in Pontificem legitur, meræ sunt ineptię quibus impuri nebulones Deo & hominibus illudunt. Quod autem ad Episcopi Romani supra alias (nedum omnes) ecclesias vsurpatam potestatem attinet, ea duabus, inter cæteras antè expositas, manifestis de causis euincitur Apostolica non esse, ac proinde nullo diuino iure stabilita. Vna, quoniam pari & æquali prorsus auctoritate & iure fuerunt Apostoli, vt tum ex Christi mittentis mandato, tum ex ipsorum testatis rebus gestis liquet. Altera, quoniam Apostolica functio, ponēdo Ecclesiæ Catholicæ Christianæ fundamento destinata, eo probè posito, & Apostolis è terra in cœlum euocatis quod ad personale ministeriū debitę & quod ad superstructionem attinet doctrina ab ipsis tradita, & diuinitus conseruata, & ad finem seculorum perduratura, vsque adeo sufficit, vt neque ad nouarum Ecclesiarum constitutionem, neque ad constitutarum instauration vllo auctoritatis apostolicæ successore sit opus. Nunc superest, vt alias ordinationes, secundum Gratianum, expendamus.

De ordinatione Episcoporum.

Qui episcopus ordinandus est, antea ex amine-

tur, si natura sit prudēs, si docibilis, si moribus tēperatus, si vita castus, si sobrius, si peruigil, si semper suis negotijs cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarū sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus: & ante omnia, si fidei documēta verbis simplicibus asserat. *Et infra post descriptā fidei Christianæ summā.* Quum in his omnibus examinatus fuerit inuentus plenè instructus, tunc cum omni cōsensu clericorum & laicorū, & conuentu totius prouinciæ episcoporum, maximè metropolitani vel authoritatē vel præsentia, ordinetur episcopus, susceptо in nomine Domini nostri Iesu Christi episcopatu: non suę delectationi, non suis moribus, sed his patrum definitionibus acquiescat. *Distinct.23. Can.2. ex Concil. Carthag.*

Episcopum non oportet præter iudicium metropolitanorū & finitimorū episcoporum cōstitui ad Ecclesiæ principatū: nec eligantur, nisi ij, quos multò ante nota probabilisq; vita commendat, & nihilominus si in sermone fidei, & recta ratione pro sua conuersatione probati fuerint. *Distinct.61. Can.4. ex Concil. Laodic.*

Statuimus, ne in aliquo apostolica & Canonica decreta violētur, & ne his regēda Domini Ecclesia credatur, qui legitimarū institutionū nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volūt habere principium: quum valde iniquū sit absurdúmque, vt imperiti magistris, noni antiquis præferantur, rudes emeritis. *Ead. distinct. Can.7. ex Leone.*

Nullis inuitis detur episcopatus. Tūc autē alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cuius est episcopus ordinādus, nullus (quod euenire nō credimus) dignꝰ poterit reperiri. *Ead.*

distinct. Can. 12. Celestino.

Studij vestri sit, etiam alium qui aptus sit prouidere, vt si fortè Petrus quem à vobis electum asseritis, huic ordini non videatur idoneus, sit in quem declinare vestra electio possit. Nam graue cleri illius erit opprobriũ, vt si hic fortasse probatus non fuerit, alium se dicãt, qui eligi debeat, non habere *Ead. distinct. Can. 13. ex Gregorio, ad ciues Neapolitanos.*

Nulla ratio finit, vt inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. *Distinct. 62. Can. 1. ex Leone.*

Plebs Diotrensis data nobis petitione defleuit diu se sine rectoris proprii gubernatione dispergi: ac (sicut asseritur) is qui à vobis iã probatus dicitur, à paucis & tenuibus putatur electus, cùm ad vos pertineat vniuersos assidua admonitione compellere, vt omnes in vnum, quem dignum sacerdotio viderint, & sine aliqua reprehensione consentiant. Et ideo fratres charissimi diuersos ex omnibus sæpe dicti loci parochiis, & presbyteros, & diaconos, & vniuersam turbam vos oportet sæpiùs cõuocare: quatenus nõ prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem, vobis admonentibus, sibi quærant soladiuinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas à cõstitutis possit reuocare præscriptis. *Dist. 63. Can. 11.*

Nosse tuam fraternitatem volumus ad nostras aures fore peruentum Imolensem episcopum ab hac luce migrasse: in cuius successoris electione populi diuisionem prouenisse audiuimus. Quod quia sæpe contingere solet, quærentibus singulis quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, non adeo miramur. Veruntamen in hoc tuam plurimum oportet adhiberi sollicitudinem, vt conuocato clero & populo, talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obuient canones. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi cõsensus adhibendus est: quia docẽdus est populus, nõ sequendus. *Ead. distinct. Can. 12. Ex Stephano ad archiepisc. Rauennatem.*

Episcopos per Æmiliam nõ consecres, nisi post electionem & consensum cleri & populi. *Ead. dist. Can. 13. ex Nicolao, ad eundem.*

Literas charitatis tuæ suscepimus, quib. significas Latinum diaconum tuum ad episcopum ecclesiæ Marcellianensis à clero & omnibus, qui illic conueniunt, postulari. Hoc itaque dicimus, vt si omnes eum eligunt, & vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce: et, si potest, ante diem sanctum festinet occurrere, vt vel Sabbatho ipso noctis magnæ post baptismum cum Dei gratia valeat ordinari. *Ead. dist. Can. 14 ex Pelagio ad episcop. Grumentinum.*

Reatina Ecclesia, quæ per tot temporum spatia pastoralibus curis destituta constitit, dignum est vt brachio amplitudinis vestræ subleuetur, ac gubernationis regimine protegatur. vnde salutationis alloquio prẽmisso vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eandem Ecclesiam ad regendum concedere dignemini, vt vestra licentia accepta ibidem Deo adiuuante eum consecrare valeamus episcopum. Sin autem in prædicta ecclesia nolueritis vt præficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam quæ vidua tum existit, illi vestra serenitas dignetur cõcedere, vt consecratus à nostro præsulatu, Deo omnipotenti vestróque imperio grates peragere valeat. *Ead. distinct. Can 16. ex Leone, ad Lotharium*

& Lodouicum Augusſt.

Nobis Dominus imperator & Imperatrix perſuas epiſtolas dixerant, vt Colonum in Reatina eccleſia, quæ paſtoris officio per longa iam tempora deſtituta videbatur, epiſcopũ facere deberemus, ſicut & fecimus. *Ibid.Can.17 ex eod.ad Ritam comitiſſam.*

Lectis ſagacitatis veſtræ apicibus, qui defũcto Eccleſiæ Reatinæ Antiſtite, clerum & plebem eiuſdem elegiſſe ſibi futurum antiſtitem, & à nobis conſecrandum veſtro ſtudio delectum eſſe, ne ipſa eccleſia diu ſine proprio conſtet paſtore, fatebantur. Nos de obitu prioris dolentes, nunc ipſum electum vnanimitate & Canonica ipſius Eccleſiæ electione, vt mandaſtis, tam citiſſimè ordinare omiſimus, eo quod imperialem nobis (vt mos eſt) abſolutionis minimè detulerit epiſtolam, pro qua ſcilicet te ambiguum eſt nobis. Ideo volũtati veſtræ in hoc parere diſtulimus, ne Auguſtalis animus duriſſimè hoc quocunque modo percipefet. Sed ſciẽtes eccleſiam Dei ſine proprio Paſtore diu non poſſe conſiſtere, gloriæ veſtræ mandamus (quoniam aliter nos agere non debuimus) vt à veſtra ſolertia imperiali, ſicut priſca conſuetudo dictat, percepta licentia, & nobis, quemadmodum vos ſcire credimus, imperatoria directa epiſtola, tunc voluntati veſtrę de hoc parebimus, eundémque electum Domino adiuuante conſecrabimus: quod, chariſſimè Fili, moleſtè nullo modo ſuſcipias. *Ibidem.Can.18. ex Steph. ad Guidonem Comitem.*

Vota ciuium, teſtimonia populorum, honorato-
rum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus ſacerdotum conſtituantur. *Et infra.* Per pacem & quietem ſacerdotes qui futuri ſunt poſtu-

lentur: teneatur ſubſcriptio clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conuentus & plebis. *Ead.diſtinct.63.Can.27. Ex Leone 1.epiſt.87.*

Sacrorum Canonum nõ ignari, vt Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus: vt ſcilicet epiſcopi per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta Canonũ, de propria diœceſi (remota perſonarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur: vt exemplo & verbo ſibi ſubiectis vſquequaq; prodeſſe valeãt. *Ead.diſtinct.Can.32. ex 1.lib. Capitulorum Caroli & Ludouici Imperat. c.84.*

Obeuntibus ſanè epiſcopis, quoniam vltra tres menſes vacare Eccleſiam Sanctorum Patrum prohibent Sãctiones, ſub anathematis vinculo interdicimus, ne Canonici de ſede epiſcopali ab electione epiſcoporum excludant religioſos viros: ſed eorum conſilio honeſta & idonea perſona in epiſcopum eligatur. Quod ſi excluſis religioſis electio fuerit facta: quod abſque conſenſu eorum & conniuentia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum. *Ibid.Can.33. ex Rom.Synodo ſub Innocent.*

Si forte (quod nec reprehẽſibile, nec irreligioſum iudicamus) vota eligentium in duas ſe diuiſerint partes, is metropolitani iudicio alteri præferatur, qui maioribus iuuatur ſtudijs & meritis: ita tamen vt nullus detur inuitis & non petentibus: ne plebs inuita epiſcopum non optatum contemnat aut oderit. *Ibid.Can.34. ex Leone.*

Epiſcopos eruditos eſſe debere, & quale oportet eſſe eorum eruditionem.

Sacrarum literarum oportet epiſcopum habere peritiam. Vnde in veteri teſtamento inter cætera ornamenta Pontifex rationale ferebat in pectore, in quo ſcribebatur manifeſtatio & veritas: quia in pectore Pontificis manifeſta eſſe debet

cognitio veritatis,&c. Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit prælatis bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ. *Distinct.36.Can.2. Qui ecclesiasticis.*

Hæc duo sunt pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando: aut populum doceat. Sed illa doceat quæ à Deo ipse didicerit, non ex propriò corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet,&c. *Ibid. Can.3.siquis.*

Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere Sanctas admonentur Scripturas, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Attende lectioni & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciant ergo Sacerdotes sanctas Scripturas & Canones, & omne opus eorum in Canone & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tã fidei scientia, quàm operum disciplina. *Distinct.38. Can.1.ex Concil.Tolet.*

Si in Laicis videtur intolerabilis insciti a, quãto magis in ijs qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia! *Ibid Can.3.ex Leone.*

Definimus omnem qui ad episcopatus est prouehendus gradum, modis omnibus psalteriũ nosse, vt ex hoc etiã omnis clerus, qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano, si in promptu habeat legem scrutabiliter, & non transitoriè, tam sacros Canones & Sanctum Euangelium, quàm diuini Apostoli librum, & omnem Scripturam diuinam: atque secundum mandata conseruare, & docere sibi populum commissum. Substantia enim summi Sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est

id est vera Scripturarum disciplina. Quod si disceptauerit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim Prophetæ Deus: Tu Scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Ibid. Can. Omnes psallentes.*

Ordinatio Episcopi.

Episcopus, cùm ordinatur, duo episcopi imponant manus, & teneant Euangeliorum codicem super caput & verticem eius: & vno super eũ fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant. *Distinct.23.Can.7.*

Manus impositio quid est aliud, nisi oratio super hominem? *Caus.1.quæst.1.Can.73.*

De episcopis specialius dictum est superiorib. Canonibus, iuxta Gratiani methodum, & prout ferebat temporum conditio, quæ diuinum episcopatum in humanum commutauit. Antequam verò ad theses, quæ ex Gratiano colliguntur, describendas veniamus, operæpretium me facturum existimaui, si eadem opera subiungerem Canones, qui in genere de functionibus Ecclesiasticis agunt, de quibus postea paulò prolixius aliquid erit nobis dicendum.

De vita doctrina electione, ordinatione eorum quibus & cletię ei cura committitur.

Hrs (1. Clericis) lege patrum cauetur, vt à vulgari vita secluſi, à mundi voluptatibus abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia publica fugiant: priuata non tantùm pudica, sed & sobria colant: vsuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationibus lucrorum, non fraudibus cuiuscunque studium appetant: amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & secularia negotia officiáque abnuant, honoris gradum per ambitionem non suscipiant, pro beneficiis medicinæ Dei munera nõ

accipiant: dolos & coniurationes caueant odiũ æmulationes, obrectationes, atque inuidiã fugiãt non vagi oculis, non effreni lingua, aut petulanti, fluidóq; gestu incedant: sed pudoré & verecundiam mentis simplici habitu incessúque ostendãt obscœnitatem etiam membrorum & verborum sicut & operum penitus execrentur: viduarum & virginũ frequentationes penitus fugiant, contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque non violati corporis perpetuò obseruare studeant, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur: senioribus quoque debitam prębeant obedientiam, neque vllius iactantiæ studio semetipsos attollant: postremò doctrinæ, lectionibus, psalmis, hymnis, cãticis, exercitio iugiter incumbant. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus sese mancipandos studeant, scilicet vt dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent. *Dist. 23. Can. 3. ex Isidoro.*

Tales ad ministerium eligantur clerici, qui dignè possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant. *Ibid. Can. 4. ex Clement.*

Presbyter cùm ordinatur, episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenẽte, ettam omnes presbyteri, qui prẽsentes sunt manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant. *Ibid. Can. 8.*

Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit vel examine episcoporum, vel populari testimonio. *Distinct. 24 Can. 2. E v 3. concil. Carthag.*

Quando episcopus ordinationem facere dispo-

nit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad ciuitatem vna cum presbyteris, qui eos representare debẽt: & tũc episcopus à latere suo eligere debet sacerdotes & alios prudentes viros, gnaros diuinę legis, exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum, vbi educati sunt, si sunt bene literati, si instructi in Lege Dei, ante omnia diligenter inuestigent: si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem quibus cura committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscũque muneris cupiditate illecti à vero deuiẽt, vt indignũ & minus idoneũ ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent. Quod si aliter fecerint, & ille qui indignè accesserit ab altari remouebitur, & illi qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo iam condemnati ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres dies diligenter examinentur: & sic sabbatho, qui probati sunt, episcopo repræsentẽtur. *Item.* Sine clericorum concilio, & populi testimonio, nullum episcopus ordinare præsumat. *Ead. distinct. Can. 5. ex concil. Nauarrensi*

Episcopus, sine concilio (alij legunt, consilio) clericorum suorum clericos non ordinet: ita vt ciuium conniuentiam & testimonium quærat. *Ibid. Can. 6. ex concil. 4. Carthag.*

Illiteratos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere: quia literis carens sacris non potest esse aptus officiis. *Dist. 36. Can. 1. Ex Gel.*

Ante omnia peto, vt cogites religiosè prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & leuius, & hominibus acceptabi-

lius episcopi,aut presbyteri,aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur : sed nihil apud Deum miserabilius,& tristius,& damnabilius*Item*. Nihil est in hac vita,& maximè in hoc tempore,difficilius,& laboriosius,& periculosius,episcopi,& presbyteri,aut diaconi officium: sed apud Deum nihil beatiusi eo modo militetur,quo noster Imperaror præcepit. Quis autem sit modus,nec à pueritia,nec ab adolescétia mea didici : & eo tempore , quo discere cœperam vis mihi facta est , merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, vt secundus lucus gubernaculorum mihi traderetur,qui remum tenere non noueram,*Distinct.*40.*Can.*7.*ex Aug.*

Multi Sacerdotes, & pauci sacerdotes:multi in nomine,& pauci in opere. Videte ergo , fratres, quomodo sedetis super Cathedram:quia non Cathedra facit sacerdotē, sed sacerdos Cathedram: non locus sanctificat hominem,sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui benè sederit super cathedram,honorem accipit à cathedra : qui malè sederit,iniuriam facit cathedræ. Ideóque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit: non dignitatem:in iudicio enim tuo sedes.Si quidem benè vixeris & bene docueris,populum instruis:si benè docueris & malè vixeris, tui solius condemnator eris.Nam benè viuēdo & bene docēdo, populum instruis quomodo viuere debeat. Benè autem docendo & malè viuendo,Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Ibi.Can.* 12.*ex Chrysostomo.*

Ephesijs Paulus dicit,Mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrûm. Non enim subterfugi quominus vobis annuntiarem omne consilium

lium Dei.Mundus ergo à sanguine eorum non esset,si eis Dei consilium annuntiare noluisset: quia quum increpare delinquentes noluerit , eos proculdubio tacendo pastor occidit. *Distinct.*43.*Can.* 4.*ex Gregorio.*

Dispensatio est nobis cœlestis seminis iniuncta:væ,si non sparserimus:væ,si tacuerimus. Quod quum electionis vas formidet,& clamet : quanto magis cuilibet exiguo metuendum est?*Ibid.Can.*5.

Ex tot Canonibus Gratiani nunc supereſt vt theſes nonnullas lectori proponam,ex quibus de anarchia Pontificia, cuius Iesuitæ insigniores haberi Patroni volunt, facilè iudicium ferat , Porro exquisitam methodum hîc obseruare non licuit : omnia quæ in medium attulimus, ad examen,electionem & ordinationem clericorum seu ministrorum Ecclesiasticorum referri posse videtur.Hæ sunt igitur nostræ theses.

1. *Episcopus,presbyter,pastor,sacerdos,sunt synonima:nec differt episcopus ab alijs,nisi ordinis ratione.*

2. *Presbyteri Episcoporum assessores , consiliarij & collegæ erant, ex quorum consilio, & auctoritate & cœtu, deligebatur qui puritate vitæ & doctrinæ cæteros superabat,vt Ecclesiæ & Symmistis,ordinis gratia,præesset.*

3. *Mores episcoporum,ad Canonis apostolici.*1.*Tim* 3.*normam exigebantur.*

4. *Doctrinæ à pastoribus seu episcopis proponendæ summa ex libris Canonicis veteris & noui Testamenti hauriebatur.*

5. *Præstat paucos esse pastores quàm multos inutiles habere.*

6. Episcoporum sancta vita, sinceráque doctrina, prius probabatur, quàm eligerentur: nec ad Ecclesiæ gubernacula vllo modo admittebantur rerum Ecclesiasticarum imperiti.

7. Illiterati sacrarúmque literarum imperiti ad clericum & episcopatum minimè promouebantur, vtpote qui à Deo non edocti populum etiam docere non possent.

8. Quicũque ad Ecclesiasticum ministerium vocabãtur, à populis prius accepto testimonio, deinde ab episcopis, coram presbyteris & laicis nonnullis prudentioribus viris, per triduum de religionis capitibus examinabantur.

9. Absque populi expresso & legitimo voto, desiderio, consensu, omnis vocatio, electio, ordinatio, functio Ecclesiastica irrita habebatur.

10. Vnanimi consensu presbyterorum, Diaconorum, clericorum, & plebis, episcopi seu Sacerdotes & rectores Ecclesiarum eligebantur: nec consecrabantur seu ordinabantur, nisi prius audito totius cleri & populi consensu.

11. Canonici seu Clerici, sub anathematis vinculo ab episcoporum electione religiosos laicos non excludebant: si secus factum esset, irrita & nulla electio habebatur.

12. Priusquam pastores ordinarẽtur, desiderium & votum ciuium seu parochorum, testimoniũ & cõsensus populi qui mores probasset, testimonium & honorarium & prudentium ac eorum qui cum clericis de doctrinà iudicassent, subscriptio clericorum & electio cum totius Ecclesiæ consensu facta, requirebantur.

13. Quum

13. Quum duo in electione concurrerent, is præferebatur qui pietate & doctrina excellebat: ita tamen vt nullus obtruderetur inuitis & non petentibus: nec ex alia ecclesia vocabatur nisi quum in clero ciuitatis, cuius erat episcopus ordinandus, nemo idoneus apparebat.

14. Electus episcopus si displiceret, licebat populo alium eligere.

15. Imperator ab episcopo Romano rogatur (idem fiebat ab alijs episcopis) vt ecclesiam Reatinam pastore seu episcopo destitutam cuidam electo concedere dignetur.

16. In electionis confirmatione tum aliorum episcoporum, tum ipsiusmet Romani (qui electus ab vniuerso clero consecrabatur coram Senatu & populo, adstantibus legatis imperialibus) consensus & authoritas Imperatoris desiderabatur.

17. Nihil est facilius & leuius episcopali aut presbyterali officio, si perfunctoriè & adulatoriè res agatur: nihil verò difficilius, periculosius, & magis laboriosum, nihil etiam apud Deum beatius, si rectè quis eo munere fungatur.

18. Cathedra non facit aut sanctificat Sacerdotem, sed contra Sacerdos cathedram: nec enim omnis Sacerdos sanctus est, sed omnis Sanctus est sacerdos.

19. Pastores adulatores sunt homicidæ.

20. Ordinatio episcoporum, præter manuum impositionem, alias non nouit ceremonias.

Alias ex superioribus Canonibus theses colligere Potest Christianus lector, quæ anarchiæ Pontificiæ sordes magis ac magis detegunt. Hic verò non meas, sed quasdam alias, ab eruditis Theologis theses editas, atte-

xere visum est, ex quibus per antithesin & veteris & noui tum episcopatus tum presbyteratus facies apparebit, vt quàm vana sit Iesuuitarum aliorumque parasitorum, de hierarchica seu Papistica ordinatione circa ministerium Ecclesiasticum iactantia, vel cæci ipsi videant.

1. Quod ad episcopos attinet, quum iure diuino idē & vnus sit (functionis respectu) Episcopus, pastor & presbyter (ex eo quidem presbyterorum genere qui verbo prę sunt, & distingui possunt ab ijs qui disciplinæ ecclesiasticæ custodes cum ipsis Pastoribus constituuntur) in noua autem Romana Ecclesia res prorsus diuersæ sint episcopum esse & presbyterum esse, adeò quidem vt & multi sint illic episcopi qui presbyteri non sunt, nec vnquam fuerunt, & contra quàmplurimi & pene infiniti presbyteri, qui nec sunt, nec erunt vnquam episcopi, cōsequitur nullum apud Pontificios esse diuinum episcopatum.

2. Quum episcopus iure diuino nemo dicatur collegarum suorum respectu, qui omnes inter se æquales sunt, sed habita totius gregis (cui pariter præsunt) ratione, inter quos non gradu, sed ordine duntaxat præit, qui maximè idoneus ad moderandum totius presbyterij ordinem videtur: humana tamen prudentia, hunc ordinem, qui tantùm collocationis erat inter pares, ὑπαλλαξαι constituit, id est, paris ordinis seriem in superiorem gradum commutauit: ea tamen eminentia certis legibus, quasi vinculis, adstricta, ne in tyrānidem degeneraret.

3. Sed humanus hic episcopatus in noua Ecclesia Romana, non tantùm laxatis, sed etiam penitus abruptis & abolitis illis vinculis, in multiplicem tyrannidem euasit. Nullus est itaque inter pontificios, reipsa, siue ex diuino, siue ex humano illo

illo iure, sed nomine tantùm tenus, episcopus.

4. Quantum hic pseudoepiscopatus ab illo vero, tum diuino, tum humano, sensim in Ecclesiam inuecto discrepet, hęc etiam manifestè ostendunt. 1. Quod alij quidē ficta electione, quam tamen ad se impurissimis Canonicorū capitula abripuerunt: alij verò propudiosa nundinatione, conculcatis omnib. Canonibus, ad eum gradum conuolent. 2. Quod vt olim milites vestimenta Christi crucifixi inter se diuiserunt, ita pauperum bona palam & apertè isti pseudoepiscopi cū suis Capitulis sunt partiti. 3. Quod contra manifestum & sæpe repetitum Christi interdictum, dispensatione mysteriorum Dei à se abdicata, ἐπιτροπῆς ἀπολαύειν vsque adeò sese immiscuerunt, vt alij quidem omne dominiorum temporalium, quę vocāt, genus, vel ipsis deceptis ciuitatibus vsurparint, vel, (vt olim Pharisæi) ab incautis dominis, pietatis prætextu, quæ tamen neque dare neque accipere licuit, obtinuerint: alij verò principibus atque adeo regibus ipsis dominentur. Quid ni enim hoc faciant, qui imperium sibi in ipsas animas & conscientias, abrogato etiam, quoties ipsis libuit, expresso iure diuino arrogarunt? 4. Quod denique, siquid in specie Episcopalis muneris subeundum sibi existimant, id omne non in verbi diuini dispēsatione posito sit: sed partim in episcopalis habitus larua, & crucis consignatione, partim in superstitionibus & idolomaniis fouendis, vt in chrismate conficiendo, in confirmationis, quam vocant, cæremonia ridicula, in templorum & altarium consecratione, in sacrificorum nefaria ordinatione, in vanissimis denique quotidiani cultus idololatriæ ritibus cōsistat. Et hæc est scilicet vera illa & genuina successio apostolica, ex qua

discerni verè catholica Ecclesia ab adulterina possit. Alios verò pseudoepiscopatus pontificij næuos & errores, Gratianus plus satis detegit.

Quod ad Presbyteros, vt paucis supra dictum est, iure diuino diligenter in ecclesia Dei, quandiu rite gubernata fuit, obseruato, delecti fuerunt etiam alij communi presbyterorum nomine appellati, quod etiã Paulus συζυγους vocat, & videntur esse honoratiores illi, de quibus mentio fit apud Gratianum, spectatę videlicet pietatis homines, episcopis, siue pastoribus, siue presbyteris (iidem enim hi omnes sunt) allecti: quorum communi iudicio & authoritate peccatores admonebantur, aut etiam eccesiasticis censuris subiiciebantur, & partim merè Ecclesiasticæ causæ subortæ, ex Dei verbo decidebantur, partim ciuiles quoque lites, antequã Christiani essent magistratus, vt verisimile est, ex Apostolica doctrina amicè & citra vllum fori strepitum componebantur. Alij presbyteri, id est pastores eu episcopi, verbo præerant, quemadmodum antea diximus, & constat ex manifestis verbi scripti testimoniis.

Hoc igitur fuit Christianum presbyterium. At in noua Ecclesia Romana Presbyteris, quos verbi administrationi vacare oportuit, successerũt, quorum primariũ & præcipuum munus est, non Christi sacrificium annuntiare, non (quod ait Paulus) ex scriptura diuinitus inspirata plebem docere, arguere, exhortari: sed horrendo illo sacrificio, quo rursum reipsa Christum ipsum pro viuis & mortuis sese patri offerre comminiscuntur, Christianismum à fundamentis conuellere: cantibus, partim ridiculis, partim Dei verbo miserè discerpto consutis, partim etiam impietatis horrendę referetis, & quidem (ad ecclesiæ ludibrium) peregrina & plerunque barbara lingua cantillatis, Deo & hominibus illudere: idolis thurificare: baptismum mille modis conspurcatum, peregrino quoque idiomate, accepta pecunia, administrare: sacram Cœnam domini in detestandam idolomaniam commutare: miseram denique plebeculam non pascere, sed, tum à viuis, tum à mortuis perpetuo exacto tributo, deglubere. Hoc, inquam, illorum munus & hæc functio est, tum eorum quos Curiones & alterius cuiusuis generis beneficiarios appellant, tum eorum qui in diem viuentes, & ceu canes famelici pinguiorum illorum culinam affectantes, vicariam illis operam suam locant. Aliis presbyteris, quos συζυγους specialiter vocari diximus, penitus (etiam quod ad nomen ipsum attinet) abolitis, successerunt Officialis, quẽ vocãt, vt episcopi vicarius: Promotor, Curiæ (quã appellant Ecclesiasticæ) procuratores & apparitores: apud quos ciuilia pleraque negotia, maiore quoque & indigniore, quàm alterius vllius fori ciuilis strepitu, tractantur: de matrimonijs non ex iure diuino, sed impurissimo illo Canonico decidiur: iura denique omnia diuina venalia impudentissimè prostituuntur. Itaque in noua Ecclesia Romana nullum est presbyterium sacrum, nullus presbyter, nisi nomine tenus.

De Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Chorepiscopis, Archidiaconis, Diaconis, Subdiaconis, alijsque minoribus (quos vocant) ordinibus, nihil ex Gratiano in medium proferri, quoniam Chaos istud, hominum inuentum, non Christi præscriptum esse, tum ex libris Apostolicis, tum ex Ecclesiastica historia liquet. Nihilominus tamen de iis omnibus, theses eruditi theologorum subijcio, ex quibus constare queat quam execranda sit Papatus ἀνομία illa quam hierarchiam Iesuitæ, nos anarchiam seu ponerocratiam appellamus.

1. Quod igitur ad episcoporum in Patriarchas, Primates, Metropolitanos, Archiepiscopos (qui omnes initio iidem fuerunt) distinctionem attinet, totum istud esse humanæ dispositionis nó diuinæ institutionis, Hieronymus ipse apertis verbis testatur.

2. Fuerunt autem ista initio, non superioris alicuius dominationis, sed ordinis ac distinctionis nomina, vt si qua ecclesiastica controuersia incideret, & cùm de pastoribus eligendis ageretur, certo quopiam ordine tum Synodi cogi, & Synodalia iura exerceri, tum etiã vicinarum Ecclesiarum adhibito consilio electiones fieri, & rata omnia haberi commodè & citra confusionem possent.

3. Hęc Ecclesiarum distinctio, ad ordinem, non ad vllam gradus eminentiam spectans, consuetudine quadam paulatim comprobata, & à patribus in Nicena Synodo confirmata, per se quidem reprehendi non potest: sed in eo tamen duobus modis non satis prudenter fuisse Ecclesiis hac ratione prospectũ, exitus miserabilis tãdem patefecit.

4. Vno, quòd certis ciuitatibus ista θεσπέσια alligarunt, cùm habenda fuerit idonearum personarum, non autem ciuitatum potentiæ & frequẽtiæ ratio, docente ipsa experientia nullibi magis quàm in amplis ciuitatib. vitia serpere, quæ ipsos quoque pastores inuadant: qua in re mirum etiam illud est, Patres in illa distributione sequutos esse Romani imperij typũ, Sp. sancto per Ioannem de ista bestiæ imagine quantumuis loquente.

5. Altero, quòd pluribus quàm par esset Ecclesiarum presbyteriis vnum quempiam, & quidem ad finem vitæ vsque (nisi quid grauius incidisset, etsi tunc ille sese deturbari non facilè pateretur) continuandum præfecerunt: vnde primùm istis episcopis initio quidem ad opprimendos collegas suos, postea verò ad mutuas concertationes, inde ad oligarchiam, ac tandem ad Antichristianam tyrannidem aditus est patefactus.

6. Tanti fuit momenti eam quam Apostoli constituerant, & in qua sub cruce floruerant Ecclesiæ, Aristocratiam sub vnico monarcha per verbum suum ab apostolis perscriptum regnante, & sanctæ Eccles. democratia diuinissimè temperatam retinere, potius quàm nouas distinctiones & gubernationes, idque ad imperij Romani, sicuti diximus, exemplum comminisci: haud secus certè quàm olim Israëlitæ in aristocratia diuinitus instituta non acquiescentes, à Regibus, more vicinorum populorum, regi voluerunt.

7. Hoc tamen prospicientes Patres, plurimis generaliũ & particularium Synodorum decretis occurrere studuerũt, ne quo pretextu ordo iste in gradum & dominationẽ euaderet. Sed quid cogebat id instituere cui remedium quæreretur? Frustra autẽ id factum fuisse ipsa mox tristissima experientia docuit: non aliunde magis quàm ex istiusmodi auctoritate, certis ciuitatibus & sedibus attributa, exortis primùm schismatibus, deinde hæreseon defensionibus, mox ecclesiastica Aristocratia (cuius caput vnicus est Christus) in horribilem Oligarchiam cõmutata, quatuor primùm patriarchis dominium in reliquos collegas metropolitanos siue archiepiscopos vsurpantibus: quibus adiecto tandẽ Constantinopolitano quinto, & propter nouę Romæ dignitatẽ, secundum à Romano locum (Hierosolymitano, Antiocheno & Alexandrino inferius repulsis) vsurpante, ille quidem in Oriente, iste verò in Occidente thronum ipsius Christi occupauit.

Et hæc quidem de primarijs illis antichristiani mysterij gradibus, tum ex Synodis & Scriptis veterum, tum ex ipso Gratiano, variisque Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus collecta, Christiani lectoris iudicio submissa sunto. Iam verò quod ad alias functiones attinet, quarum sola nomina in Pseudo clero Romano, ad fucum faciendum remanserunt, ita se rem habuisse, etiam durante humano episcopatu, & priusquam horrendam illam ochloeratiam antichristus inuexisset, vel ex ipso Gratiano demonstratum est: Vnicam videlicet ad sactas ordinarias functiones viam apertuisse Dominum per apostol eam doctrinam, legitimam vocationem, liberam electionem, præeunte tũ doctrinæ tum morum examine factã, sicut infinitis puris Canonibus Synodicis cautum est. Huius electionis ius ad se Romæ impurus ille Cardinalium cœtus in tyranno suo œcumenico deligendo, vel potius manifestissima simonia addicendo vsurpauit. Ipse verò tyrannus, impudentissima nundinatione, quibusuis cum pecunia accedentibus, Ecclesiastica (quæ vocant) beneficia, quoquomodo attribuendi potestatem, imperato & exacto quod libuit venditionis pretio, nulla Canonis vllius seu veteris seu noui habita ratione, sibi vsurpauit: episcopis quidem per prouincias, & alijs nonnullis, collationis iure, quod vocant concesso, de nominatione quoque cum regibus & principibus, qua sibi conditione libuit pactus. Porro de diaconatu, in apostolica & veteri Ecclesia laudato & necessario munere ecclesiastico: tum de rel quis ordinibus, quos minores vocant, & de quibus, tum etiam de diaconis & subdiaconis eorúmque ordinationibus Gratianus disserit Distinct. 23. aliquid est nobis ex eruditiss. theologorũ disputationibus subijciendũ.

Penes diaconos, iure apostolico fuisse bonorũ Ecclesiasticorum administrationem, Pastorum inspectioni obnoxiam, extra cõtrouersiam est apud omnes in sacrarum literarũ lectione & puræ Ecclesiæ historia versatos. At in noua Ecclesia Romana, in qua Subdiaconos etiam visum est diaconis

conis adiungere, quid est Diaconi partes obire? tunica sine manicis à sacrificulo missificante discerni: sacrificulo isti (si quidem canora fuerit Missa, nam alioqui nullus est laruatis diaconis locus) ad dextram & sinistram quædam obmurmuranti respõsare: epistolam quam vocant, & Euangelij centonem peregrina lingua decantare: patenam & calicem soli epulaturo præbere: discum denique in quo pecuniam à miseris ouiculis pro viuis & mortuis oblatam, sed inter ipsos dũtaxat lupos diuidendam, recipiãt, gestare. Et qui nam hoc ministerio funguntur? Illi ipsi, qui quum presbyteri siue sacrifici quoque sint, tamẽ (dicis gratia) Diaconi & Subdiaconi personam in hac fabula sustinẽt. Interea verò quid fit ecclesiasticis pauperum bonis? Tota hęc pręda (exceptis προχειροτονίαις, quibus coguntur ciuitates priuatim consulere) inter istos lupos discerpta, canum & equorum alimoniæ, scortorum & lenonum gregibus, aleæ, omni denique luxui, omnibus spectantibus, impenditur: nisi si quid absorbet auaritia, vel in mutua inter ipsos bella, vel ad persequendos pios consumitur. Nulla ergo est in Papatu verè sacra Diaconia: nullus nisi nomine tenus, Diaconus, nisi malimus perditos illos, non Diaconos, sed sacrilegos vocare. Archidiaconos (vt archiepiscopos & archipresbyteros) tanquam humana figmenta, quæ postea in ecclesiæ pernicie, antichristianismi fulcra facta sunt, deregere quàm prolixo scripto refutare satius est.

Quod ad minores, quos vocãt, ordines attinet, non tam sunt ecclesiastica munera cẽsenda, quàm exercitia quædam, quibus iuuenes ecclesijs dicati, paulatim ad sacrum verbi Dei ministeriũ, probata sua pietate & fide, instruebantur: exceptis

quidem exorcistis. Ostiariorum itaque officiũ erat fores templi obseruare, ne quis Catechumenus, aut qui pœnitẽtes in ecclesiæ limine consistebãt, ad sacram synaxin temerè prosilirẽt. Lectores autẽ pro suggestu aliquid ex sacris literis plebi concionem expectanti prælegebant. Acolythi, pastores ac præsertim episcopum assectabantur, non tantùm honoris, verùm etiam variorum ministeriorum obeũdorum causa, si quibus opus esset: atque adeo vt Pastores seu episcopi, nihil sine teste, quoad eius fieri poterat, agerent: ideò denique vt assidua eiusmodi assectatione & auditione, iuuenes ad sacras functiones paulatim erudirentur. Exorcistarum denique, quandiu viguit miraculorum donum, ad energumenos & arreptitios alios sanandos, vel peculiaribus saltem quibusdam precibus Deo commendãdos, opera vsa est Christiana Ecclesia: quod miraculorum donum quum desierit, quorsum iam nobis exorcistæ? In noua verò Ecclesia Romana, quoniam veteribus Canonibus cautum fuit ne quis ad ecclesiasticas functiones temerè admitteretur, qui nõ prius pietatem & diligentiam suam in illis minutis exercitijs Ecclesiæ probasset: idcirco boni nostri Romanenses priusquam (vt ipsi loquuntur) ad maiores ordines suos inordinatissimos admittant, vna eadémque hebdomade suos Clericos, data quidem pecunia, Ostiarios, Lectores, Acolythos, Exorcistas, ridiculis prorsus ritibus constituunt: & mox eosdem, exiguo interiecto interuallo, si quidem hoc & ipsũ redimere voluerint, maioribus suis ordinibus initiant. In templis autem suis nec Ostiarios, nec Lectores (quales nouit vetus Ecclesia) habent. Acolythos ne de nomine quidem norunt. Exorcismos autem partim Curiones, vel ipsorum vicarij presbyteri, in baptismo, quasi Christianorum omnes liberi Dæmoniaci nascantur, ridiculè obeunt: partim certi quidam, quasi peculiari quapiam aduersus dæmonas diuina potestate (vt olim, vigente miraculorum dono) præditi, adhibitis miris præstigijs exercent: idque (vt sæpissimè perspectum est) plerisque subornatis qui se dæmoniacos simulent: interdum verò cum aliquo etiam successu, facilè nimirum dæmone non recusante ex alicuius corpore excedere, quasi crucis consignatione vel aquę incantatæ asperfione, vel mortuorũ inuocatione victo, vt quamplurimas miserorum animas ludificatus in superstitioso cultu confirmet. Itaque in Papatu nullus est, nisi per ludibrium, & solo nomine tenus, Ostiarius, vel Lector, vel Acolythus, vel Exorcista.

Ex superioribus autem Canonibus & disputationibus sequitur nullum esse in illa anarchia Pontificia ordinem verè sacrum, nullam legitimam vocationem, ac proinde nullam verè Apostolicam successionem, sed meram sacri ministerij vsurpationem: ex qua colligitur necessariò, quum sacrum ministerium sit vera & essentialis veræ & Catholicæ ecclesiæ nota, fuisse quidem & adhuc aliquatenus esse veram Ecclesiam in illa Babylone captiuam, quam Dominus asserere adhuc aliquot annis cœpit: Babylonem autem illam nunquam fuisse nec futuram Ecclesiam Dei. Quid autem pro maioribus & minoribus ordinibus seu confusionibus Pontificijs Anti-gratiani obijciant, audiamus.

Iesvvitæ.

Ordinis Sacramentum est, quo singularis gratia ac potestas spiritualis quibusdam traditur, vt munus in Ecclesia ex professo geratur. Hoc est Sacramentum per quod, velut ostium, necessariò intrãt legitimi dispensatores mysteriorũ & eloquiorum

Dei, ministri Christi & Ecclesiæ, episcopi, presbyteri, diaconi, & quotquot demum in ecclesiasticis munus obeundis ritè & cum authoritate versantur. Nemo enim, vt scriptura testatur, sibi sumit aut sumere debet honorem, exercendorum videlicet ministeriorum Ecclesiæ, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: hoc est, nisi sacramenti visibilis ordinationis initiatus, & ab episcopo legitimè ordinatus missúsque fuerit ad opus certi ministerij, quod in Ecclesia pro suo statu gerat tuxta leges diuinæ & Apostolicæ traditionis. Canis. catechis. Iesuitic. pag. 298.

Hîc tot insunt sophismata quot lineæ. sacramenti tum vocis tum rei significatio genuina prius fuit à Canisio explicanda, quâ suo dolè reticuit. Si quis enim S. Baptismum & Eucharistiam excipiat, Sacraméta, propriè dicta, nulla esse sub Euangelio firmis testimoniis euincet. Quæ autem profert ex Augustino & aliis, quibus impudentissimè Conciliabulũ Tridentinũ adiunxit, vt probet Ordinationem ecclesiasticum esse Sacramentum, partim falsò partim in aliũ sensum dicuntur, partim ex scriptis & decretis non probatis hausta sunt. Deinde tota illa definitio, si expendatur, clerus papisticus inordinatus & Babelis populus apparebit. Præterea maiores ordines confundit cum minoribus qui exercitij gratia tantùm instituti videntur. Quomodo autem Ostiarij, lectores, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, episcopi & pontifices ipsũ nouæ Ecclesiæ Romanæ sunt dispensatores mysteriorum & eloquiorum Dei, Iesuiticus ille Patriarcha Canisius per otium nobis interpretabitur. Porrò quod ex epistola ad Hebreos citat, tam ad ministros papisticos quàm ad merè laicos pertinet. de legitima ordinatione & missione episcopi, quid sit sentiendum, paulò ante ex Gratiano intelleximus, quæ quidem distinguenda, non tamen separanda sunt, vt sophistæ vociferantur. Postremò, quæcunque de apostolica & diuina traditione garrit Canisius, petunt principium, ambigua sunt, nec satis hactenus à Iesuiticis magistris explicata sunt. Sed Canisij textum persequamur.

Nónne omnes Christiani exæquo sunt Sacerdotes? Dici quidem ita possunt hactenus, quòd sicut sacerdotes externa quædam Sacrificia & ministeria sacra exercere solẽt, sic quotquot sunt in Christo renati, spiritualia quædam sacrificia, nimirum orationes, laudes, gratiarum actiones, carnis mortificationẽ, & id genus alia quotidie possint ac debeant offerre, sedulóque exercitare, vt hinc Spirituales coram Deo Sacerdotes, & Spirituales offerre hostias in Scriptura dicantur. Verùm si propriè hoc nomen Sacerdotij accipimus, non sunt promiscuè Sacerdotes omnes, sed hi duntaxat, quibus authoritas Ecclesiæ, vt Sacramẽtorum propriè sint ministri, demandauit, atque ad consecrandum, offerẽdum, dispensandúmque Sacram Eucharistiam, & ad peccata hominum tum remittenda tum retinenda ius contulit. Ac de his quidem nouæ legis Sacerdotibus seu presbyteris, ita Paulus: Qui bene præsunt presbyteri duplici honore habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Id quod certè congruere non potest mulieribus, quas in Ecclesia idem Apostolus docere vetat ac tacere iubet: neque omnino plebeijs cõuenit, quorum est ouium more pasci, non pascere: regi non regere: nec se præferre, sed subjicere præpositis, & quæcunque hi, siue boni, siue mali, in Cathedra sedẽtes, dixerint, audire, seruare, & facere, vt verbo Dei præceptum legimus. Quapropter, sicut in Ecclesia triumphãte Angeli

sunt ordine ac potestate differentes, qui iniuncta sibi munia decenti quadam obseruata dispositione obeunt ac fideliter exequuntur: sic militantis etiam ecclesiæ, quæ domus Dei & veluti castrorum acies quædam ordinata est, ministros habet sibi peculiares, à reliquis Christianis seiunctos, & pulchro ordine inter se dispositos, ad publica & communia ecclesiæ ministeria in terris peragenda, nimirum vt pro Christiano populo in his quæ ad Deum salutémque animarum spectant suas illi operas ex professo ac pro dignitate præstent. *Canis. catechism. Iesuit. pag. 302.*

Rursum Canisius peccat ignoratione elenchi, & confundit omnia, quæ discernenda sunt, vt Iesuiticus dolus pateat. Christianos omnes ex æquo esse spirituales sacerdotes credimus: ecclesiasticos autem sacerdotes sacrificulos missaticos esse probet Iesuita. Ex Gratian. Canonibus, quale sit sacerdotum officium supra dictum est: nec ad altare lapideum histrionem agere Canisius ostendet idem esse ac laborare in verbo & doctrina. Miror autem quid impulerit Apostolum istum Iesuiticum vt de mulieribus verba misceret. At si mulieribus nunquam licet docere in Ecclesia, cur Sacramentum administrare licebit? Si verò Sacramentum à muliere administratum valet, quale discrimen inter ministerium Sacrificulorum & mulierum nobis constituet Iesuita? veritque enim docēdi munus aufert. Pastores certè non sunt, nisi legitimè electi, vocati & ordinati: nec aliter Theologi nostri docent: sed qui fuit ante ouis num potest esse pastor, & ex laico fieri clericus? Deinde, quid ista ad sacrificulos papisticos, quorum cachedra iampridem conuersa est in aram seu haram, circa quam in cōtemptum filij Dei fabulam ridiculam & execrandam quotidie saltant? Cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos Cathedrā, vt ex Chrysostomo antea dictum est. Quid sit autem in cathedra sedere, reticet Canisius, & versutè quidem, ne turpitudines istorum sectatoribus suis detegat. Postremò, si quadrat similitudo ex ordinibus Angelorum à quibusdam curiosè compositis: quemadmodum vnus & idem sacrificulus papisticus est simul Exorcista, Acolytus, Lector, Ostiarius, Hipodiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus, & tandem summus Pontifex: ita vnus & idem erit simul angelus, archangelus, cherubim seraphim, denique vno eodemq; momēto inter omnes illos nouē gradus cælestes. Sed tædet me harum nugarum. Porro, quid conducat tota illa theatrica talitatio ordinationum seu confusionum pontificalium in Lectoribus, Diaconis, &c. instituendis, ad Dei gloriam & ecclesiarum salutem promouēdam, Lynchę isti Iesuitæ viderint, penèsque Christianum lectorem esto iudicium. Sed ad Canisii dicta reuertor.

Quo loco Scriptura Ordinis sacramento testimonium præbet? Illic scilicet, vbi de Apostolis docet, quod in ecclesia ministris deligendis, instituendis atque ordinandis, vsi sunt manuum impositione. Hoc enim veluti Symbolo certo & efficaci præsentis gratiæ, quæ in ordinum collatione exhibetur & accipitur, Sacramentum illud nobis est commendatū. Quare Paulus ad Timotheum à se factum episcopum scribens, & acceptæ in hoc sacramento gratiæ illum admonens, Noli (inquit) negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et rursus ad eūdem, Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Quoniam verò permagni refert, quales in Ecclesia quibuscunque munis præficiantur, & Ecclesiasticam potestatem ex hoc Sacramento accipiant, ad omnem episcopum dicitur: Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Canis. catechism. Iesuit. pag. 306.

Sacramenta sunt sigilla iustitiæ fidei vnionisque no-

stræ cum Christo, in quo Dei promissiones, per verbum oblatæ, sunt etiam & amen: communia autem sunt illa omnibus Christianis, videlicet Baptismus & Cœna Domini. data autem fuisse Ecclesiæ alia Sacramenta quibus remissio peccatorum, promissio vitæ æternæ in Christo, cui per fidem & Spiritum Sanctũ vnimur, si quis Iesuuita probat ex scripto Dei verbo, aut ex authenticis Apostolicorũ virorum scriptis, tunc credemus, alioqui istorum garrulitas nullam apud nos habet fidem. De impositione manuum agit Paulus. Ergo hæc cæremonia est Sacramentum noui Testamenti. Ludit in voce Sacramẽti quæ est homonyma. Illud autem quæritur, an Timotheus & alij, simplici cæremonia contenti, in templis histrioniam exercuerunt? Absit. Laborarũt in verbo & sermone. Quid Timotheo & fidelis Ecclesiæ Christi Pastoribus cũ histrionibus Papisticis? Cæterùm, impositionis manuum cæremonia ex veteribus & legalibus ritibus ad tempus retenta est, vel potius ad imitationem impositionis manuum, quæ fiebat super hostiam sacrificandam recepta in Christiana Ecclesia, quemadmodum ex varijs Scripturæ locis colligi potest. Cur autem fieret, duplex ratio videri potest. 1. Vt intelligeret is cui manus imponebãtur, se totum Deo asseri & destinari: denique in se à Deo manus injici, vt iam mundi negotijs abrenunciãs totus muneri suo ad Dei gloriã incumberet atque inseruiret. Vnde preces adiungebantur, vt eum Dominus ipse præstaret & efficeret talem. 2. Vt Spiritus S. dona in electum effunderentur, eúmque, quatenus quáque mensura Dominus ipse videbat conducere, impleret. Quod ipsum etiam tota Ecclesia pro electo summis votis à Deo petebat. Vnde ab Augustino, sicut ex Gratiano antea retuli manuum impositio nihil aliud esse definitur, quàm oratio super hominem. Hæc tamen cæremonia, cùm sit tantùm ritus quidam, ad salutem & cõfirmationem Ecclesiæ vel eius cui applicatur, necessaria non est, modò preces adhibeantur in confirmando electo, & Ecclesia vota sua cum eo cõiungat, vt Spiritu Dei corroboretur. Id verum esse apparet, quod Paulus ipse non semper hac voce & cere-

remonia vtitur, cùm de electione episcoporum agit: vti Tit. 1. vers. 5. Deinde quod etiam ipsius Canonibus retribus non requiritur hęc impositio manuum in omnibus ordinibus, veluti in acolytho & Subdiaconis ordinandis, vt expressè refertur, Can. *Subdiaconus*, & Can. seq. distinct. 24. quicquid ibi glossa glossęt & distinguat. Tertiò, quòd ipsis etiam Papistis testibus, tota vis huius impositionis manuum à precibus pendeat, non ab ipso ritu & iniectione manuum in ordinandos: adeo vt sit tantùm illa cæremonia signum quoddam externum commendationis cuiusdam, quæ à tota Ecclesia fit Deo, illius personæ quæ electa & in muneris sui possessionem mittenda est. Vnde prætermissa precatione nihil omnino valet & efficit ipsa manuum impositio, etiam ab episcopo facta, vt est in Can. *Quorundam*, distinct. 24. Ergo cùm preces retinẽtur, ipsis Canonibus autoribus, ipsa impositionis manuum vis, signis & substantia conseruatur: neque etiam est hæc impositio vt essentialis pars & ritus legitimæ vocationis. Quartò, nulla vera est manuum impositio in ordinationibus Papisticis, vbi preces, quantumuis puris vocibus conceptæ, profanæ & execrabiles redduntur ab ijs ipsis ordinatis, qui in hoc positi esse videntur vt Christi gloriam & veritatem in toto illius suæ vocationis curriculo horrendum in modum conspuant. Denique dum hanc cæremoniam præcisè vrgent nonnulli, videmus eos in vanas & ineptas quæstiones incidere: veluti de triplici manuum impositione, vna ordinatoria, altera confirmatoria, tertia cutatoria, vt est in *Can. Manus*, 1. *quæst.* 1. Item, vtrum reperi in eodem possit manuum impositio. Item, vtrum sic manus imponi debeant, vt caput ipsum electi attingãt, de quo anxiè quæritur *in Can. Episcopus, dist. incl.* 23. alias quæstiones verè Papisticas legat qui volet apud Durandum, lib. 2. rational. diuin. officiorum. Præter hæc omnia, Canis. cõfundit miraculosas manuũ impositiones, Apostolorũ seculo, cũ ritibus postea inuectis & nõ prorsus necessarijs, modo legitimæ vocationis pars præcipua maneat, oratio videlicet Ecclesiæ ad Deum, & verè Ecclesiasticę functionis administratio. Deinde, non distin-

guit veras, perpetuas, necessarias & ordinarias functiones ab exercitiis quibusdã non omnibus Ecclesiis & temporibus necessariis, Ostiarios, lectores, &c. Ecclesiis quibusdam inseruijsse non diffiteor, quis verò illos semper necessarios fuisse affirmare ausit? de interpretatione & sensu verborum apostoli videat lector Theologorum expositiones in Paulum. Quod autem subiicit Iesuita, de non communicando peccatis alienis præcipitata manuum impositione, in totum illum clerum papisticum torqueri ita potest, vt ordinantes & ordinatos notasse Paulus videatur: quid enim est ista colluuies, aliud quàm locustarum ex abysso prodeuntium multitudo, quæ impio strepitu, i. inani pompa, ignorantia scripturarum, superstitionum fumo, multiplicique idololatria Dei veritatem è mũdo tollere conatur? Sed Canisium audiamus.

Quot gradus in se continet hoc Sacramentũ? Generatim quidẽ minores ordines, maioréſq; continet: minores scilicet quatuor, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum & Acolytorum: maiores verò tres, nempe Subdiaconorum, Diaconorũ ac Presbyterorum. Ex presbyteris porro alij maiores, alij minores à Christo instituti inueniuntur. Maiores enim presbyteri, apostoli sunt, eorúmque successores episcopi, magna sane potestate & reuerenda dignitatis prærogatiua excellentes. Nam horum est (Scriptura teste) attendere sibi & vniuerso gregi, quem à Sp. sancto curãdum pascendúmque acceperunt, regere Ecclesiam, ea quæ desunt corrigere, per ciuitates item presbyteros constituere. Minores verò presbyteri sub episcopis, sicut septuaginta duo illi discipuli sub apostolis, in Ecclesiæ ministerio deseruiunt, dona ac sacrificia pro peccatis offerunt, atque in curanda dominica messe, tanquam operarij secundum illos existunt. Ac minimorum quidem quatuor ordinum clerici hoc propriũ habeant munus vt sacerdotib. & episcopis multis in rebus præsto sint, vt ad sacra conuenientem populũ ordinent, atque paulatim ipsi, velut quibusdam gradibus ad maiora munia in ecclesia obeunda rite instituãtur atque præparentur. Cæteri verò maiores tres ordines, cùm in alijs, tũ in sacris Eucharistiæ mysterijs maiorem cõferunt potestatẽ. Igitur subdiaconus & diaconus dictis iã mysterijs tanquã ministri adesse, episcq; sacerdotib. proximi esse possunt. Et quanquã quod ad Ordinis Sacramentũ ac sacrificãdi authoritatẽ attinet, discrimen inter episcopos & sacerdotes non sit, tamen sunt illi sacerdotibus multò excellentiores, si ecclesiæ gubernandæ, si pascendarũ animarũ ius, tum baptizatos confirmandi & Clericos ordinãdi potestatem consideremus. Verum præsentis instituti nõ est, quæ singulis ordinibus functiones & leges præscriptæ sint, enucleare. Illud sanè cõstat, magno in pretio cunctos ordines habendos ac sedulò reuerendos esse. Firmũ enim testimoniũ illis præbet Sacra Traditionis Apostolicæ Ecclesiasticæq; obseruationis disciplina, quæ ad nos vsque transmissa perdurat. Canis. Catechism. Iesuuit. pag. 307. 308.

Cogit nos importunus ille clamor nonnulla repetere ex eruditiss. quodam Theologo, quæ superiora explanabunt, Quia ad ministerium Ecclesiæ multa pertinent officia, quæ in magna credentis populi frequentia non possunt cõmodè omnia & singula ab vno vel à paucis expediri: vt igitur ordine, decenter, & ad ædificationẽ omnia fierent, cœperunt multiplicato ecclesiæ cœtu officia illa ministerij in gradus quosdam ministrorum distribui quos τάξεις seu τάγματα postea appellarunt: vt quisque haberet designatam certam quasi stationem, in qua certis ministerij officijs Ecclesiæ inserviret. Ita Apostoli principio curarunt ministerium verbi & Sacramentorum, & simul etiã eleemosynarũ distributione & dispẽsationem.

Postea verò crescente numero discipulorum, partem illam ministerij quæ ad eleemosynas pertinet, aliis quos diaconos nominabant commodarunt. Rationem quà illud faciunt assignant, vt scilicet ipsi ministerio verbi & orationi diligentius, sine auocamentis instare possent. Act. 6. Et hæc prima origo graduum seu ordinum ministerij in ecclesia apostolica, ostendit, quæ causa, quæ ratio, quæ finis & vsus debeat esse huiusmodi seu graduum seu ordinum: vt videlicet pro ratione cœtus ecclesiastici singula officia quæ ad ministerium pertinent, commodius, rectius, diligentius, & ordine, cum aliqua grauitate ad ædificationem obeantur. Et quia Apostoli, ex diaconis postea, qui probati erant, assumpserunt ad ministerium docendi, vt Stephanum & Philippum: colligitur hûc etiam vsum esse horum graduum seu ordinum, vt in minoribus prius præparentur & probentur, vt postea grauiora ministerij officia tutius & cum vtilitate ipsis commendari possint. Varios autem gradus seu ordines fuisse ex Pauli epistolis cõstat. Addenda verò est propter præsentem disputationem hæc commonefactio. 1. Non esse verbo Dei mandatum, qui, vel quot tales gradus seu ordines esse debeant. 2. Non fuisse tempore Apostolorum in omnibus Ecclesiis, & semper, eosdem & totidem gradus seu ordines, id quod ex epistolis Pauli ad diuersas Ecclesias scriptis manifestissimè colligitur. 3. Non fuit tempore Apostolorum talis distributio graduum illorum, quin sæpius vnus & idem omnia illa officia, quæ ad ministerium pertinent, susti neret & exerceret: id quod ex Apostolica historia manifestum est. Liberæ igitur fuerunt tempore Apostolorum tales ordinationes habita ratione ordinis, decoris, & ædificationis: nisi quod tunc peculiaria quædam dona, vt linguarum, prophetiæ, Apostolatus, miraculorum, certis quibusdam personis à Deo collata fuerunt. Illi verò gradus, de quibus hactenus diximus, non fuerunt aliquid præter & extra ministerium verbi & sacramentorum, sed ipsa & vera officia ministerij in gradus illos distributa fuerunt, propter causas iam expositas.

Illud Apostolorum exemplum primitiua Ecclesia eadem

dem ratione & simili libertate imitata est. Gradus enim officiorum ministerij distributi fuerũt: non autem eadẽ planè ratione sicut in Corinthiaca vel in Ephesina Ecclesia, sed pro ratione circunstantiarum cuiusque Ecclesiæ: vnde colligitur, quæ fuerit in distributione illorum graduum libertas. Nec conueniunt veteres in horum enumeratione. Alij enim 3. alij 5. alij 9. constituunt, nec de nominibus ipsis conueniunt. Multiplicatio verò ordinum Ecclesiasticorum inde orta est. Cyprianus enim lib. 3. epist. 22. ostendit talem fuisse disciplinam, vt nihil quod in Ecclesia & rebus Ecclesię, etiam si non propriè ad ministerium verbi pertineret, agendum esset, per alios exequeretur quàm per clericos. Atque ita pedisequos seu famulos episcoporum & presbyterorum oportebat esse clericos. Inde postea ex clericis sumpti sunt œconomi, defensores, vicedomini, maiores domus. Erant igitur clerici qui peculiari & arctiori disciplina formabantur & præparabantur ad ministerium Ecclesiæ. Atque illi primùm ad minora quædam officia adhibebantur, vt in illis studiũ, diligentia, fides & gratitas ipsorum probaretur, an idonei futuri essent ad maiora & grauiora ministerij officia. Et in frequentioribus Ecclesiis, cùm præsertim vndique ex agris, vicis & oppidulis, ad metropolitanam Ecclesiam, præsertim in solennioribus festis, conuenirent, conuenundum esset, sicut multi veteres Canones hoc præcipiunt, vnus vel pauci non potuerunt omnia & singula ministerij officia obire. Distincti igitur fuerunt gradus seu ordines non ociosis titulis, sed certis officiis ad ministerium & ædificationem Ecclesiæ pertinentibus. Erat episcopus tractans verbum Dei & curans disciplinã Ecclesiæ. Presbyteri docebant, & administrabant Sacramẽta. Diaconi erant præfecti thesauris Ecclesiæ, vt inde pauperum, & præcipuè ministrorum ecclesiæ, sustentationem curarent. Postea diaconi etiam, ad sublcuandam partem aliquam ministerij episcopi & presbyterorum, adhiberi cœperunt, sicut testatur Hieronym. ad Rusticum: vt ad prælegendum aliquid è scriptura, ad docendum, exhortandum, &c. monere populum vt omnes intenti essent, corda haberent ad dominum, pacem annunciare, parare ea quæ pertinent ad administrationem sacramento-

rum, distribuere populo Sacramenta, ordinandos deferre ad episcopum, de ijs quæ ad disciplinam pertinét monere episcopos, &c. Quia autē nouis illis officijs diaconi occupabantur, substituti sunt illis Subdiaconi, qui oblationes fidelium quæ pro sustētatione pauperum & ministrorum contribuebantur colligebant. Erant præterea Lectores qui ex Scriptura, præsertim ex veteri Testamēto publicè populo prælegebant: noui enim Testamēti lectio postea Diaconis attributa est. Erant Psalmistæ seu Cantores, qui præcinebant quæ totus populus canere solebat. Erant Ostiarij seu ianitores, qui tempore mysteriorum, post denunciationem Diaconi, templo eijciebant gentiles. Catechumenos, pœnitentes, energumenos, hæreticos & excommunicatos. Episcopi, Presbyteri & Diaconi, habebāt suos famulos, ministros, comites seu assectatores, quorum opera, si necessitas exigebat, vtebantur. Illos nominarunt ἀκολούθους. Erant præterea Exorcistæ, qui donum habebant eijciendi aut compescendi dæmonia.

Distributionem illorum graduum, qualis fuit in veteri Ecclesia, sine superstitione, non vt histrioniam introducerent, sed pro ratione temporum & locorum nō reijciunt aut damnant Ecclesiæ: sed pro ratione necessitatis & ædificationis illis vtuntur, & Papisticas istas simias abijciunt, sicut antea dictum est. Hoc verò iustè & meritò in Pontificijs illis ordinibus reprehenditur: 1. quod titulus sine re, & beneficia titulorum sine officijs, retineant & vsurpent. Cùm enim Canonici officia ministerij verbi & Sacramentorum ex vastis illis suis templis ad angustas & humiles parochiarum ædiculas, vbi vnus vel duo omnia ministerij officia obire cogebantur, reiecissent, retinuerunt ipsi otiosos quidem titulos, quasi munere ipso fungerentur, nec tamen inanes titulos: propter pingues enim præbendas, titulos ordinum retinuerunt. Episcopi non amplius docebant: non contribuebantur amplius oblationes, cùm Ecclesiæ dotatæ essent. Ad quid igitur opus fuit, vel Diaconis vel Subdiaconis? Disciplina eijciendi Catechumenos, pœnitentes & energumenos, iamdudum collapsa est. Quis igitur vsus est Ostiariorum? Vt enim

enim fores templi occludantur, vt canes quadrupedes expellantur, vt pauimentum purgetur, ad illud non est opus peculiari ordinis sacramento. Lectores, hodie ludiones, non legunt vt populus intelligat. Cantores non præcinunt, vt populus simul canat. Non igitur habent vel Lectores vel Cantores, quales in veteri Ecclesia fuerūt. Non habent donum expellendi Dæmonia: qualis igitur apud ipsos ordo est Exorcistarum? Ministri Episcoporum & presbyterorum sunt equites, milites, ganeones, Caiaphæ & Sacerdotum Hierosolymitanorum seruuli, & tamē de Sacramentorum ordinis Acoluthorum multa disputant. 2. Titulis illis adulterina supposuerunt officia, reiecto vero legitimóque ministerio verbi & Sacramentorum. Episcopatum enim in politicam dominationem, presbyteros episcoporum collegas in sacrificulos, presbyteros disciplinæ ecclesiasticæ conseruatores in Canonicos Epicuri de grege porcos. Diaconos & Subdiaconos in mōriones & histriones transsubstantiauerunt. Ex Acoluthis fecerunt ceroferarios: quia enim veteres alicubi dicunt fuisse ministros luminarium in nocturnis conuentibus, Pontificij Acoluthum in ceroferarium conuerterunt, interpretatione prorsus inepta, falsa & barbara. Ex Ostiarijs quosdam ædituos, canum expulsores, luminum coram simulachris incensores, campanarum pulsatores fecerunt. Diaconi thesaurarij creati sunt, vt bona Ecclesiastica inter Sacros illos prædones diuiderentur. Lectores & Cantores, quantum à forma veteris Ecclesiæ degenerarint, sola collatio ostēdit. Et postremò omnes ordines, maiores & minores, tandem transformati sunt in Lectores & Cantores, quid enim aliud quotidie agunt? idque contra Can. 2. distinct. 92. Exorcistas tandem in profanos quosdam impostores & incantatores transformarunt. 3. Fingunt ex institutione & mandato Christi, & ex Apostolorum traditione necessarium esse, vt tot ordines sint in singulis ecclesijs. Aliter loquitur Apostolica historia & Scriptura, sicut ex illius attēta lectione apparet. Et Patres quorū ætate fuit talis graduū ministerij Ecclesiastici distributio, expressè fatentur illam non esse vel mandati

diuini, vel traditionis Apostolicæ. Ambrosius enim in 4. cap. ad Ephes. cùm ordines suæ Ecclesiæ recensuisset, subjicit, olim Episcopũ omnia officia Ecclesiæ in ministerio fidelium impleuisse: sed postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, aliter rem compositam fuisse quàm cœperat. Et mox addit, Ideo non per omnia conueniunt scripta Apostoli ordinationi quę nũc est in Ecclesia: quia hęc inter ipsa primordia sunt scripta. Et Hugo dicit, Ordines istos diuersis locis dispoui; non solùm voluntaria ordinatione spiritalium Patrum, sed ex ipso quoque gentilitatis vsu conuenienti ratione assumpta. Quàm bellum igitur figmentum est, Christum ipsum per omnes illos ordines transijsse? Fuisse Ostiarium quando ementes & vendentes templo expulit: Lectorem, quum in Isaia legeret ex libro: Exorcistam, quando Dæmones expulit: Acoluthum, quando dixit, Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris: Subdiaconum, quando discipulorum pedes lauit: Diaconũ, quando distribuit Eucharistiam: & Presbyterum, quando se in ara crucis obtulit, & Eucharistiam consecrauit. 4. Ideo de ordinibus illis dimicant Iesuuitæ & alij Papatus Patroni, vt ex singulis peculiaria faciant Sacramenta, etiamsi otiosi tantùm prætendantur tituli. Atqui augustum est Sacramenti nomen in Ecclesia, nec ita prostituendum est vt ad theatricos saltatores deijci debeat. Porro quæ Canisius addit pag. 1313. de Sententia veterum Patrum, abundè iã explicata sunt: liberas fuisse in veteri Ecclesia graduum & ordinum istorum distributiones & ordinationes. Nec sequitur à Pontificijs iure nunc retineri, quum ordinem istum in horrendam ἀναξίαν commutarint. Reliqua absoluamus.

Quis est ordo in Ecclesia magis celebratus? Presbyterorum ordo, siue Sacerdotium: de cuius ingenti sempérque reuerenda dignitate Chrysostomus & Ambrosius libros integros ediderunt. De quo magnus etiam ille Ignatius, Sacerdotium, inquit, summa est omnium honorum, qui in hominibus consistunt: quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ & solum naturæ principem Sacerdotem Dei. Hæc ille. Quin & dilucidè testatur diuinum oraculum, Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Et rursus, Deuter. 17. Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctúsque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Hinc & apostolus iubet, 1. Timoth. 5. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: ídque ad Timotheum Ephesiorum episcopum scribitur, sicut & illud iam ante citatum, Qui bene prę sunt presbyteri duplici honore digni habeantur: maximè qui laborãt in verbo & doctrina. *Canis. Catechis. Iesuuit. pag.* 314-315.

Suo more agit Canisius. Quid sit presbyter aut Sacerdos nõ explicat, sed citatis Chrysostomo, Ambrosio, Ignatio, & testimonijs quibusdam Scripturæ, aliquid magni se præstitisse somniat. At nullum in Scriptura Canonica & virorum Apostolicorum libris Sacrificulum missaticum video. De administratione verbi & Sacramentorum perspicuè loquuntur veteres, vt ex Chrysostomi testimonijs à Busæo Iesuuita, ex lib. 3. Chrysostomi de Sacerd. & homil. in Isaiam descriptis pag. 315. liquidò constat. Quid istã ad histrionem Papisticum? Cum Ignatio dicimus Sacerdotium seu ministerium verbi Dei omnium certè honorum esse summam & fastigium. Cum Prophetis labia Sacerdotum custodire scientiam: non autem missaticorum, sed Pastorum Ecclesiæ qui laborant in verbo & doctrina. De summi sacerdotis imperio, de clauibus Ecclesię pastoribus datis, de presbyteris item, satis super-

que antea dictum est, & ineptus sim si canoras istas Canisij nugas velim prolixius excutere.

Quid verò (inquit) de malis Sacerdotibus est sentiendum? Diuina isthæc est ordinatio, quæ non potest aboleri, vt non boni modò, sed mali quoque Sacerdotes in Ecclesia honorentur. Vult enim in suis ministris agnosci, recipi, audiri atque obseruari ille qui dixit, super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum autem eorum operanolite facere, dicunt enim & non faciũt. Cæterùm inter malos delectus quidam habendus est, vt quod ad munus authoritatémque docendi spectat, illis tantùm fidem obedientiámque debere intelligamus, qui ab episcopis legitimè ordinati ac missi sanam Ecclesiæ doctrinã profitentur: ab aliis verò vt hostibus & pestibus sedulò caueamus. Quæ de re sapientissimè monet, atque hunc in modum docet antiquissimus Irenæus, lib. 4. cap. 43.44.& lib.3.cap.2.& 3. Iis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, & qui successionem habent ab Apostolis, & qui cum Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos. Et multo post. Ab omnibus talibus absistere oportet: adhærere verò his qui apostolicam, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & cum presbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant, ad confirmationem & correctionem reliquorum. Hæc Irenæus ille, qui Sancti Ioannis Euangelistæ discipulum Polycarpum præceptorẽ audiuit. Nec aliter Tertullianus docet, qui hæreticis, lib. de præscript. hoc exprobrat dicẽs, Ordinationes eorum temerariæ, leues, & incõstantes. Nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros: vt eos gloria obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quàm in castris rebelliũ, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia officia iniungunt. Huc usque Tertullianus, perpulchrè nobis depingens non suæ tantùm, sed huius etiam ætatis præposteros mores & prophanos in turbandis sacris ordinandisque ministris conatus Sectariorũ ostendens. Canis. Catechis. Iesuit. pag. 317.

Conclusionem Canisius omittit, & quod de Papatus aduersariis, quos vocat Sectarios, vult intelligi, id totum in Anarchiam Pontificiam retorqueo. Quod vt facilius intelligatur, partes huius Iesuiticæ assertionis sunt expendendæ: nam quęcunque dicit in genere, probamus: quum verò ad hypothesin deuenitur, dicimus Canisium incidere in Sophisma, quod petitionem principij vocant. Legitimè ordinati & missi Sacerdotes sacram Ecclesiæ doctrinam profitentur. Pontificij Sacerdotes sunt legitimè missi & ordinati, sanámque Ecclesię doctrinam profitentur. Sunt igitur audiendi. Minorem negamus, quam tota cohors Iesuitica nunquam probare poterit. Episcopos Papisticos supra ostẽsum est nomine tenus esse Episcopos. Sacerdotes papisticos nõ esse professores vt cõcionatores alicuius doctrinę, sed cantores, histriones, & missificos qui pretio se Filiũ Dei pro viuis & mortuis Patri offerre, sepulta prorsus omni doctrina Euang. Iesuitis

ipsis patrocinantibus gloriantur. Ad quē verò gregē mit
tuntur? ad arā certè, vel potius ad hatā vbi sagināntur, dum
securè & in sinu stultitiam vulgi deridēt, dum mortuos
viuósque spoliant & deglubunt. Irenei locus in testimo-
nium illis est à Canisio adscriptus. Habent scilicet ab A-
postolis successionem qui doctrinam & disciplinam apo-
stolicam funditus euertunt. Prodeat in medium Sacri-
ficulus papisticus, & quid sit veritatis charisma nos do-
ceat: immo ipse Canisius catechisticus doctor respon-
deat, an successio ep scopatus à veritatis charismate di-
uellenda sit. Quæ sit item illa principalis successio, cuius
meminit Irenæus. Non satis autem mirari queo super-
cilium istius magistri oscitantiam, qui causam sacrificu-
lorum papisticorum agens, eam sua garrulitate pessun-
dat. Nihil enim expressius dici potuit in totam istam col
luuiem pontificiā quàm quæ ex Irenæo petita sunt. Ad
apostolicam doctrinam, ad legitimam ordinationē, ad sa
num sermonem & conuersationem sine offensa, si quis
Clerum pontificium reuocat, ne vmbram quidem veræ
sacerdotis in noua Romana ecclesia reperiet. Ad legiti-
mam Synodum orthodoxi Theologi Iesuuitas & quos-
cunque sedis Pontificiæ hodie viuunt patronos appellāt,
vt de istis placidè, ex verbo Dei, & orthodoxo veræ Ca-
tholicæ Ecclesiæ consensu, de vocatione videlicet & do-
ctrina verorum & falsorum sacerdotum seu Pastorum
Ecclesiæ agatur. De bonis autem & malis hæc distinctio
vulgò proponitur. Quatuor sunt pastorum discrimina &
genera. Vnum genus est eorum qui bene docent & bene
viuunt, exemplum summi Pastoris imitantes: qui digni
sunt duplici honore. Suos autem Sacerdotes Canisius in
hac classe constituere non audet. Secundum genus eorum
est qui malè docent & malè viuunt. Hi pessimi sunt, qui
vtraque manu, quantum in ipsis est, templum Dei de-
struunt, quales multo fore his postremis tēporibus præ-
dixerunt Apostoli. Tertium genus eorum est, qui bene
quidem docent, sed malè viuunt. In horum numero Pa-
pisticos Sacerdotes tacitè collocat Iesuita: Sed sacrifico-
lorum istorum non modo mores, verumetiam ritus, quos
sacros vocant, deprauatissimos esse, & normæ verbi diui-
ni ex

si ex diametro pugnare infinitis scriptis probatum est.
Quartum genus est eorum qui malè docent & benè
viuunt, vt fortè inter Iesuuitas & alios monachos repe-
riuntur quidam publicis criminationibus minime ob-
noxij. Eiusmodi homines sunt vt plurimùm tristes hy-
pocritæ, & maximum damnum tum Ecclesiæ tū reliquæ
hominum societati inferunt. Quintum genus addo, eo-
rum qui muta sunt idola, religionis respectu, nec bene aut
malè docent, sed ignorantiæ professores meritò sunt vo-
candi: cæterùm impuro corporis animíque tactu & affla-
tu munda omnia fœdant: quod Sacrificulis & monachis
Papisticis imprimis cōuenit. horum enim præcipua cura
est ventri seruire: cuius rei testes quotidianam experien-
tiam, infinitorúmque sub papatu degentium hominum
conscientiam appellamus.

De Episcopatus successione, quam tantopere Pon-
tificij venditant, iamdudum Iesuuitis aliisque aduersarijs
responsum & satisfactum est: præcipuè verò ab eruditiss.
Theologo Antonio Sadeele, libris editis aduers. Turriani
sophismata, speciali etiam tractatu de legitima vocatio-
ne pastorum Ecclesiæ reformatæ, & in refutatione asser-
tionum Posnanien sium, pag. 109. 110. &c. quibus opposuit
Turrianus quæ potuit, vt Papatum ruentem fulciret. Iu-
dicium autem penes lectorem esto: nam ea nūc repetere
non est animus: nec Canisium tam stupidum esse existi-
mo, vt velit personalem successionem doctrinali ante-
ponere, aut hanc ab illa seiungere. Repugnant enim huic
sententiæ Catechismi Iesuitici verba ex Irenæo desum-
pta, quæ charisma veritatis cum episcopatus successione
coniungunt. Deinde tempora confundere non debuit
Canisius, quod quum fit, infinita absurda inde consequi
necesse est. Postremò, scopum Irenei expendere opor-
tuit: agit enim adu. eos qui & si attingerent apostolorum
seculum, noua tamē dogmata apostolicæ doctrinæ prorsus
sua repugnantia, & apostolorum discipulis prorsus igno-
ta spargebant. Illud autem de Theologis nostris nūquam
probauerit Iesuuitica secta. Ad doctrinæ examen igitur
Pontificios reuocamus: deinde de personali successione
agendum est. Vtrāque suos Sacrificulos habere Iesuuitæ.

affirmant, nos negamus. Probandi munus illis incumbit. Sed primùm Theologorum orthodoxorum aduersus pseudepiscopatum Papisticum argumentis respondeant necesse est.

Quod ad Tertulliani dictum, perpulchrè sane depingit totam illam anarchiam Papisticam. Quid enim istorum ordinationibus est leuius, inconstantius & temerariũ magis? Impuros, omniúmque imperitissimos nebulones, vna eadémque hebdomade Ostiarios, Lectores, acolythos, exorcistas, Subdiaconos, Diaconos, presbyteros, Episcopos, & Pontifices maximos constituunt, vt ex eorum ritualibus & Pontificalibus libris apparet. Non modo neophytos, sed sensu & ætate infantes, aulicos, militares collocant: eorum Cardinales, Archiepiscopi, Abbates, Primates, Episcopi, nullo modo sacris Scripturis, sed rebus secularibus prorsus obstrictos, regum & principum aulæ, summa cum totius orbis Christiani pernicie, satis supérque probant. Apostatas nostrarum Ecclesiarũ quantis cum plausibus excipiunt, vt eos beneficijs, quæ vocant, stipendijs, & vana mũdi gloria obligẽt, quia veritate non possunt? De beneficiorum Papisticorum permutationibus, vẽditionibus, de illorum Simonijs, & multiplici nundinatione, quid aliud sequitur, quàm illud Tertulliani, alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, presbyter, Episcopus, qui crastina die Abbas aut nullus euadet: hodie presbyter qui cras laicus: hodie aulicus qui cras episcopus: hodie Canonista, caprarius, sartor, & aliquid quod dicere nolim, qui cras Cardinalis & Pontifex? Hic amice Lector, vitas ipsorum Pontificum & Cardinalium paulisper considera: deinde ad totam illam Põtificiæ tyrannidis colluuiem oculos conuerte. Nihil prætereà velim. Laicis (addit Tertullianus) Sacerdotalia officia iniunguntur. Nihil magis commune in Papatu, quotidiana experientia teste: nam & si quidam episcopi & sacrificuli in statione fixi hærent, illi quod dignitate quadam profana & pingui delectentur: isti quoniam aliter tibi prospicere nequeunt: attamen nec veri Episcopi aut Sacerdotes à nobis agnoscuntur, quum temerariè & leuiter stationem sint ingressi, quam, vt caput Ecclesiæ iussit, minime custo-

stodiunt. Nec enim est episcopus, qui aut non docet, aut malè docet: immo temerarius admodum est qui inermis & imperitus rei bellicæ, exercitus Imperator cupit eligi, & tandem ab alijs rerum imperitis creatur.

De potestate Ecclesiastica, inquiunt Iesuitæ, controuersia est, penes quos ipsa constituta sit, Secularésne an ecclesiasticos viros. Potest quidem, quod res est, facilè colligi: Omnia enim vt ecclesiasticam potestatem ciuili præferunt, ita eandem non profanis & priuatis, sed capitibus reipublicæ Christianarum, id est hominibus Ecclesiasticis deferũt. Institutio Christi id docet: idem ex personarum ciuiljum & ecclesiasticarum cognitione ostenditur: tum ex officijs eiusdem potestatis ecclesiasticæ. & primò quidem ex Ministrorum ecclesiæ electione, 2. ex eorundem ordinatione. 3. ex iure missionis. 4. ex officio prædicandi euangelium. 5. ex eo quod Laici non possint pro sua authoritate doctrinam fidei tradere, aut de dogmate cõtrouerso iudicare & definire. 6. quòd ex priorum temporum historia, non penes laicos, sed Ecclesiasticum magistratum fuit omne ius formã cultus diuini præscribendi. 7. Ex officio administrandi Sacramenta, quod Ecclesiasticorum hominum proprium est.

Trecentis thesibus Mogũtinenses Iesuitæ in disputationibus de potestate Ecclesiastica nuper editis hoc argumẽtum, præside Petro Thyræo, exagitant. Odi profanum vulgus & arceo, vt inquit ille. Ita fæx Iesuitica non modò in populum seu laicos, verum etiam in Christianos magistratus infinitis dicteriis & conuicijs feruntur, vt ecclesiasticis principibus, vocationum, electionum & ordinationum potestatem tribuant. Theses autem illas retexere nec vacat nec libet. Summa harũ thesium est: Ex institutione Christi, personarum cõditione, & officiorum Ecclesiast icorum qualitate constat ius vocandi, eligendi, ordinandi & mittendi ministros Ecclesiæ, ad magistratum Ecclesiasticum pertinere. Nullo modo igitur ad Seculares viros, populũ & magistratus politicos pertinet. Hìc merus est andabatismus, fallacia diuisionis, & ignoratio elenchi. Nam multis verbis disputat Thyræus de iis quæ in controuersiam minimè cadunt, nec sa-

tis mirari possum istius confidentiam, qui de Ecclesiasticorum authoritate garrit, quos ciuiles magistratus gladium vsurpasse non ignorat. Et quamuis fere quingentas theses in hac potestate describenda finxerit, nullibi tamen horum Ecclesiasticorum nomina expressit, veritus ne si Pontificis Romani solius meminisset, causa caderet prorsus: aut si Episcopos nominaret, infinitæ occurrerent obiectiones, quæ totam hanc contentionũ molem euerterent. Deinde, aërem verberat disputator, acsi quispiam repertus esset inter orthodoxos theologos, qui Papisticorum scriptorum more ius vtriusque gladij alicui concederet. Potestatis Ecclesiasticæ & ciuilis distinctio à nostris Theologis, Dei beneficio, tam perspicuè & eruditè tradita est, vt nihil in ea moderati & pij homines desiderare possint. Quod autem Laicos & magistratus ab electionibus Ecclesiasticis longe fugere iubet Thyræus, iniquum & contra Gratiani Canones apertè confictum esse videtur: nominationes autem, vocationes electiones & ordinationes Ecclesiasticas velim absisto Iesuuita diligentius considerari. Postremò, statum quæstionis commutat, & quum de ordine in electionibus seruando agere debuisset, de suorum Ecclesiasticorum potestate importunè disputat. Et de his quidem hactenus. Nam quæ Turrianus prolixis scriptis, aliique Iesuuitæ tum de ordinationibus ministrorum Ecclesiæ, tum de potestate Ecclesiastica emiserunt in lucem, eũ partim à Sadeele, partim ab aliis Theologis refutata sint, finem huic tractatui imponemus.

De disciplina ministrorum Ecclesiæ, de pœnitentia & satisfactionibus hîc subiicienda essent capita ex Gratiani canonibus: sed quum libellus noster iam paulò prolixior factus sit, & illa capita canonum centurias aliquot contineant, in aliud tempus hanc disputationem reiicere visum est, & de Cœna Domini Gratianum audire dissérentem.

CAPVT

CAPVT V.

DE SACROSANCTO COENÆ Dominicæ seu Eucharistiæ Sacramento.

Sectio I.

GRATIANVS.

SACRAMENTVM, est inuisibilis gratiæ visibilis forma. *De consecrat. distinct. 2. Can. 32. ex Augustino* Definitio nominis & rei.

Signum est res præter speciẽ quã ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire. *Ibid. Can. 33. ex Augusti. lib. 2. de doct. Christ. cap. 1.*

Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. *C aus. 1. quæst. 1. Can. 14. ex August.*

Qui manducant & bibunt Christũ, vitam manducant & bibunt. Illum manducare, est refici, illum bibere est viuere. Quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducatur & bibitur. Manducatur Christus, viuit manducatus, quia resurrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento sic fit, & norunt fideles quomodo manducent carnem Christi: vnusquisque accipit partem suam, vnde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur: & manet integer totus: per partes manducatur in Sacramento, & manet in-

teger totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Totus erat apud Patrem quando venit in Virginem, impleuit illam, nec recessit ab illo. *Et infra.* Quod videtur, panis est & calix, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fides postulat instruendo, panis est corpus Christi, calix sanguis. *Et infra.* Ista ideo dicuntur Sacramenta: quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. *Et infra.* Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. *De Consecrat. distinct. 2. Can. 58. ex Augustino.*

Superiores Canones definitionem integram de Cœna Domini, ab orthodoxis Theologis, ex verbo Dei & D. Augustini scriptis collectam, confirmant. Ea autem est. Cœna Domini est actio sacra, adultis fidelibus omnibus in Ecclesia ad consummationem vsque seculi à Christo mandata, in qua elementorum & rituum conueniente analogia, tum mortis ipsius memoria nobis representatur, tum nostra in ipsum incorporatio spiritualiter per fidem obsignatur, tum mutua nostra in ipso coniunctio sancitur, solennis denique gratiarum actio ipsi persoluitur. Ab hac definitione si quis existimat materiam seu rem Sacramenti, j. Christi corpus separari, longè fallitur. Nec enim Cœnam Domini sine ipso Domino consideramus. De his autè postea. Verbum, est tota Christi institutio ab Euangelistis & Paulo diligéter descripta: continens omnes ritus in hac actione obseruandos, videlicet benedicere, frangere, fundere, accipere, comedere, bibere. Elementa sunt panis ille & vinum illud distinctum à pane & vino communi: discrimen autem hoc situm est in qualitate & vsu non in substantia, vt posta dicetur, & Augustinus supra testatus est. Quod videtur, (quod tangitur, quod sumitur, quod in ventrem descendit) est panis & vinum. Res significata seu inuisibilis gratia, est corpus &

sus & sanguis Christi traditi & effusi pro nobis. Cætera sunt perspicua.

Iesvvitae.

Tria continet Eucharistia: species visibiles, veritatem corporis & sanguinis dominici, & Spiritualis gratiæ virtutem. Quod enim oculis nostris apparet, species sunt visibiles, panis videlicet ac vini. Quod autem sub speciebus iisdem fides nostra, non sensus ac ratio comprehendit, id verum corpus est & sanguis est Christi. Cæterùm quod participatione Sacramenti huius consequimur, eximia quædam est Spiritus sancti gratia, fructus mirum & affectus sequentes. 1. Hoc est sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. 2. Hic panis qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, nostros animos in vita spirituali sustentat atque confirmat.

3. Est sacra Synaxis seu communio, quæ fideles tãquam eiusdem corporis membra inter se iungi, ac sanctorum piorúmque omnium meritis associari significat atque præstat: tum, quod augustius est, eosdem capiti suo Christo arctissimè vnit, vt in eo illis maneant, & ipse in illis, atque ita vitam æternam consequantur. 4. Est viaticum nostræ peregrinationis, quod in huius vitæ deserto militiáque versantibus, & hinc ad cælestem Hierusalem contendentibus, veluti Manna Patribus datum, affert consolationem, delectationem, virtutem & gratiam longe efficacissimam. 5. Ac præcipuè quidem duo

(vt egregiè docet Bernardus) in nobis operatur hoc sacramentum, vt & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino cõsensum. Canis. catechis. Iesuuit. pag. 202. 248.

In augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & diuinitus traditis literis, & clarissimis Christianæ Ecclesiæ patribus comprobantibus, tria maximè cõsiderantur. 1. Res quæ sub sensum cadit. 2. Christus Iesus Dei vnigenitus eadem re sensibili reconditus. 3. Gratia quæ est Sacramenti effectus, qua participantis animus illustratus, diuinæ naturæ consors efficitur. Assert. Posnanien. Controu. 5. pa. 268.

Rem terrenam seu elementum Iesuitæ speciem panis & vini constituunt, & accidens cũ substantia confundentes, naturam Sacramentorum, & analogiam signorum & rerum tollunt. Deinde, dum transubstantionem tueri conantur, in Synusiastarum errorem delabuntur. Tertiò, qualis erit veritas corporis, si eius vera natura aboletur. Quod autem Spiritualis gratiæ virtutem ab ipso corpore Christi discernunt, Iesuiticè fit, id est, vt Christum Spiritu suo spoliatum canibus & impijs, (species illas, id est aliquid & nihil edentibus) cõmunicent. Petimus autem ab istis diuinarum humanarumque peritissimis magistris integram & ad leges rectè disserendi de Sacramento Eucharistiæ definitionem. De fructu autem quod addit Canisius, etsi prima fronte Christianè & orthodoxè dicta hæc appareant, tamen si quis ad vnionem nostram cum Christo refert, Iesuitam in re sanctissima ludentem & Theologorum orthodoxorum nomine discipulis suis illudentem conspiciet. Sed de his postea, quum de transsubstantiatione agemus.

Sectio

Sectio II.

Gratianvs.

Nulli est aliquatenus ambigẽdum tunc vnumquémque fidelium corporis & sanguinis Domini fieri participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, inuenit. *De consecrat. dist. 2. Can. 36. ex August.* Expositio verborũ Christi, Hoc est corpus meũ, &c.

Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post benedictionem corpus significatur. *Ibid. Can. 40. ex Ambrosio.*

Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videtur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur. *Ibid. Can. 79. ex Hilario.*

Verum corpus Christi nos recipere in S. Cœna credimus & confitemur. cùm igitur Canon 79. dicit corpus Christi quod sumitur de altari, figuram esse, dum panis & vinum videtur: signa respicit quæ rem signatam nobis representant & significant. Figurata autem loquutio seu Sacramentalis, non in vocula Corpus, nec in vocula Hoc, constituitur: sed in copula, Est. Panis enim est verus panis: corpus verum corpus Christi. Panis igitur est corpus Christi, Sacramentaliter scilicet, vt lotio seu baptismus est lauacrum regenerationis, & Petra erat Christus, Circuncisio fœdus, Agnus transitus, &c. Hos autem Canones protuli, vt clamoribus Iesuuitarum occurrerem, qui figuratas istas locutiones orthodoxæ antiquitati ignotas fuisse affirmant.

Veterum autem testimonia non profero: mihi nunc antile suuita Gratianus instar est multorũ. Sed Antigratianos audire par est.

IESVVITÆ.

Quid de veritate Eucharistiæ sentiendum est? Id planè, vt cum tota Ecclesia contra omnes Caphar naitas certò credamus, sub speciebus panis & vini veram Iesu Christi carnem ac verum eius sanguinẽ in Eucharistia exhiberi, ministerio quidem Sacerdotis, virtute autem ac potentia Domini nostri Iesu Christi, apud quem impossibile non est omne verbum. Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Dixit autem in cœna illa, pridie quã pateretur, instructa, quum panem primùm ac deinde calicem manibus suis apprehendisset, cúmque de huius sacramenti tum institutione tum veritate certos omnes reddere vellet, dixit, inquam, planissimè: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur. Dixit, hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur. de qua institutione dixit & antea, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Dixit, Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Nec obscura sunt aliorum Euangelistarum, tum Apostoli Pauli testimonia, quæ nobis hanc fidem euidenter adstruunt, ne quis dubitare possit Christum in eucharistia totum secundum diuinam humanámque naturam existere, & nobiscum manere vsque ad seculi consummationem. Igitur eandem planè Christi carnem in templis habemus & sumimus, quæ olim in Palestina corã cernebatur: sed aliter

sensibus hîc patet, nec transmutationi & corruptioni est obnoxia: vt potè inuisibilis, impassibilis, immortalis, summa & diuina resplẽdens gloria, quã solis fidei oculis licet hoc tempore intueri. Et sunt adhuc Sacramẽtarij qui adorandũ hoc magis quàm inuestigandum mysterium, dum sensu suo assequi non possunt, etiam negare audent, Euangely verba quamuis luculenta mirè deprauantes. Canis. catechism. Iesuuit. pag. 205.

Præsupponit, sed falsò, Canisius Christum dixisse, sub hoc panè qui non est panis, sed species panis & individuum vagum, exhibetur vobis corpus meum & sanguis meus. Quis verò ferat impudentem istius rabulæ loquentiam? Secundò, quid respondet Christo distinctè de corpore, deinde de sanguine agenti? Tertiò, si quis verba ab Euangelistis & Paulo descripta confert cũ missæ Canone, manifestam comperiet antithesin. Christus primùm accepit, fregit, distribuit discipulis suis panem quem manducarunt iussu suo, nec pronunciauerat illa verba, Hoc est corpus meum. At Sacrificuli ordinem istum actionis & sermonis inuertũt. Si de hac benedictione, iuxta scholasticorum paradoxa cum Iesuuitis cõtendere velim, in quas coniicietur angustias? Quicquid sit, quemadmodum Christus loquutus est, fecit & iussit, ita loquendum & faciendum est in Ecclesia. Aliter Christus aliter Sacrificuli papistici, tum in dictis, tum in illa sacra actione. De omnipotentia Dei quod addit, maximi esset ponderis, si ex scripturis ostenderet Christum voluisse convertere panem in substantiã corporis sui. Ita vltrò istud crederemus vtcunque modus conuersionis nos lateret. Et libenter huic Augustini sententiæ subscribimus, Quum Deus aliquid facit quod nos inuestigare nõ possumus, ratio facti est potentia facientis. Quũ dicimus duo esse disparata panem & corpus Domini, quæ proinde regulariter de se mutuò prædicari non possunt, sed panem esse Sacramẽtale seu in mysterio corpus Christi, statim Iesuitæ & alij clamant, Deum omnipotentẽ esse. Si dicamus

Christum ascendisse in cœlos, cœlo capi, nec iam hîc esse corporali præsentia. Minimè, inquiunt, illud obstat omnipotentiæ. Si dicamus naturam corporis Christi nō ferre vt simul in plura, nedum omnia loca extendatur, sacrilegium esse dicunt omnipotentiæ diuinæ oppositum. Si affirmamus corpus Christi non suffecturum tot myriadibus vescentium, si ore corporeo sumatur: mox ad eandem omnipotentiam confugiunt. Denique, vt de fanaticis suorum temporum Tertullianus, ita ego de Iesuuitis: Confirmare (inquit) possunt hæretici Patrem posse esse Filium, Christi corpus esse immensum, quia Deo nihil factu impossibile est. Sed eodē Iesuuitico argumento Gratiani confirmo sententiam. Quod enim panē Sacramentaliter esse corpus Christi dicimus, in cœlis esse corpus Christi, & nihilominus communicari, aliáque eiusmodi: hæc inquam, si vera esse asserimus, quia Deus omnipotēs est, quid agedum respondebunt? Quemadmodum autem manet Deus omnipotens, etiamsi mētiri, mori & seipsum negare non possit, dicimus etiam illum ita esse omnipotentem, vt quæ in hoc argumento Iesuuitæ probasse putant, minime possit facere. Quędam enim veritati eius repugnant, nempe quia voluit carnem Christi nostræ esse similem, excepto peccato. At si talem fecit quæ vel pluribus locis essentialiter sit, quod semel voluit, iam illud ne fuerit effecit. Plus est, quod expresso verbo repugnat: quia dicitur ascendisse ad cœlos & venturus ad iudiciū. Iesuuitę verò clamant illud corpus semper adesse in mensa Dominica. Ita, est & non est: ascendit & non ascendit: est hîc & non est hîc: quæ manifestā contradictionem implicant. Denique, vt nihil horum esset, quia tamen Scriptura nusquam docet Deum hæc voluisse, nullo fundamento nituntur. Concludamus, Tertulliani verbis adu. Praxeam. *Planè*, inquit, *Deo nihil difficile: sed si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit quia facere potuerit. Nō autem quia omnia potest facere, ideo credendum est quoque illum fecisse, etiam quod non fecerit: sed an fecerit requirendum. Potuit, ita si vultis, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim & fecit. Proinde*

Praxeam & omnes hæreticos (& omnes Iesuuitas) *statim extinxisse: non tamen quia potuit extinxit: oportebat enim & milvos esse, & hereticos.* (& Iesuuitas.) *Hac ratione aliquid & difficile Deo, id scilicet quodcunque non fecerit, non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse velle est, & non posse nolle.*

Planissimè loquutus est Christus, inquit Iesuuita, dicendo Hoc est corpus meum, &c. Sanè. Quid verò inde elicis, Canisi? sub specieb. panis & vini exhiberi carnem & sanguinem Christi in Eucharistia. At verba Christi tuam interpretationem falsissimam reijciūt. Panis inquit Paulus, est cōmunio corporis Christi. Panis & vini multoties meminit etiam post cōsecrationem. Panis est communio corporis. Igitur sub panis albedine & rotunditate Substantia abolita, latet & exhibetur Christi caro & sanguis. Sed verba de poculo dicta quomodo interpretaberis. Hic calix seu hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo, vt referunt Lucas & Paulus: vel, teste Matthæo, Hic calix (τὸ γὰρ enim ad τὸ πολλὴ non necessariò refertur) est sanguis meus noui Testamenti. Planissima sunt ista, certè: sed quis, nisi Iesuuita, dicet poculum esse ipsa testamentum, aut sanguis Christi? Deinde cur ijsdem loquendi formulis non vtuntur Euangelistæ? Ad mentem Christi animus est conuertendus. Sacramētum instituens, locutiones Sacramentales vsurpauit, sicut ex collatione locorum Scripturæ, vbi de Sacramētis agitur, euidentissimè apparet.

Quoad testimonia, ex sexto capite Ioannis allata, equidem inter hunc tractatum Ioann. 6. & eucharistiæ institutionem tantùm istud interest, quòd illic res ipsa seu materia spiritualis (Christus videlicet cū suis fructibus) simpliciter & absque externis symbolis: in institutione autem res eadem, non simpliciter, sed symbolis externis adhibitis veluti vestita nobis proponatur. Itaque materia, virtus & efficacia, siue finis & fructus Eucharistiæ nobis omnino illic declaratur, vt pote verbo simplici & verbo Sacramēti vestito cōmunis, quū vnū & idē sit verbū vtrobique, vnus & idē Christus. Nihil autē ista iuuant Capisianā

interpretationem: manducandi enim rationem nullam Christus præscripsit, quum ad Capernaitas loqueretur, nisi spiritualem, & quæ fit credendo: quemadmodum eius verba, & veterum Patrum orthodoxus consensus retinentur. Hinc colligo eandem semper illam manducandi rationem & solam quidem esse oportere, qua tum extra Sacramenta, tum in Sacramento corpus & Sanguis Christi manducetur & bibatur. Perspicua sunt Euangelistarum & Pauli testimonia, ex quibus nunquam euincet Canisius corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini contineri & exhiberi. Hîc .n. est status quæstionis, an illa verba, Hoc (i. hic panis) est corpus meum, & hic calix est Sanguis noui testamenti interpretatione Iesuuitica recipiãt, quod negamus, nec isti huc vsque firmis testimoniis cõfirmarũt. Quod enim addit Canisius, Christũ in Eucharistia totum existere & nobiscum manere ad cõsummationẽ vsque seculi, sophismata multa Iesuuitica continet. Primũ enim quæritur an nõ illa distinctio sit vera, Totus Christus est vbique, sed non totum Christi? Hanc Scholastici ipsi tradiderunt, quam vt Dei verbo consentaneam amplectimur. Eucharistiæ nomen tria complectitur, elementa seu signa sensibilia, & res significata, & totam illam à Christo institutam actionem. Esse in eucharistia & esse in pane non idem est. Totum Christum esse vbique, & carnem Christi esse simul & semel in omnibus locis, in cœlis, in terra, differunt ex diametro, & sunt omnino opposita. De mansione Christi nobiscum vsque ad seculi consummationem, si Canisius Augustini scripta legit, de Christi natura diuina locum hunc intelligendum esse fatebitur: at agimus de carnis Christi præsentia. Fallacia est igitur diuisionis, ignorãtia elenchi, status quæstionis mutatio, & ad aliud genus disputationis diuerticulum, quæ omnia Sophistam non theologũ decent. Idem ingenium Canisij apparet in conclusione, vbi ex Augustino, Prospero & Chrysostomo ad marginem citatis, infert eandem plane carnem Christi nos in templis habere & sumere, quæ olim in Palæstina coram cernebatur. Rursum à tropo deflectit: nec enim quæritur an nos qui in terris sumus veram carnem Christi quæ in cœlis est, & olim in Palæstina fuit, habeamus & sumamus. Hoc credimus & confitemur, semper credidimus & credemus, Dei beneficio, antequam Canisius aut secta Iesuuitica lucẽ vidisset: sed quæritur an, hoc est corpus meũ, idem sit, ac sub hac specie panis est corpus meum. Sed fidei Canisianæ specimen lectori offeramus, vt videat quorsum Iesuuitæ se homines esse multiplicis lectionis adeò superbè gloriẽtur. Augustini testimonium ex comment. in Psal. 88. profert. Ibi autem nullum verbum quod interpretationẽ papisticam iuuet: contra, expressis verbis carnalis & Capernaitica seu Iesuuitica cogitatio damnatur. Addit alium locum ex eodem in Psalm. 33. quem apposui. *Quis portatur* (inquit Augustinus) *in manibus suis? Manibus aliorũ potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Et concione secunda, Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cùm commendaret ipsum corpus suũ & sanguinẽ suũ, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodãmodo, cùm diceret. Hoc est corpus meũ.* Id nostram sententiam maximè cũfirmat, & Iesuuiticam euertit. Modus enim, quo se ipsum gestabat, explicandus est necessariò, nimirum per Sacramentum. Christus enim manibus suis gestauit non naturale ac proprium suum corpus, sed panem, id est est Symbolũ sui corporis: quod Symbolum suo modo, id est sacramentaliter, gerit nomen rei significatæ, & de eo prædicatur quod sit Christi corpus. Cæterùm latent in hac Canisij conclusione alia Sophismata, quæ Christiano & docto lectori excutienda relinquimus. Sacramentarios autem quos vocat qui Eucharistiæ sacramentum negare audent, & Euangelij verba luculenta mirè deprauant, si fortè non nouit Canisius, ipsum suósque Scholasticos intueatur, & Sacramentariorum principes agnoscet. Plura autem de interpretatione verborum Christi inueniet lector in examine 5. sessionis aduersus Transsubstantiationem.

Sectio. III.

Gratianvs.

Signũ rei signatæ nomẽ obtinet, ad fidei confirmationẽ: Sacramenta enim seu signa sunt visibilia verba.

Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur, & igne cõsumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice suppositio, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur. *De Consecrat. dist. 2. Can. 27. Ex Pio.*

Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est. Clerici vel monachi, seu diaconi, & presbyteri septuaginta diebus pœniteant. episcopi xc. Si pro infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant. *Ibid. Can. 28. ex pœnitentiali Bedæ.*

Peruenit ad notitiam nostram quòd quidam presbyteri intãtum paruipendant diuina mysteria, vt laico, vel fœminæ Sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur ne Sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur. Quod quàm sit horribile, quámque detestabile, omnium religiosorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia synodus, ne talis temeraria præsumptio vlterius fiat: sed omni modo presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit. *Ibid. Can. 29. ex Concil. Remensi.*

Sicut cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm reuera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum, vocatúrque ipsa immolatio carnis quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est. *Ibid. Can. 48. ex August.*

Qui bene non custodierit sacrificium, & mus vel aliud aliquod animal illud comederit, 40. diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta dies pœniteat. *Ibid. Can. 94. ex Concil. Aurelianensi.*

Canones huius tertiæ Sectionis, præcedentibus adiungo, vt Lector videat veteres nomine corporis & Sanguinis Domini aliquoties signa, aliquoties res signatas intellexisse. Item nomen Eucharistiæ ad signa etiam aliquando referri: nec nouas esse istas loquendi formulas, sed meritò Sacramentales: alioquin multa absurda, impossibilia, & impia commenta consequentur. Quod etiam obseruauit Glossator Gratiani vidit & monuit. Nam in Can. 27. scribens de Sanguine, id est (inquit) de Sacramento Sanguinis: Sanguis enim Christi à corpore Christi separari non valet: ergo nec stillare nec fluere potest. Signo igitur, id est vino, rei signatæ, id est, sanguini Dominici nomen tribuitur: idem dicimus de pane Sacramentali, qui Can. 29. corpus Sacrum Domini vocatur, & laicis aut fœminis tradebatur quem ægrotis darent: quod fusius explicatur Can. 48. & Can. 94. Sacrificij nomen ad panem refertur.

Idcirco panis est corpus Christi Sacramentaliter, id est quatenus signum visibile rei signatæ & inuisibilis seu cælestis nomẽ obtinet. Quia certe subest similitudo siue analogia in signo & signato, apta ad repræsentationem eius rei quæ alioqui inuisibilis est, ideo signum assumit signati nomen, sicut rectè inquit Augustinus, epist.3. ad Bonifacium: *Quod si Sacramenta aliquam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent: ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Et quæst. super Leuitic.57. *Solet res qua significat, eius rei quam significat nomine nuncupari. Hinc dictum Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non erat, sed per significationem.* Et contra Maximin. lib.3.cap.22. *Hæc enim Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia.* At poterat, inquiunt aduersarij, eadem facilitate sic Spiritus Sanctus de Sacramentis pronuntiare, vt significationem non taceret. Respondeo, sic quandoque locutum esse quoties libuit: vt, tametsi Circuncisionem fœdus vocat, mox tamen signum fœderis appellat: & Paulus σημεῖον καὶ σφραγίδα appellat Baptismum, vt alibi regenerationis lauacrum: ita aquam per se duntaxat, inutilem vocat, & disertè distinguit Ioannes à Baptismo Spiritus & ignis. Quominus autem propriè semper sit loquutus, præter iam indicatam rationẽ, in causa quoque est obsignatio, qua veluti sigillo authentico, gratia in verbo promissa, ad fidei ἀλληροφορίαν munitur: nempe, vt quàm certi sumus nos signum sumere, ita credamus nos participes reddi gratiæ, & ipsius Christi, quum audimus nomina harum tribui signo. Hanc ipsi quoque Pontificij rationem in prosa ex antiquitate mutuata, decantillare soliti sunt, sed non attendentes quid dicant, *Sursum corda.* Et scitè Theodoretus in Eranisto, dial.1. vbi hæreticus quærit causam permutationis nominum, seu cur signo rei significatæ nomen tribuitur: nam orthodoxus respondet, *Manifestus est scopus ijs qui diuinis mysterijs initiati sunt. Voluit enim Sacramentis vtentes non incautos esse in naturam rerum quæ cernuntur, sed per nominum permu-*

tationem credere ei mutationi quæ ex gratia facta est. Qui enim naturale corpus & panem appellauit, & rursus seipsum veram nominauit, is visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honorauit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adijciens. Hactenus ille. Ita quoque arrham pro contractu, annulum desponsationis pro coniugio, dextram pro fide accipimus: quamuis hæc omnia sint duntaxat pignora contractus coniugij & fidei.

Sed ne hoc quidem satis est. Nam si familiariter sua voce vbique signi nomen Dominus pronũciasset de hisce mysterijs, futurum erat pro ea leuitate qua turgent homines, vt vacua rebus signa, reique absentis commonefactiones duntaxat vmbratiles in Sacramentis proponi eximarent. Huic stultæ imaginationi vt occurreret Dominus, quandoque disertè rei ipsius nomẽ signo tribuit. Verè enim Electis præstat quod figurat. Sic quia in Baptismo ablutionem peccatorum Symbolo significat, verè quoque abluit fideles. In Cœna, corporis & sanguinis sui communicationem. verè ergo sic communicat corpus suum, vt per fidem habitet in cordibus nostris, Ephes.2. Proinde Paulus panem quem frangimus, & poculum benedictionis, κοινωνίαν corporis & sanguinis Domini appellauit.1.Corinth.10. Hinc dixit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana *literam sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere seruilis est infirmitatis.* Hanc ob causam panem non dicit signum, sed corpus suum: vt sumpto signo videamus nobis quoque præberi signatum. Perinde enim vt Paulus Euangelium dixit potentiam esse Dei ad salutem omni credenti, hoc est, vnicum illud instrumentum per quod potenter efficax est Deus ad salutem nobis cõferendam: ita se habet quoque ratio Sacramentorũ. Quin idem pronuntiare de Sacramentis nulla vetat religio: nempe esse Dei potentiam ad salutem omni credenti, hoc est, efficax instrumentum, promissioni additum, cuius interuentu dirigit Deus & perducit ad salutem credentes. Integram verò de expositione verborum Christi analysin & explicationem petat lector ex orthodoxorũ Theologorum scriptis. Porro quid Antigratiani de ista nominũ permutatione sentiant videndum est.

Iesvvitæ.

Producis quatuor exempla ex scripturis, quibus probare conaris, vsitatum esse in scriptura, quũ de Sacramẽtis loquitur, nomina rerũ ipsarum tribuere signis. Sed bene habet, quod prouidit Spiritus sanctus, vt quibus exemplis causam tuã adiuuari posse existimasti, eisdem maximè lædatur, immò vincatur.

1. *Dicamus prius de agno vetere, de quo ait Scriptura Exodi, victima transitus domini est, pro quo septuaginta dicunt, Pascha hoc domino. Age nunc: credisne agnum illum, qui pascha typicum erat, fuisse figuram Sacramenti Eucharistiæ, quod est pascha nostrum? quia per eum fiat à vita huius mundi ad cælestem transitus? puto non audebis negare, ne Paulo contradicas, qui ait, vmbram habebat Lex futurorum bonorum, & omnia in figura contigisse illis. Si igitur ille agnus, siue illud pascha, figura erat nostri, ergo nostrum non est figura & signum tantùm veri Paschæ, quod est Christus, sed potius nostrum Sacramentum, cuius typus & figura siue vmbra fuit ille agnus, est ipse Christus pascha nostrum, sicut Apostolus ait, pascha nostrũ immolatus est Christus. tu verò ex eo, quod agnus ille dicebatur transitus, cùm non esset transitus, sed quod significaret transitum, putabas effici, vt similiter sacramentum Eucharistiæ, etsi dicitur corpus Christi, non sit tamen, sed figura, siue signum corporis Christi. Cùm contra potius hoc efficiatur, vt sicut sacramentum illius veteris agni Pascha illorum vocabatur, & erat (Pascha enim transitum signi-*

ficat) sic sacramentum noui agni immaculati Pascha nostrum dicatur, & sit, quod est Christus, Apostolo teste, qui ait, pascha nostrum immolatus est Christus. Nisi fortè putas, fuisse Christum pascha nostrum in cruce, & non esse in Cœna Dominica. efficitur etiam, & quia ille typicus & vetus agnus, qui comedebatur, tantùm erat figura noui & mystici agni, qui à fidelib. comeditur, panis mysticus nostri altaris, qui comeditur, & est pascha nostrum, non sit signum agni, sed ipse agnus sub specie, siue signo panis: alioqui ille typus, siue figura vetus, illa inquam typica & vmbratilis manducatio agni caruisset in nouo Testamento vera & reali manducatione nostri agni: & quomodo verum esset illud Ioannis, veritas per Christum facta est? nõ enim veritas rei per fidem tantùm, & spiritum supletur: alioqui Iudei, quia lex, quam habebant, spiritualis erat, & ipsi eandem fidem, quam nos habebant, Christum in suis sacramentis habuissent.

2. *Alterum exemplum tuum erat circuncisio, quæ, inquis, dicitur fœdus, cùm esset saltem signum siue symbolum fœderis inter Deum & Abraham facti. hæc tu. nec hic intellexisti, quid diceres. sic enim scriptum in Exodo, ponámque fœdus meum inter me & te. & paulò post, statuam pactum meum inter me & te: & paulò post, hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum, & quæ sequuntur. En pactum istud, siue fœdus, quod Græcè est διαθήκη, ad mãdatũ pertinet. quare circũcisionem fuisse fœdus, siue pactum, significat datum fuisse mandatum de circuncisio-*

ne Abrahæ, quæ erat signaculum iustitiæ Abrahæ in præputio, vt Paulus interpretatur : res ergo quæ mandatur, sine vllo tropo dicitur, & est mandatum. & sicut circuncisio non erat signum mandati, sed ipsum mandatum, sic non erat signum fœderis, siue pacti, quod pertinebat ad mandatum, sed potius signum erat iustitiæ fidei secundum Apostolum, nisi tu fortè corrector quoque Apostoli vis esse. Sic quoque magister tuus, P. M. tropum esse dixit, cùm ait Euangelium, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine : ex quo effici volebat, vt similiter tropus esset in illis verbis, hoc est corpus meum. at non est tropus hic calix nouum Testamentum est, vt ille falsò putauit: pro eo enim est, ac si diceretur, hic calix noui Testamenti est in meo sanguine, sicut est apud Lucam, hic est sanguis meus noui Testamenti. Testamentum enim est vt Dionysius Alexand. ait in illa ad Paulum Samot. admirabili epist. de qua superius memini, dare seipsum, & dicere, hoc facite in meam commemorationem. Testamentum enim siue pactum, vtrumque enim est Græcè apud 70. διαθήκη, ad mandatum pertinet, sicut scriptum est de typo huius noui Testamenti, Exod. 24. hic sanguis Testamenti quod mandauit ad vos Deus. Quare vt hîc non est tropus, ita nec in eo est, quod de archetypo dixit Dominus, hic calix nouũ Testamentum est.

3. *Tertium exemplum tuum est : dicitur, inquis, & baptismus in nouo Testamento lauacrum regenerationis, quam solus Spiritus sancto suo fonte omnes abluens peccati, efficit Dominus. Nec hîc est tropus metonymiæ : baptismus enim ablutionem*

tionem significat : quod autem ablutio corporis ad animam pertingat, & per eam fiat regeneratio nouæ creaturæ, ad Sacramentum à Christo institutum, qui talem virtutem ei tanquam instrumento dedit, pertinet.

4. *Quartum exemplum, de quo scribis : hoc siquidem sensu (ais) & veterum sacrificia dicebantur peccata : non quod reipsa peccata essent : sed quia in eis, teste Apostolo, commemoratio fuerit peccatorum. Hæc tu. sed falleris, vt in superioribus. Non enim scriptura sacrificia vocat peccata, quia essent signa peccatorũ, vt ad rem tuam accommodare hoc contra veritatem corporis Christi in sancta Eucharistia possis. Sed sic dixit Osee as Propheta, cap. 4. peccata populi mei comedent, de Sacerdotibus qui hostias pro peccatis comedebant, vt perspici potest ex Num. cap. 10 vers. Sic quoque interpretatur Cyril. in comment. huius prophetæ, dictum esse comedere sacerdotes peccata populi, id est hostias pro peccatis. Quid ergo hic sensus ad id quod vis & sentis, vt sacrificia dicantur peccata pro eo, quod est, signa peccatorum?* Turrian. 1. lib. de Euch. adu. Andream Volanum, cap. 15.

Multiplici sophismate ludit Turrianus, sicut & in toto opere, cui Volanus docto libro respondit. Ego verò, quantum fert institutæ collationis huius finis, Gratiani Canones à Iesuiticis strophis vindicabo. Transubstantiationis dogma Sacramentorum naturam & significationem funditus euertit, ideo non mirum est Turrianum & alios Iesuuitas permutationem cuius veteres, præcipuè verò Augustinus & Theodoretus, meminerunt, tam pertinaciter impugnare, scilicet vt ne tantillum quidem veritati cedant. Sed ad Turriani φλυαρίας : & primùm de agno vetere. Agnus vocatur à

Mose, Exod.12.Pesah.1. transitus Iehouç. Septuaginta verterunt Pascha hoc Domino, id est agnus seu pecus adhibita ad representandum transitum siue præclaram illam populi ex Ægypto migrationem. Agnus autē ille non fuit transitus aut liberatio populi, sed illius certissimum signum. Deus enim propter nomen suum sanctum Israëlitas eduxit ex Ægypto. Quod autem ait Turrianus agnum illum fuisse pascha typicum & figuram Sacramenti Eucharistiæ, explicatione indiget. Agnus certe fuit semper signum Sacramentale Israeliticæ Ecclesiæ respectu: sed non signum vacuum, nam si veros Israelitas consideres rei signatæ fuerunt participes, teste Paulo.1. Corinth 10. Video autem quid velit Turrianus: Patres nostros videlicet eandem esca spiritualem non edisse, vt præsentiam illam carnis Christi sub specie panis stabiliat. Hoc si verum est, Patres illos nulla fide fuisse præditos, nullum caput viuificum habuisse, nec in Deum sperasse dicendum est. Quæ enim fides, si Christi membra non sumus? & quomodo eius membra, si eius non reddamur participes, ita vt ille in nobis, nos in eo simus? Ista non capiunt Iesuuitæ, quippe qui de vnione electorum cum Christo portenta antiquitati orthodoxę incognita fabricent. Porrò agnum illum legalem fuisse etiam typum veri illius agni qui tollit peccatum mundi, agnoscimus & profitemur. Quod inde colligit Iesuuita est ἀποσφόνυμον. Non enim distinguit inter typos & signa Sacramentalia. Deinde priorem agni considerationem cum posteriori confundit: non solùm enim typus, sed etiam signum Sacramentale fuit: quapropter transitus Iehouæ vocatur. Tertiò, mutat & inuertit statum quæstionis, peccat homonymia, ignoratione elenchi, & multiplicatione terminorum. Non enim dicimus Eucharistiam seu nostrum pascha esse figuram & signum tantùm veri paschæ, quod est Christus. Sed dicimus panem illum, vinum illud esse Symbola corporis & Sanguinis Christi. Petit item principium: vult enim agnum veterem fuisse solummodo figuram, quod Paulus negat: nec Turriano fauet dictum Apostoli, omnia in typo contigisse illis. Nam conclusio quam inde elicere præsumit, si Sophistam audire par est, histo-

historias Sacras in allegoricum sensum ita mutabit, vt omnia illa in Ægypto & deserto Dei miracula in figura euenisse tandem somniabit. At inquiet, de cæremonijs sacris agitur. Sane quidem. Num verò Israelitæ caruerūt veris Sacramentis? Quod si habuerunt, signo & re signata veri Israelitæ, hypocritæ autem solo, signo donati sunt. Si re signata fideles priuati sunt, nullum igitur Dei verbum, nulla in deserto & Iudæa ante Christum incarnatū vixit Ecclesia. At vide huius disputatoris astutiam. quantū potest veritatem à veterum Sacramentis remouet, vt figuras constituat quæ Euangelicorum Sacramentorum naturam & partes aboleant. Rem verò Sacramentorū nostrorum ita distinguimus à signis, vt illud etiam addamus, tam certo nos fieri rei signatæ participes quàm ipsius signi, sed diuerso modo, quemadmodum alibi fusius dicetur. Agnus quidem noster immolatus in cruce seipsum dedit discipulis in Cœna, sed non sequitur nulla esse signa in Sacramento, aut eorum substantiam euanescere, aut Capernaitico more nos fieri participes carnis ipsius agni, aut illud corpus pro nobis crucifixum in fauces & ventres impiorum descendere, aut à nobis non percipi nisi in os quantus quantus est ingeratur. veritas per Christum facta cuius mentio apud Ioannem, cap.1.17. signa Sacramentalia & nominum mutationem non tollit: nec inde euincent Iesuuitæ agnum sub lege credentibus ita fuisse figuram, vt rei significatæ, id est Christi non fierent participes. Apud Ioannem verò, lex primùm gratiæ opponitur, & significat rigorem legis seu maledictionem. Deinde opponitur veritati, & significat legis vmbras, quas euanescere oportuit aduenientē luce, hoc est ipso Christo. Veritas certe est Christus, nobis in cibum vitæ æternæ datus: non sequitur tamen regulam Theodoreti de nominū permutatione in Sacramentis esse falsam. Vnde patet totum illum Turriani conflictum meum esse ἐκμαγεῖον. Nam quid ex eius dictis consequitur? Agnus fuit typus agni Christi: ergo in Eucharistia nullum est signum quod rei signatæ nomen accipiat. Video, lector, acumen Turrianicum, multiplici sophistica refertum.

2. Alterũ sophisma excutiamus. Circuncisio non erat signũ fœderis, sed ipsum mãdatum & signum iustitiæ fidei, secundum Apostolum. Ergo locus de circunctsione apud Mosem non potest applicari ad regulam de permutatione nominum, quando signo rei signatæ nomen tribuitur. Hîc Turrianus falsitatis reus tenetur, cuius tamen ausus est Volanum insimulare, quem Apostoli correctorem nominat. Expressis etenim verbis Circuncisio Gene. 17. 11. vocatur à Mose signum fœderis inter Deum & Abrahamum. Præterea mandatũ & actio ipsa Circuncisionis temerè confunduntur à Turriano. Item, fœdus seu pactũ in Circuncisionis cæremonia non consistit, sed in hac promissione, Ero Deus tuus & seminis tui post te. Manet igitur illud, circuncisionem esse signum fœderis, & nihilominus tamen fœdus à Mose vocatur, iuxta regulam de nominum permutatione in Sacramẽtis. Quod autem Turrianus negat tropum vllum inesse in illis verbis, hic est calix noui Testamenti in meo sanguine, vel, hic calix est sanguis meus noui Testamenti, eò rendit vt tropum in verbis de pane etiã reperiri deneget. Respondeo, materiam vel formam calicis non esse nouum Testamentum, aut Christi sanguinem: oblatione calicis, seu materiam seu formam illius spectes, nouum fœdus non fuisse sancitum. Tropum attamen nullum hîc videt oculatus Turrianus, quia videre recusat.

3. Ablutionem corporis ad animam pertingere, in baptismo asserit Turrianus, vt regulam nostram ex loco epistolæ ad Titum, cap. 3. vers. 5. conuellat. addit Christum baptismo, tanquam instrumento, talem virtutem tribuisse. Multiplici autem paralogismo fallit & fallitur Iesuuita. 1. Homonymia: quid enim nomine baptismi intelligat non aperit. Aqua lauat, sanguis Christi, item, sed vario modo. 2. Signum, rem signatam, & actionem ipsam seu applicationem signi & significati confundit. 3. Instrumento datam fuisse virtutem animas abluendi à peccatis, quomodo probabit, si regulam nostram non amplectitur? Aqua est lauacrum regenerationis, vt panis est corpus Christi. Vnde, inquit, Augustinus, tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur: sed quia creditur? Vocat igitur Baptismus lauacrum regenerationis à Paulo, sed addendum fuit virtuti Spiritus sancti opus istud tribui, vt pote qui nos regeneret & renouet. Dicit Paulus Ephes. 5. Lauacro aquæ mundari Ecclesiam, sed addit Christum esse qui mundat, & quidem interuentu verbi. Instrumentum autem illud virtutem aliquã sibi insitam habere Turrianus nõ probat, nec probare potest: nã tota illa lotio interna opus est Sp. sancti, qui fidem nostram auget visibili gratiæ & virtutis suæ instrumento, quod tantùm corpus attingit: alioqui & signum non modo in rem signatam transmutabitur, verùm etiam tum signũ tum res signata confundentur & abolebuntur.

4. Hostias pro peccato peccata dicta fuisse, nõ quod peccata essent, sed quod peccata repræsentarent, rectè asserit Volanus: quod quũ Iesuuita impugnare conatur, seipsum imprudens cõficit. Fatetur enim Sacerdotes peccata posse manducare, id est hostias pro peccato. Hostiæ igitur non propriè sed figurate peccata vocãtur, & signum pro signato sumitur. At (inquit) non sunt signa peccatorum. Quid igitur repræsentabant? Sed ludit Sophista in nomine signi: & errores crassissimos in Theologia profert, priusquam Volanus & alij solidè refutauerint, ad Grammum reuertor, ejúsque Canones hac Sectione tertia à nobis descriptos dico nõ posse sine manifesta repugnantia horrendáque blasphemia in Ecclesiis Christianis probari, nisi Axioma illud amplectamur, videlicet Signo rei signatæ nomen tribui à Christo, apostolis & apostolicis viris, propter analogiam rerum visibilium, terrenarum, sensibilium & cœlestium. Analogia autem ea est. 1. Inter panem & vinum, corpus & sanguinem Christi. Panis est aptissimum & præcipuum nutritionis carnalis instrumẽtum. Ita corpus Christi vnicum & solum est animarum esurientium ferculum. Vinum sitim sedat, naturam fatigatam refocillat, tristes exhilarat. Hos verò eosdem effectus animis nostris præstat vnicus ille sanguis Christi, sicut prolixè demonstratur, Ioann. 6. 2. Quod ad sacrificium attinet, fractio panis nõ obscurè illud adumbrat. Vt enim integra panis massa scinditur, frangitur, & diuiditur: sic horribilibus doloribus, & mortis anguibus attritus, corporísque & neruorum lacerationibus

contritus, contusus & concisus fuit Saluator noster pro nobis. Nec propriè loquendo panis vel fractus, vel datus est pro nobis, etiam si nobis & in nostrum vsum iam frangatur & porrigatur, vt corpus pro nobis datum & fractum efficaciter repræsentet. 3. Præbitio & sumptio, hoc est comestio & haustus panis & poculi, commodè nobis representant arctissimam Christi vnionem nobiscum. Quàm verè enim panem illum fractum comedimus, & poculum benedictum bibimus, tam verè per fidem & spirituali modo Iesum Christum totum, cum omnibus suis opibus, nobis applicamus. Et vt nihil nobis firmius adhæret quàm quod per os ingessimus, adeò quidem vt illud in vnam nobiscum substantiam coalescat, ita per fidem & spirituali modo corpus & sanguinē Domini nostri, miro fœdere ita nobis vnimus, vt vnum cum ipso corpus mysticum conficiamus: nec efficacius membra corporis physici cum capite cohæreant, & inde sensum ac motum percipiant, quàm nos fimus vnum cū Christo, vt optimo iure nos in ipso, ipse in nobis esse ac viuere affirmari possit. Et vt nos doceret in ipso vno habere quicquid ad hanc saluificam coniunctionem requiritur, non vt cibum duntaxat, sed etiam vt potum se ipsum proponit, vt quemadmodum vita hæc cibi & potus vicibus sustentatur, ita nihil sit quod in ipso animæ nostræ non reperiant. Ioann. 6. 4. Quod ad quartum attinet, tametsi non est ex præcipuis significatis, pulchra tamen analogia hoc quoque ipsum, nempe mutua membrorum omnium sub vno capite coniunctio, consensus & concordia depingitur, quod apparet primùm ex toto huius actionis ritu. Omnes enim ad eandem mensam accedimus, eundem cibum & potum sumimus, vt eiusdem familiæ membra. Deinde magis etiam expressè, ex pane & vino quæ sumimus, charitatis emergit significatio: si quidem omnes ex eodem pane & poculo participamur. At verò vnus ille panis ex multis confectus granis est: poculum illud ex multorum acinorum succo confectū est, quæ tamen omnia tam multa sic in vnum planè corpus coaluerunt, vt diuidi vel seorsim nequeant. ita fideles, tametsi ordinibus, gradibus, conditionibus & vitæ genere

studio multū inter se discrepēt, mutuo tamen amore ita in vnum corpus coalescāt oportet, vt nulla diuulsio, nulla distractio, nulla controuersia istam diuinam vnitatē conturbet. Hinc Augustinus subinde hoc Sacramentum appellat charitatis vinculum. Paulus autem 1. Corinth. 10. totum hoc mysterium his verbis explicat, Quoniā vnus panis, vnum corpus multi sumus. Nam omnes vnius panis fimus participes. Et hæc quidem de analogia signorum & rerum signatarum, quæ à Transubstantiatione Pontificia tollitur. Accidentia enim, sine subiecto & substantia sua propria, cum alia substantia veram analogiam nec habeat nec habere possint. Ad quartam Sectionem accedamus.

Sectio. IIII.

Gratianvs.

Signorum & rei signatæ distinctio & cōiunctio

Verum sub figura, an in veritate hoc mysticum calicis Sacramētum fiat, Veritas ait, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Alioqui quomodo magnum erit, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro? Sed quia Christum vorari dentibus fas non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & sanguinem suum, consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari, & quotidie pro mundi vita mysticè immolari: & sicut de virgine per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis, & vini, mysticè idem corpus Christi consecretur. Corpus Christi, & veritas, & figura est: veritas, dū corpus Christi, & sanguis virtute Spiritus Sancti in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur: figura verò est id quod

exterius sentitur. *De Consecrat. Distinct. 2. Can. 72. ex Augustino.*

Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrunque postem ponitur, quando non solùm ore còrporis, sed etiam ore cordis hauritur. *Item.* Hæc salutaris victima illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat: qui licet resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter & incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio moritur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius càro in populi salutem patitur: eius sanguis nó iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. *Ibid. Can. 73. ex Gregorio.*

Panis & vini substantiæ, id est signa, à corpore & sanguine Christi distinguuntur expressis verbis. Hauritur sanguis Sacramentalis. 1. vinum quod sanguinem Christi significat ore corporis: ore cordis autem realis Christi sanguis: id est, Christianus ad percipiendum & hauriendum istum sanguinem non fauces, non ventrem parat: sed credit & bibit. Veritas à mysterio discernitur, vt Sacramentum 1. Signum à re sacramenti, panis Dominus & panis Domini duo sunt. Verum ita distinguuntur, vt tamen non separentur. Quæ sit autem ista signorum & rerum signatarum coniunctio, Gratiani canones aperiunt, tam arcta videlicet, vt fiat nominum signi & signati permutatio ad fidem nostram certius confirmandam. Hanc verò coniunctionem Theologi confirmant tripliciter, videlicet in significatione, obligatione, & præbitione rei significatæ. 1. Prima igitur coniunctio spectatur in significatione. Deus res spirituales & arcanas non cõtentus verborum similitudinibus & parabolis illustrare, ipsarum quoque rerum imagines, velut pictas tabellas oculis nostris obiicit, mira quadam conuenientisimáque similitudine & analogia, re-

rum ἀγωγὰς quadam mysteria spiritualia patefacientes & familiaria cõstituentes. Exempli gratia, Audimus nos carne Christi ali ad vitam æternam. Res hæc, id est Christi caro est inuisibilis, quippe supra cœlos euecta. Accedit ergo verbum visibile, panis Eucharisticus. Analogia est conuenientissima à pane ad carnem, à corporis nutrimento ad animæ pabulum, ab externa manducatione ad spiritualem esum. Proinde vt panis nutrit corpus, ita vt solùm vel aptissimum sit instrumentum nutritionis, ita caro Christi est solus ille animæ nostræ cibus, sustentans illam in spem & gustum futuræ vitæ. Ideo dixit Augustinus, Si Sacramenta aliquam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta non haberent, ne Sacramenta quidem essent, 2. Altera signorum cum rebus signatis coniunctio spectatur in obsignatione. Nec enim vllum est Sacramentale signum, sicut videmus pictam tabellam Cæsaris, quæ nihil aliud est quàm μνημόσυνον personæ, vel nunc vel olim viuentis. At signa Sacramentalia hanc vim habent vt Deus illorum interuentu fidem excitata, gratiam, corpus Christi, & bona ex illo fluentia in nobis plenius obsignet, & illa quasi palpabilia efficiat, applicétque singulariter. Huc referendæ sunt similitudines ex principum diplomatibus, ex instrumentis & cõtractibus publicis, docendi gratia petitæ. 3. Tertius conniunctionis modus præbitionis est, qua reuera præbetur id quod signis figuratur. Nec enim ludit Deus signa inaniendo, quorum nulla sit veritas. Immò sicut non falsa in verbo vocali, sed quod promittit re vera præstat: ita quod in signo, hoc est verbo visibili monstrat, reuera quoque præbet. In promissione vocali dicitur Ioann. 6. Qui manducat Christi carnem, & bibit eius sanguinem, habet vitam æternã. In promissione visibili, pane & vino Eucharistico, idem monstratur. Dominus autem re vera præstat quod promisit & monstrauit, nempe nos pasci esu & potu carnis & sanguinis eius ad vitam æternam. Itaque minimè ponimus signa vacua, quemadmodũ leuitæ & alij aduersarij calumniantur. De modo autem huius perceptionis, quem spiritualem esse dicimus, id est

cuius obiectum est non corpus sed animus credentis. postea commodius disseremus.

IESVVITAE.

Legatur Augustinus inter alios Patres, infinitis in locis, sed in libro præsertim qui sententiarum Prosperi inscribitur, vbi inter cætera nōminus Eucharistiam nostram inuisibili Christi carne cōstare, & visibili panis specie asserit, quàm ipsum Christum Dominum inuisibili diuinitate & humanitate visibili. Hoc est quod dicimus (*aut, Can. 48. de Consecrat. dist. 2.*) quod modis omnibus probare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare: visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: & Sacramento & re Sacramenti, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur ex Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus & verus homo. *Neque illud tamen negamus, sacrosanctam Eucharistiam corporis Christi figuram quondam vel appellatam esse à Patribus, nonnunquam vel optimo iure appellari posse. Scimus Patribus non esse inusitatum illud, quamquam & ipsum non sit frequentissimum. Nam vt ex vltimo hoc D. Augustini loco manifestè constat, duo sunt quæ in Eucharistia attendi possunt. Est exterior corporalis nutrimenti species, & est Spiritualis animæ cibus inuisibilis, per eandem illam speciem significatus atque exhibitus. Illud signum est, & quidem signum corporis Christi: verum non absentis sed præsentis vitæ spiritualis nutrimenti. Nam & mendax alioqui refectionis signū esset: & signum aliquod esse rei etiam præsentis nihil etiam prohibet, id quod in fumo & igne est clarissimum.* Iesuitæ Posnanienſ. controuerſ. 4. pag. 266. 267.

Signum in eucharistia est species panis & vini, & signum rei præsentis in terra, vt fumus est ignis proximi signum. Confirmant suam sententiam Posnanienses, Augustini dicto, qui Sacrificium Ecclesiæ, i. Sacramentum, Cœnæ visibili elementorum specie & inuisibili carne & sanguine Christi, Sacramento videlicet & re Sacramēti, constare testatur.

1. Ludūt in voce speciei quæ illis nihil est aliud præterquam accidens sine substantia, & indiuiduum vagum. Augustinus autem & alij orthodoxi patres speciei nomine Sacramentum, id est verum panem & verum vinum intellexerunt, & veram panis vinique substantiam. *Sermo Dei* (inquit Ambrosius, de iis qui initiantur, cap. 9.) *speciem mutat elementorum.* Item. *Ante benedictionem alia species nominatur.* Et August. ipse, Can. Hoc est, de consecrat. dist. 2. *Panis qui corpus Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm vtique sit Sacramentum corporis Christi*, &c. Panis igitur, species, Sacramentum, rei Sacramentali oppositum, idem sunt Augustino.

2. Fallunt & falluntur in voce visibilis. Si enim accidentia volunt esse visibilia, & palpabilia etiam: tum dicāt necesse est nos & accidentibus vesci, quemadmodum noster internus homo Christo vescitur. Tandem accidentalis erit Christi communicatio, aut accidentia sua hac quidem in parte nihil habere cum vero & substantiali Christi corpore commune, ac proinde Sacramenta dici nullo modo posse fateantur oportet. Illud igitur vocabulum nullam huiusmodi externā speciem euincit quam fingunt Posnanienses: sed Christi corpus quod est in coelis, quódque non corporis nostri, sed fidei tantùm oculi aspiciunt, duntaxat remouet. Sic aqua in baptismo ap-

pellatur forma visibilis, iuxta vniuersalem Sacramentorum definitionem. Sic Augustinus, *Aliud Iudæi habebant, aliud nos: sed specie visibili, quod tamen idem significaret.* Item, *Quod videtur speciē habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Et Chrysostomus in Matthæum, homil. 83. *Christus in sensibilibus intelligibilia nobis tradidit.* Item Augustinus de consecrat. dist. 2. Can. vt quid: *Quod pertinet ad virtutem Sacramenti distinguit ab eo quod pertinet ad visibile Sacramentum & addit, Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.* Similiter de pijs & verè credentibus ante Christi aduentum, tract. 26. in Ioann. *Visibilem cibum* (Manna) *Spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt.*

3. Ex his cùm insulsum Posnaniēsium errorem perspicimus, tum quid sit corpus inuisibile Christi intelligimus: nempe quod illud in cœlo constitutum nos fidei, mentis, intelligentiæque nostræ oculis videamus. Neque possunt ex illa vocula concludere, Christi corpus est inuisibile: ergo accidentibus includitur & tegitur. Ambrosius enim, lib. 3. de Spiritu S. simili dicendi genere de baptismo dixit, *Sacri fontis vnda nos abluit. Sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spirituali.* Et Origenes in Luc. hom. 24. *Ioannis baptisma visibile fuit, Christi verò inuisibile.* Quis inde Christi sanguinem aquæ accidentibus & formis occultari atque obduci concludat? Quemadmodum autem se res in baptismi Sacramento habet, sic etiam in corporis Christi mysterio. Sicut sanguis Christi quo lauamur, inuisibilis est, ita corpus eius, quo pascimur, inuisibile est. Et sicut inuisibilis hæc in Christi sanguine ablutio sanguinem Christi visibiliter pro nobis effusum mentibus nostris proponit, eodem modo caro Christi inuisibiliter percepta, illam ipsam Christi carnem nobis demonstrat, quæ olim aspectabiliter & palam cruci suffixa & vulnerata fuit. Integra igitur constat Augustini sententia, nec latentem aliquam sub accidentibus, seu realem, seu carnalem præsentiam desiderat.

4. Idem

4. Idem Sophisma latet in illis verbis, *Est exterior corporalis nutrimenti species*: ex quo sic argumentari licet adu. Iesuitas. Accidentia seu exterior species panis & vini non alunt corpora nostra, quemadmodum animas nostras corpus Christi nutrit. Ergo accidentia speciésque panis & vini non sunt Sacramenta corporis Christi. Contrà, Ireneus, Cyprianus & alij veteres panis substantiam nutrire corpora nostra affirmant. Ergo panis substantia est sacramentum corporis Christi. Cyprianus enim, serm. de Cœna Domini, signum seu significationem huius sacramenti, *in reficiendo & alendo consistere* ait. Et Rabanus ipse, lib. 1. cap. 31. *Quia panis corporis cor confirmat, ideo sic congruenter corpus Christi nuncupatur: & quia vinum sanguinem operatur in carne, ideo illud ad sanguinem Christi referrur.* Et Irenæus *Eucharistiam ex re terrena & cælesti constare* dicit.

5. Quod autem species volunt esse signa præsentis id est occultatæ carnis Christi sub illis speciebus, & fingunt nos vacua signa habere, putidum est cautiùs, quemadmodum iam ante ostensum est, & in sequentium sectionum explicatione iterum ostendemus. Cæterum, quod ex fumi & ignis similitudine inferunt signum aliquod esse posse rei præsentis, non conuenit: signa enim ficta & naturalia confundunt. Deinde, vbicunque est species illa panis, sequeretur necessariò semper ibi esse corpus Christi: at si mus aut canis illas species rodit, tunc Christum confugisse isti asserunt. Sic igitur ex fumo in ignem seipsos conijciunt, & fumum superstitionum suarum venditant. Tandem verò eueniet, vt qui fumos adeo impudenter vendunt, fumo etiam extinguantur.

Sectio V.

Gratianvs.

Aduersus Transsubstantiationem papisticam.

Timorem docet nos Apostolus dicens, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: fidem verò edocet nos sermo Domini, dicens, hoc est corpus meum, quod pro vobis dabitur. Hoc facite in meam commemorationem. *Item.* Talem ergo affectum & fidem præparare debet in animo suo is, qui panem & calicem Domini percipit. De *cons*ẽ. *Distinct.* 2. *Can.* 25. *ex Basilio.*

Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat, &c. *Ibid. Can.* 27.

In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuere? vt nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est: vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur: quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus? Idem est ei bus refectionis, est cibus sanguinis. Sicut enim caro Domini verè est cibus: ita sanguis verè noster est potus. *Idem.* Est etiam corpus, de quo dictum est, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus aquile sunt, quæ alis circunuolitant spiritualibus. *Idem.* Vnde & corpus

corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes. *Idem.* Cuius clarè argumentis vtimur, suis vtamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysteriis veritatem. *& infra* Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus Christus partus ex virgine. *Ibid. Can.* 38.

Hoc est, quod dicimus: hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili D. nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramẽti, id est, corpore Christi: sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine. cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificiũ ecclesiæ Sacramento, & re Sacramenti i. corpore Christi. *Item.* Caro eius est quam forma, panis opertã in sacramento accipimus, & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis Sacramentum est sanguinis: carne & sanguine, vtróque inuisibili, intelligibili, spirituali, significatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus, palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maiestate. Sicut ergo cœlestis panis qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm re vera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet quod visibile, quod palpabile, mortale in cruce positum est: vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est *Ibid. Can.* 48. *ex Augustino.*

Ex superioribus sectionis quintæ Canonibus sequentes aphorismos colligo.

1. In Cœna Domini, post consecrationem, fideles panem & vinum Domini, id est vera veri corporis & sanguinis Domini signa & symbola vt & res significatas distinctè percipiunt.

2. Signa rerum significatarum nomen ita obtinent, vt nihilominus tamen signorum substantia tota remaneat.

3. Fit quidem transubstantiatio, non panis & vini in corpus & sanguinem Christi: sed Christo fide apprehenso, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transimus.

4. Corpus Christi non est sub specie panis, sed in cœlis, vt pote circa quod soli electi circumuolant alis spiritualibus.

5. Christianorum verè credentium vnio cum Christo est ineffabilis & præter naturæ ordinem.

6. Cœna Domini constat Sacramento, i. signo, & re Sacramenti, carne videlicet & sanguine Christi.

7. Panis est corpus Sacramentale Christi: vinum sanguis sacramentalis eiusdem: visibile autem & palpabile corpus, his symbolis significatur.

8. Panis Cœnæ vocatur cœlestis & Christi caro, sed suo modo, id est, quatenus carnis illius cruci affixæ est Sacramentum.

Postremum Canonem Iesuuitæ Posnanienses pro sua transubstantiatione, sed mutila tum, supra citarunt: ego autem integrum adscripsi, ex cuius lectione confido lectores percepturos Augustinum & orthodoxam illam antiquitatem errores papisticos de transubstantiatione & carnali præsentia minime coluisse. Nec difficile esset eiusdem antiquitatis plura testimonia congerere, ad sententiæ nostræ confirmationem. Tantum addam glossatoris confessionem in hæc Canonis 48. verba, sicut ergo cœlestis panis qui Christi caro est suo modo vocatur corpus Christi, &c. Cælestis (inquit ille glossator) id est cœleste Sacramentum, quod verè representat Christi

Christi carnem, dicitur corpus Christi impropriè. Vnde dicitur suo modo, sed non rei veritate, sed significante mysterio, vt sit sensus, vocatur Christi corpus, id est, significat. Iterum etiam descripsi canonem 27. cuius consideratio non præfractis ingeniis ostendit nullam fieri substantiæ panis aut vini transmutationem in corpus & sanguinem Domini. Quis enim, nisi pertinax quidam Iesuita, dicet realem Christi sanguinem in terram stillare, aut (vt fert Canon 28.) reale corpus Christi per ebrietatem & voracitatem euomi posse? Sed ad species ipsas illa verba referunt. At in voce speciei fallunt & fallunur. Accidens enim non cadit, nisi imaginatione: nec rubedo aut albedo cadere in terram euomive potest. Necesse est igitur substantiam signorũ remanere, aut Christum ipsum infirmum & infinitis ludibriis obnoxium, summa cum blasphemia, asserere. De Transubstantiatione autem nostra in Christum, obseruandus est Canon. 31. Cætera sunt perspicua.

Iesvvitæ.

Quid verò de transubstantiatione? Hîc duo imprimis animaduertenda, eáque apertè profitenda sunt: alterum, sacerdotem qui conficiat Eucharistiam legitimè ordinatum esse oportere: alterum, tantam inesse vim in verbis illis arcanis & consecratorijs, quibus idem Sacerdos Christi vice panem & vinum in altari consecrat, vt panis quidem in corpus, vinum autem in sanguinem Domini subitò transmutetur. Verè stupenda, solaq; fide metienda transmutatio, quæ omnipotẽte Christi virtute per ea ipsa verba operãte fit: nec immeritò a sãcta Catholica ecclesia Trãsubstantiatio appellata est, quòd panis vinique substantia in corpus san-

guinémque Christi certò conuertatur. Si enim valuit tantùm sermo Eliæ, vt ignem de cœlo deuocaret, non valebit Christi sermo (sic enim colligit Ambrosius) vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, Ipse dixit, & facta sunt: Ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergò Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Atqui Christi sermone nihil apertius, dũ ait, Hoc est corpus meũ: Hic est sanguis meus: vt nullus omnino relictus sit locus suspicãdi, post consecrationem panem & vinum in Eucharistia manere. Canis. Catechism. Iesuuit. pag. 214.

Ecclesia Catholica ab Apostolorum temporibus per vniuersum orbẽ semper firmissima fide credidit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verum & integrum Christi corpus & sanguinem, idque propter manifesta ipsius Christi verba, quæ in vltima Cœna dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: &, accipite & bibite, hic est sanguis meus. Quæ verba ita sunt clara, vt neque metaphoræ neque metonymiæ, neque alteri vlli figuræ locum relinquant.

1. Sicut enim, si Christus dixisset, hic est panis triticeus, hoc est vinum Rhenanum quod vobis hauriendum porrigo, nihil fuisset obscuritatis: ita, nemo dubitare debet, quin verum corpus & sanguinem suum dederit, cùm dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum: accipite & bibite hic est sanguis meus.

2. Si-

2. Similis est oratio illa Dei Patris, Mat. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus: in quo si impium est figuram ponere, & de vero Dei filio dubitationem mouere, impium etiã erit in his verbis figurã constituere, hoc est corpus meum.

3. Nulla verba antecedentia vel consequentia declarant figuratam locutionem, quemadmodũ in parabolis & similitudinibus fieri consueuit, vt fit apud Matthæum, semen est verbum Dei, & ad Corinth. Petra erat Christus. Atque ita in reliquis. Parabolæ & similitudines antecedentes indicant illud (est) idem valere quod significat: hîc autem nihil apparet huiusmodi, cùm ex abrupto, accepto pane dixerit Christus, Accipite, comedite, hoc est corpus meum: accipite & bibite, hic est sanguis meus, quasi dicat: hoc ipsum quod vobis trado edendum & bibendum est corpus meum & sanguis meus. Estque meritò obseruandus textus, Luc. 22. vbi Græcè pro eo, quod nos habemus, pro vobis effundetur, legitur participium ἐκχυνόμενον, hoc modo, Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, pro vobis effundendus, id est, potus ille qui erat in calice: vt intelligas eundem illum sanguinem qui calice bibendus dabatur, in cruce pro nobis postridie effusum.

4. Doctrina quam tot seculis retinuit Ecclesia, apertorúmque verborum Christi expositio, neque omnipotentiæ Dei aduersatur, apud quem non est impossibile omne verbũ, neque charitati qua dilexit nos & semetipsum pro nobis tradidit. Nulla subest igitur ratio, cur ad nouas metonymias & tropos, hactenus isti loco ignotos, debeamus confugere,

& non potius clara verba ad eum quem præ se ferunt sensum exponere, nullisque nouis atque non necessariis obscuritatibus inuoluere.

5. Leges omnes à prudentibus legislatoribus latæ, simpliciter, propriè, perspicuè, non figuratè, non obscurè, non perplexè efferri debent: ne quis ignorantiam prætexens, & verborum ambiguitatem legem violet. Iam verò Christus hoc Sacramentum instituens, simul etiam præcepit, legémque tulit, vt idem à sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Claris igitur verbis est vsus, quæ sine tropo id valent quod sonant.

6. Verba testamentorum nullum figuratum debent habere sermonem, sed esse clara atque perspicua, ad omnes lites & difficultates ab hæredibus tollendas. Constat autem à Christo nobis in vltima Cœna prædictis verbis testamentum relictum: sic enim aiebat, Luc. 22. Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine. sicut igitur, si cui parens testamento reliquisset domum cum vinetis & hortis: non de tabella quæ fortè in suppellectili paterna reperiretur, pictæ domus, horti, vineæ verba testamenti intelligeret, sed de vera domo, vinea & horto: ita verba Testamenti nostri saluatoris, non de similitudine corporis, sed de ipso vero corpore accipienda sunt.

7. Rex quisquam alicui reipublicæ seriò promittens, vel certam pecuniæ vim, vel aliud eximium donum, indignam se rem faceret atque ridiculam, si pictam pecuniam vel imaginem illius doni mitteret. Christus igitur qui Ioan. 6. tam multis

iis verbis támque seriò spopondit Ecclesiæ suæ daturum se corpus & sanguinem suum in cibum & potum, certè illusisset Ecclesiæ suæ, si præter frustum panis, quo corpus illud significaretur, nihil reliquisset.

8. Christus hoc sacramentum Eucharistiæ veteri manna præponit, quod descendit de cœlo. At verò si solus esset panis quo Christi corpus significaretur, præstantius multò fuisset manna, angelorum manibus paratum (panem enim angelorum manducauit homo, Psal. 77.) de cœlo descendens, & in se habens omnem saporis suauitatem: cùm noster hic panis à solo pistore in furno coctus, nihil excellens præter significationem, præberet, quæ tamen ei cum manna communis est.

9. Beatus Apostolus, reum facit corporis & sanguinis Domini, sibique iudicium affirmat manducare & bibere, qui indignè sumit Eucharistiæ Sacramentum, multósque indigna communione tũ infirmari, tum imbecilles esse, tum ex hac vita migrare. Hoc autem ex solius figuræ vsu, non magis eueniret Christianis quam quondã Iudæis, quibus similis figura fuit in manna (vt Apostolus indicat, 1. Corinth. 10.) & agno Paschali: quorum sanè neminem ex eo vel mortuum fuisse legimus, vel peccatum nouum commisisse, quia indignè, hoc est, cum peccato mortali de manna vel agno sumpsisset.

10. Si in sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus non continetur, indignè egit Christus cũ Ecclesia sua, quam per vniuersum orbem annis totis in tali errore atq; idololatria, occasione suorum verborum reliquit, qualis in orbe terrarũ nunquã

vel visus vel auditus fuit. Tolerabilior enim est error eorum, qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quo modo gentiles Deos suos venerabantur: quàm eorum qui frustum panis, quod hactenus per vniuersum orbem tot annis fecerunt Christiani. Neque hîc excusat simplicitas maiorum, tum quòd sapientissimi fuerint doctores, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus: tum quod longè potiori ratione excusandi essent infideles idololatræ, qui statuas adorauerunt.

11. Totis octingentis annis post Christum natum, tanta fuit in hac veritate veterum omnium consensio, vt non modò nemo hominum de hac re dubitauerit, sed etiam plerosque alios fidei articulos ex hoc Sacramento multi tum declarauerint, tum confirmauerint. Sanctus Irenæus, lib. 4. cap. 35. Gregorius Nyssenus, Serm. de corpor. Christi, & Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Ioan. cap. 14. 15. 18. & lib. 10. c. 13. corporum nostrorum resurrectionem sic comprobant, vt dicant fieri non posse, vt ea caro quæ Christi iam immortalis corpore nutrita sit, morte sempiterna deleatur. Ephesina Synodus & Theodoretus, epistola ad Nestorium, dial. 2. & 3. ex Ignatio & Amphilochio, docent Saluatorem nostrum Christum non spirituale sed veram carnem assumpsisse, vereque esse filium Dei incarnatum, quòd in Eucharistia no alterius hominis sed filij Dei veram carnem manducemus. Simile quid scripserat multò ante Iustinus martyr, apol. 2. ad Antonin. Hilarius lib. 8. de Trinit. & Cyrillus Alexandrinus, lib. 10. in Ioann, ca. 13. & lib. 11. cap. 26. qui

26. qui ex eo probant filium Dei cum Deo patre, non sola voluntate, sed natura quoque atque substantia vnum esse, quod per naturæ & corporis sui veritatem, non solo fauore aut voluntate nobis adsit; nobisque misceatur sacra Eucharistia. Hoc enim aiunt significari Christi verbis, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Ioann. 17. Patres multi, Chrysostomus, homil. 83. in Matth. 60. & 61. ad populum, & 45. in Ioann. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 4. cap. 15. & 17. & ad Calosirium, Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4. Gregorius Nyssenus, serm. de corp. Christi, Leo Pontifex, serm. 14. de pass. dom. Damascenus, li. 4. cap. 14. Haymo, in epist. ad Corinth. 1. cap. 10. & alij agnoscunt in nobis veram cum Christi naturali corpore vnionem, quod reipsa suscipimus, & quo re vera, sine tropo vllo vel similitudine Ecclesia sponsa cum sponso Christo corporaliter coniungitur. Chrysostomus, multus est in commendanda Christi, præ matribus in filios charitate. Cùm enim matres vel nutricib. infantes cõmittant, Christus non alieno cibo, non lacte suo nutrit, sed proprio corpore nos & sanguine pascit. Similiter (inquit, homil. 2. ad popul. Antioch.) Helias discipulo melotem reliquit: filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit: sed Helias quidẽ exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsum habens ascendit. Augustinus & Prosper Aquitanicus fatentur Christum in vltima Cœna sic à semetipso gestatum manibus suis (concione 1. in Ps. 33. part. 2. de prædictionib. & promiss. ca. 25.) quo-

modo non potest seipsum quisquam gestare, nempe veritate corporis sui, non similitudine vel figura, cùm facile sit cuilibet imaginem suam manibus tenere. Denique fuit veteribus ita in confesso hæc catholica fides, vt tametsi maximè vellent celare gentiles hoc mysterium (vnde toties in concionibus & libris patrum, norunt fideles, nouit qui mysteriis initiatus est) non potuerit tamen caueri, quin ex communi fide aliquid in vulgus emanaret, licet obscurè, ex quo criminarentur Christianos, tanquam qui homines vorarent, vt ait Eusebius, *lib. 5. hist. cap. 1. vel qui infantes necarent & crudas carnes gustarent, vt est apud Tertullianum in apologet. vel qui sanguinem libarent, vt refert* Prudentius, *in hymno de S. Laurent. vel qui in abditis Deum viderent, sicut B. Augustino obiecit Maximus Mandarensis Ethnicus, epist. 43.*

12. *Cùm octo & amplius seculis, per orbem totum hanc doctrinam de Eucharistia magno consensu Ecclesia coluisset, primus* Bertramus *quidam obscurus homo, circa annum 830. adu. Paschasium scribere est ausus, quod Christi carnem in Eucharistia eandem esse dixisset, quæ nata esset ex virgine Maria. Sed hoc repressо, sub annum 1050. prodiit* Berengarius *quidam homo indoctus (vt autor est Guitmundus) qui ad nominis sui gloriam sepultum errorem reuocauit. Sed is variis conciliis Romano Vercellensi, Turonensi, & altero Romano damnatus, tertiò vel quartò relapsus est, & resipuit. Sub finem quidem vitæ relapsus (ait Gulielmus Malmesberiensis lib. 3. de gestis Anglorum) tandem ipso die Epiphaniæ, vt refert Ger-*

son, seriò de errore dolens, in hanc sententiam locutus est: Hodie apparebit mihi Dominus ad meam salutem, vt spero, propter pœnitentiam, aut ad damnationem, vt timeo, propter eos quos mea praua doctrina decepi. Cùm itaque primi huius erroris autor esnoti sint, & multis seculis recentiores veteribus, & statim vt pestes Ecclesiæ extincti, nō est cur nouis authoribus damnatas hæreses suscitemus, vel suscitatas recipiamus.

12. *Innumera miracula ad huius fidei Catholicæ confirmationem, tum veterum temporibus, tum nostra ætate plurimis locis edita, manifestè conuincunt non esse hîc figuram corporis dominici, sed veritatem. Hæc miracula referuntur ab Amphilochio, Cypriano, Augustino, Optato, Bernardo, & aliis, quæ meritò persuadere homini Christiano possunt, Christum, qui in salutem Ecclesiæ suæ vniuersum sanguinem profudit, electam sponsam non eò dementiæ atque abominationis abripi passum esse, vt (quod nulla barbaries admisit) fruſtum panis pro Deo coleret, adoraret, sumeret. Dici namque meritò, & Christo obiici à nobis posset, Domine imposuisti nobis: miracula edidisti: Ecclesiam quæ per orbem terrarum ita docuit audiri iussisti: totis 1500. annis hæc fides seruata est, & qui secus docere tentarunt anathemate percussi: nihil vidimus omnipotentia tua maius, nihil charitate tua indignum.* Coſterus, Enchirid. concrouerſ. cap. 5. de Sacramento Euchariſtiæ, pag. 188. 189. &c.

Euſebi⁹ Emiſſen⁹, *perſpicuè dixit: Benedictēdæ verbis cœleſtib. creaturæ ſacris altarib. imponūtur,*

antequam inuocatione summi nominis consecrãtis: substantia illic est panis & vini: post verba Christi, corpus & sanguis Christi. Ambrosius: antequã consecretur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Hieronymus: Clerici Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt. Cyrillus Hierosolymitanus: Si ad nuptias corporales aquam in vinum mutauit, nunquid non mutat ad nuptias spirituales vinum in suum sanguinem, cùm vinum sit sanguini magis propinquum, quàm aqua vino? Cyrillus etiam Alexandrinus affirmat, Deum influere oblatis vim vitæ, & ea in veritatem propriæ carnis conuertere. Chrysostomus: Qui non manducat carnem Domini, nec bibit sanguinem eius, non habebit vitam æternam. Quæ per nullius alterius, quàm sanctis efficiuntur manibus sacerdotum. Apud Augustinum quoque & Ambrosium hæc eadem verba, siue alterius tãtum, siue vtriusque illa sint, legimus. Memini sermonis mei cùm de Sacramentis tractarẽ, dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Idem Augustinus, sive quis alius ex patribus sit ille cuius verba à Gratiano distinct. 2. de cõsecrat. can. Vtrum, & à magistro sententiarum hoc modo citantur: sicut de virgine per Spiritum sanctum vera caro creatur: ita per eundem ex substantia panis & vini, mysticè idem corpus Christi consecratur. Rabanus, ex aliorum etiam patrum sententia: sicut nomine Christi, ipso teste, etiam à membris Diaboli dæmonia pelluntur, ita eiusdem

eiusdem virtute Sacramento altaris corpus & sanguis conficitur. Idem alibi: In hoc ergo verbo (hoc est enim corpus meum) cõficitur illud corpus. Quia diuinum verbum est. Idem, quotiescunque fit (quod Christus circa confectionem Eucharistiæ instituit) catholicè, verè hoc fit, quod dictum est, Hoc est corpus meum. Quibus verbis fundamentum habet sententiam hanc monstrauit in ipsa institutione. Quia videlicet præceptiũ illud, Hoc facite, ad verba illa etiã, quæ antecedunt, Hoc est corpus meum, referre oportet, sic, vt etiam efficiant sacerdotes, Christi corpus & sanguinem esse, illud quod sub speciebus panis & vini Christus indicauit, videlicet eius corpus & sanguinem. Rectissimè autem hîc author dixit: Quotiescunque id, quod iussit Christus, fit catholicè, verè hoc fieri, quod dictum est, Hoc est corpus meum: vt animaduertat aduersarius cum collegis prædicantibus se ideo panem & vinum in corpus & sanguinem Christi conuertere neque velle, neque etiam posse, quoniam Eucharistiam celebrãt non catholice ex institutione Domini, sed hæreticè pro sua libidine. Credo testimonia hæc abundè satis esse prudenti Lectori, vt aduersi frontẽ admiretur, qui scribere non erubuerit, recens hoc commentum conuersionis esse ignotum vetustati eruditæ per multa secula, id est 800. annis vsque ad tempora Caroli magni. Item anno primùm 1060. per Lanthfrancum & Magistrum sententiarum renouatam esse hanc doctrinam, & anno 1216. per Honoriũ P. & 1264 per Vrbanum confirmatam. At, inquit, Patres volũt nihil aliud quàm nuda solùm signa, panem scilicet commu

nem, quemadmodum Irenæ⁹ loquitur, & vinũ, sicu alios in conuiuijs, exhiberi in cœna Domini, sed ipsissimum corpus Christi, & sanguinem: seu, vt idem loquitur, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cœlesti. Et quod aliqui, inquit, de mutatione loquuntur, non naturalem aut substantialem, sed sacramentalem intelligunt. Quid? tantum-ne cum pane esse corpus Christi Emissenus vult, cùm inquit, antequam inuocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini. Post verba Christi, corpus est & sanguis Christi, &c? Ao potuit clarius indicare per consecrationem fieri, vt non eadem substantia maneat post, quæ fuit antea, & vt aliqua substantia sit ibi post, quæ non fuit antea, nempe corpus Christi? Et quis hic non videat mutationem substantialem poni? Quãquam verum est quidem, sic substantiarum hîc conuersionem, vt Cyrillus Alexandrinus loquitur, fieri, vt hoc non naturaliter, sed sacramentaliter, hoc est, admirabiliter diuinéque fiat. Omitto cæteras sententias patrum, quas descripsi, quæ cùm plurimæ & præclaræ pro substantiatione adeóque consecrationis efficacia sint, nihil de Theodoreto laboro, qui, vt citas, dixerit, hic non transmutari naturam, & manere signa mystica in priori sua substantia. Cuius testimonium non, vt inquis, dissimulaui, sed propter illud, in libro meo scripsi: non exiguam vanitatem esse tamque illustri confessioni Patrum, vnius vel alterius sententiam opponere: quippe qui ex communi aliorum doctrina, aut exponi, aut reiici etiam possit ac debeat. Item locum citaui, vbi alibi exposuisem substantiã & naturam quãdoque paulò latius

accipi, pro rei videlicet qualitate & proprietate, quæ, vice substantiæ vini & panis, perinde nutriat, videri, & tangi possit, ac vinum & panis. Aut exponas igitur, secundum hãc doctrinam, Theodoreti sententiam: aut eam communiori certioríque sententiæ aliorum patrum sine piaculo postponas licet. Eadem dico de Gelasio, cuius locum alibi tractaui pluribus. Gregorius de Valentia, in apolog. de sacrificio Missæ, pag. 111. 112. &c.

Augustinus, lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 27. dicit nihil esse loquacius vanitate, quæ non ideo potest quod veritas, quia si voluerit plus etiam clamare potest quàm veritas. Pro sua vanitate aduersus Dei veritatem loquaces Iesuuitas audiuisti, lector, quorum præstigias & sophismata si verbotim persequamur, nobis iustum volumen conscribendum esset. Paucis itaque istorũ dicta retexemus, quę in sequentes aphorismos includere libet: deinde breuem subiiciemus præcipuarum rerum expositionem, & orthodoxam antiquitatem à Iesuuitarum calumnijs vindicabimus. Hi sunt igitur, Canisij, Costeri, & Gregorij Valentiniani Canones aduersus Gratianum.

1. *Verbis arcanis & consecratorijs à Sacerdote legitimè ordinato prolatis tanta vis inest, vt fiat subita mutatio panis in corpus, vini in sanguinem Domini.*

Sacrificulos missaticos non legitimè ordinatos esse ex 4. capitis disputationibus liquet, nec ignorat lector quid de sacerdotum concubinariorum missis Canones statuant. Quæ sint illa verba arcana non declarat Canisius, nec de ijs cum Scholasticis magistris conuenire potest. Præterea Christi cõsecratio papisticæ cõsecrationi repugnat ex diametro. Accepit, benedixit, fregit, dedit discipulis suis palã, & dixit Hoc est corp⁹ meũ. Illi verò,

hunc ordinem inuertunt. Quo iure autem ipsi viderint. Porro concomitantiam suam destruere videtur Iesuuita. Etenim si vinum mutatur in sanguinem, quid est corpus illud quod ex pane fit? At prius discere debuit Canisius quis sit Sacramentorum finis, quàm temere de rebus incompertis disputationes & catechismos conscribere. Mirum est autem magistros istos Christianas Ecclesias & conscientias de sacrosancto Cœnæ mysterio os Domini reuerenter, consulentes, tanto cum fastu damnare, & in nostrum quomodo, quod vocant, furenter declamitare, quum illi ipsi de mutatione panis in carnem Christi temerè definiãt. Sed omnia ijs liceant, qui de Christo quicquid lubet sentiunt.

2. *Transsubstantiatio fit omnipotente Christi virtute, per verba operante.*

Aut sola Christi omnipotentia id fit, aut vi verborum. Vtrumque vero coniungens Canisius, vtrumque destruit: nec enim ista sunt subordinata. Verba sunt omnipotentis Christi verba, & ab ipsomet Canisio vocantur consecratoria, ab alijs sophistis operatoria. Quorsum igitur omnipotentia? nisi fortasse vnum sine altero Iesuuitis non satis validum videatur. Item, qua Christi potentia id fit, vt panis fiat caro? certè quia dixit, vt Canisius postea testatur. Sed de hac exceptione antea dictum est, & petitio principium sophista noster: negamus enim transubstantiationem papisticam: & prius de Christi voluntate tabulas exhibeat Iesuuita, quàm de omnipotentia imprudens garriat. Recurrit ad verba, Hoc est corpus. Circulatio hæc est Iesuuitica: & ad eundem lapidem impingit: iterum enim negamus Christum dixisse, Post verba aliquot efflata in panem conuertetur iste panis in corpus meum: aut, sub specie huius panis est corpus meum: aut, sub hoc pane, qui tantummodo post verba prolata speciem panis referet, latet corpus meum. Alias monstroti illius vocabuli Transubstãtiationis interpretationes Canisio & Scholasticis relinquimus. Nunc ad multiloquum Cost-

sterum accedo.

3. *Ecclesia Catholica semper & vbique transubstantiationis dogma recepit, propter verborum Christi perspicuitatem quæ omnem tropum excludunt.*

Petitio principij. Illud enim tanquam falsissimum pernego. Deinde fallacia est in nomine Ecclesiæ Catholicæ. Nouam enim Romanam fuisse ab Apostolorum temporibus, nunquam euincent Iesuuitæ. Semper, vbique, & ab omnibus papisticam transubstantiationem receptam fuisse, quibus testibus probare conentur, videbimus, quum ad Patrum dicta peruentum erit.

4. *Christus non figuratè, sed perspicuè & proprie locutus est.*

Figuratæ loquutiones proprietatem & perspicuitatem ex sermone Christi Prophetarum & Apostolorum minime auferunt, sicut ex infinitis Scripturæ testimonijs liquet, præcipuè vero in institutione & explicatione Sacramentorum sub lege & Euangelio. Item, in solenni illa promissione de reparatione generis humani per Christum, quæ est totius doctrinæ Christianæ fundamentum, Genes. 3. semen mulieris conteret caput serpentis, &c.

5. *Sicut impium est ponere figuram in illis verbis Hic est Filius meus dilectus: ita impium est figurã ponere in verbis illis, Hoc est corpus meũ. Similis enim est ratio.*

Immò prorsus differunt hæc duo enuntiata. Christus enim est θεάνθρωπος in vna persona quæ duabus naturis ita constat, vt quanuis minimè separatæ sint, tamen non confusæ, sed suis proprietatibus incommunicabilibus perpetuò distinctæ sunt: quemadmodum ex S. Scripturis orthodoxa antiquitas recte definiuit. Vnio igitur

illa est personalis, nec vna natura alteram repræsentat. Sacramentalis verò alia est. Panis autem non coniungitur Christo, vt ex his duobus aliquid assurgat: nec Christus panem sibi assumit, quæ non sine blasphemia cogitari aut scribi possint. Præterea, pater cœlestis non clamat, sub hac visibili specie hominis, sub hoc accidente quod caret substantia est filius meus, sed hic homo est filius meus. Fateantur ergo Iesuuitæ panem esse panem, & dicant, Hic panis est corpus Christi: tunc cum illis de proprietate istarum propositionum agemus. Nec enim nunc nobis est negotium cum Synusiastis. Retorqueo thesim in Costerum. Sicut duplex consideratur substantia seu natura in his verbis, Hic est filius meus: ita duplex consideranda est substantia in hac Sacramentali locutione, panis scilicet & corpus. alioqui oratio est dissimilis. Item, Quemadmodum panis mutatur in corpus Christi: ita natura humana mutata est in diuinam, vel diuina in humanam, si Costero fidem adhibemus. Iterum, Sicut ex panis substantia & corpore Christi post consecrationis papisticæ verba fit Christus totus sub specie visibili latens: ita post illa verba, Hic est filius, homo & Deus ille tertium quid euadit, quod neque simpliciter Deus neque homo est. Postremò, substantiam panis euanuisse aiunt vt corpori Christi substantiæ cæderet. In vnione autem hypostatica vtriusque naturæ, quænam illarum euanuit, vt alteri locum daret? Abstineo ab aliis eiusmodi absurdis detegendis, quæ Costerum infinitarum blasphemiarum reum esse demonstrant.

6. *Nulla antecedentia vel consequentia verba declarant figuratam esse locutionem, quemadmodum in parabolis & similitudinibus fieri consueuit. Ergo cùm ex abrupto Christus pane accepto dixerit, Hoc est corpus meum: sequitur nullum esse tropum in verbis Cœnæ.*

Immo

Immò verò & antecedentia & consequentia Institutionis verba figuratum esse Christi sermonem euincunt. Antecedentia, desiderio desideraui (loquens de signo) hoc pascha comedere vobiscum. Agnus non erat liberatio ex Ægypto, sed liberationis seu transitus signum. Item, accepit panem, benedixit, fregit, dedit, iussit discipulis accipere, comedere, & addidit, Hoc est corpus meum. Verba ista igitur non sunt ex abrupto prolata, & antecedentia iubent ista figuratè intelligi: alioqui dicat Iesuuita Christum accepisse & fregisse corpus suum, sanguinem suum effudisse: discipulos carnem Christi sensualiter manducasse, vt Nicolaus Papa Berengarium iubet confiteri. Deinde sequentia verba tum panis, tum calicis metonymiam ostendunt. Particula demonstratiua hoc, vel ad panem, vel ad corpus refertur. Si ad corpus, Christus dixerit, Hoc corpus est corpus meum, quod cum antecedentibus minimè conuenit. Si ad panem, quomodo sine tropo panem esse corpus Iesuuita confirmabit? In parabolis & similitudinibus (inquit) ista fiunt: non in Sacramentis. Immo in Sacramentis illa locutio est trita, vt antea ostendimus: & Augustini testimonio confirmamus, libr. 3. de doctrin. Christ. cap. 16. Si præceptiua locutio flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit Christus, carnem filij hominis & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. facinus vel flagitium videtur iubere. figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Hactenus Augustinus. Sæpissimè autem in Sacramentis præcedit figurata locutio, sequitur demum propria. Vt in Circuncisione, figurata loquutio est Circuncisio, est fœdus: sequitur demum propria, est

signum fœderis: figurata, sanguis agni seu agnus est pesah,id est,transitus: sequitur propria,sanguis ille erit vobis signum & monimentum transitus. Exod.12.vers.11.& 13. figurata, Panis est corpus Christi, sequitur propria, Hoc facite,hoc est (interprete Paulo)hunc panem edite in mei memoriam.Porrò,quærimus à Iesuitis,figuratũ locutionũ osoribus,quid de illis sentiendũ sit,qui articulos symboli deChristo in phãtasmata Marcionitica trãsformãt, dũ exponunt Christum visibiliter esse natũ,crucifixum, sepultum,resurrexisse, ascendisse in cœlum, & inde rediturum,sed inuisibiliter suo corpore sub speciebus latere infinitis locis, vbi affixus hæret & adoratur? Estne hoc seruare τὸ ῥητὸν in articulis fidei? Bone Deus, qui tropi, seu potius quàm portentosæ strophæ! Nos autem in articulis fidei τὸ ῥητὸν retinemus,& Sacramenta intelligimus Sacramentaliter, & de illis figuratè dicta exponimus per dicta de iisdem in Scriptura propriè. Quod Costerus in numero parabolarum & similitudinum illud Pauli 1.Cor.10.Petra erat Christus, reponit,insulsum & falsum est, teste Augustino, sicut etiam ex Apostoli contextu colligere licet.

7. *Quicquid perpetuo Ecclesiæ consensui & diuinæ omnipotentiæ repugnat explodendum est. figurata locutio in expositione verborum Cœnæ consensui Ecclesiæ & Dei omnipotẽtiæ repugnat. Ergo, &c.*

Minorem negamus,quam Costerus dictator minimè probat, sed perpetuò petit principium,ludit homonymiis, Ecclesiæ consensum putat esse papisticam tyrannidem,& Dei omnipotentiam ab eius voluntate diuellit.

8. *Leges,Testamenta,donationes,claris & perspicuis verbis,nõ figuratis concipi debent: alioquin fallerẽtur homines. Christus mandatum,testamentum,donum Ecclesiæ relinquens,apertè non figuratè loquutus est, & illusisset Ecclesiæ suæ si præter*

ter fruſtum panis, quo corpus eius significaretur, nihil reliquisset. Ergo panis transmutatur in corpus Christi.

Lex seu mandatum Christi in Cœna est, hoc facite. Interpretationem Pauli amplectimur, Quotiescunque ederitis(inquit)panem hunc,& poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis vsquequo venerit,&c. Nec tropum in hoc mandato consideramus: sed ipsimet Iesuitæ mirificum tropum in hoc mandato conlingunt. nam illis,Hoc facite,idem est ac,vos sacrificuli offerte in missa ipsum Christum Deo Patri pro peccatis viuorum & mortuorum. deinde tropum illum muniunt autoritate Virgilij, Quum faciam vitula pro frugibus, id est quum sacrificabo. Postea in figuratis locutionibus quod dicunt nullam esse perspicuitatem, testes sunt pleræque leges diuinæ & humanæ. Supra regulam Augustini cautumus, de tropo in mandatis Christi recipiendo, nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Alia mandata addamus quæ sunt Sacramentalia. Circuncidite præputium cordis vestri, Deuteronom. 10.16. Abluto corpore aqua pura teneamus confessionem,inquit Apostolus, Hebr. 10.23. In Christo circuncisi estis circuncisione quæ fit sine manibus, Coloss. 2.11. Baptizare,& ablue peccata tua. Act. 22.16. Si quis dicat, sanguis Christi mundat nos ab omni peccato:Baptismus abluit peccata: ergo aqua baptismi propriè est sanguis Christi, vel sanguis corporaliter est in specie aquæ, & corporaliter eo lauamur: huic respondebo, sanguis victimarum dicebatur sanguis fœderis, hoc est reconciliationis cum Deo: & tamen non ipse sanguis Christi, sed eius sacramentum & symbolum erat: ergo idem iudicandum est de baptismo: Item, sanguis Christi non est amplius extra corpus Christi, quod non est in cœlo. Non ergo sanguis neque sine reliquo corpore, neque cum eo inuisibiliter & corporaliter existit in aqua, in manu ministri, in corpore eius, qui baptizatur. Testamentum Christi perspicuis verbis est sancitum, sed non

euincit nec vnquam euincet Iesuuita, figuratas locutiones ita esse obscuras & intricatas vt mens testatoris inde elici nequeat. Falsa est maior Iesuitica, Quæcunque verba sunt seria & de rebus magnis, non sunt figurata. Quid enim? an Deus ludebat, & non æquè de Sacramento loquebatur atque Christus, cùm diceret, Hoc est fœdus meum, item, Hoc est transitus Iehouæ? Omissis autem variis responsionibus ad sophisma Iesuiticũ quod plures interrogationes cõtinet, quærimus an reprobos & infideles censeant esse Christi hæredes? vbi & quorum bonorum suorum Christus hæredes illos scripsit? Ex voce Testamenti sic igitur colligo. Bona sua, Testamento legata suis hæredibus, Christus non dat infidelibus qui hæredes ipsius non sunt. Corpus & sanguis Christi sunt bona quæ Testamento legauit suis hæredibus. Ergo corpus & sanguinem suum Christus non dat neque communicat infidelibus. Et tamen manducationem oralem constituunt, verbáque ipsa τῷ ῥητῷ interpretantur. Idem de donationibus dicendum: quæ sæpius & vt plurimum figuratis locutionibus confirmantur. Absint sane à legibus, testamentis & donationibus figuræ & tropi, sed alieni à natura legum testamẽtorum & donationum, à consuetudine recte & vsitatè loquentium, ambiguitatem & obscuritatem parientes: figuras enim vsitatas, notas, illustres, emphaticas, ad exprimendam rei (de qua agitur) naturam & vim accommodatas, præsertim oratione etiam propria expositas, à Testamentorum & fœderum formulis relegare, est Spiritum Dei, sermonis autorem, loqui docere velle. Talis autem figura est in formulis loquendi sacramentalibus, in quibus manifestum & notum semper fuit Ecclesiæ, signa non esse res significatas, & tamen harum nomina illis tribui, vt fideles confirmentur, tam certò sibi dari à Deo res inuisibiles ac cœlestes, quàm visibiles & terrenas se accipere sentiunt. De picta autem pecunia & imagine dono missa quod garrit Costerus, figmentum est Iesuiticum, nec enim à quoquam orthodoxo theologo & pastore nostrarum Ecclesiarum vnquam dictum aut scriptum est Cœnam Domini esse Christi absentis picturam. Credimus Dominum Christum esse in Cœna, nos vesci & pasci illius carne & sanguine ad vitam æternam. Sed fides de Spiritus S. efficacia est pictura & ludicrum quid bono illi Costero, nec immeritò sanè, quippe qui mysteria nulla recipiat nisi carnalia & capernaitica, id est non mysteria, neque Sacramenta, sed idola & meras chimæras. Nec dicimus frustum panis à Christo relictum fuisse Ecclesiæ suæ: iterum surdis istis occinimus, Christum nobis veram carnem suam viuificam nobis dare in cibum vitæ æternæ, quem non ore corporis sed fidei percipimus, iuxta illud, vt quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti.

9. *Eucharistiæ sacramentum est manna præstantius. At manna est panis, Angelorum manibus paratus, de cœlo descendens, & in se habens omnem saporis suauitatem. Ergo non solus panis est in Eucharistia, qui corpus Christi significet, sed etiam ipsum Christi corpus.*

De discrimine & conuenientia sacramentorum veteris & noui testamenti disputationem retexere minimè necesse est. Si materiam Cœnæ & Sacramenti, cuius manna fidelibus signum fuit, spectes, vna & eadem est, teste Paulo, 1. Corinth. 10. Ineptias autem Costeri qui manna angelorum manibus paratum fuisse dicit lubens omitto: quid etiam sit panis angelorum theologaster ille nondum didicit, &, imperitè admodum, vt sophistis solenne est, res visibiles & cœlestes confundit. Sed nos insigni iniuria afficit, dum signa vacua in Eucharistiæ sacramento nos statuere somniat.

10. *Qui indignè sumit Eucharistiæ sacramentum, reus sit corporis & sanguinis Domini. Non potest autem fieri reus corporis qui solam eius figuram edit. Ergo Christi corpus editur cum specie panis.*

Impij & indignè sumentes panem & vinum Eucharisticum, ideò rei fiunt corporis, quia Christum oblatum respuerunt. Christus repudiatus damnat, receptus vivificat, Iohann. 6. Sed fallit monachus multipliciter. Paulus meminit panis & vini post consecrationem, quod Transsubstantiationi papisticæ ex diametro repugnat. Iesuita vult impios sumere Eucharistiæ Sacramentum. quid? fortasse accidentia. An verum & reale Christi corpus? Aliter sentit Christus, Paulus, orthodoxa antiquitas. Vt paucis agam, panem Domini possunt reprobi sumere, minimè verò panem Dominum. Non credunt: igitur non manducant. Quid sit autem reus fieri, explicat Iesuiticè Costerus: somniauit enim non posse reprobos reos fieri nisi ipsum Christi corpus vorent. Reus autem fit qui Christi meritum & virtutem aspernatur, qui non diiudicat corpus Domini. Cibum illum vitæ æternæ ventris esse cibum nunquam demonstrabit: iuxta illud, Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.

11. *Impossibile est Ecclesiam per* 1500. *annos in errore vixisse. Ecclesia autem à Christo passo, ipsius corpus in Eucharistia contineri credidit, alioqui à Christo indignis modis excepta & malè edocta esset.*

Ecclesiam Dei negamus Transubstantiationem papisticam agnouisse aut recepisse, imò omni ἀρτολατρείᾳ explosa aliis spiritualibus ad corpus Christi euolauit, cor sursum habuit ad Dominum, manum fidei cœlo admouit, vt vbi Christi corpus euectum apprehenderet. Papisticam Ecclesiam, id est Catholicæ Ecclesiæ pestem, dogma illud amplexam esse dicimus, quod fidei articulos conuellit, naturam Sacramentorum oppugnat, Christi naturas confundit, impios electis coniungit, Christum porcis & canibus lacerandum offert. Nec Christus Ecclesiæ suæ illusit, sed filij illius perditionis sectatores

tores tradidit in reprobam mentem, vt crederent mendacio.

12. *Veteres omnes totis octingentis annis post Christum Transsubstantiationem panis & vini in corpus & Sanguinem Christi variis modis approbarunt.*

Mutationem Sacramentalem agnoscunt veteres omnes quorum sententias hîc non expendimus: peculiarem enim tractationem ista desiderant, quæ etiã ab eruditiss. P. Martyre in defensione de Eucharistia perspicuè & ad vnguem explicata sunt. Idem respõdemus testimonijs à Gregorio Valẽtiano citatis, quæ si opus erit, altera parte huius operis, Deo iuuante, considerabimus. Quod Bertramum & Berengarium autores orthodoxæ sententiæ de Cœna Domini adu. Transsubstantiationem Costerus fuisse dicit pernegamus: ex Augustini enim & aliorum veterum doctrina hauserunt quod in lucem ab illis editum & Pontificem Romanorum tyrannide postea extinctum est. Quid autem dixerit Berengarius ante supremum vitæ diem, nihil nostra refert, quamuis non desint multa testimonia quæ Costerianis opponere possemus, & meritò quidem: at veluti infirmitas humana diuinæ veritati præiudiciũ ferre, ita pertinacia infinitorum stultorum tenebras in lucem mutare non potest. Miracula autem illa quæ decima tertia sectione Costerus attulit, non excutimus, tum quod ista partim nihil ad nos, partim aut conficta sint, aut mysterium iniquitatis iusto Dei iudicio confirment. Tandem vt tyrones theologiæ aduersus speciosas illas larvas ex veterum testimonijs à Costero & Valentiano mutuatas, vt mendacij turpitudinem obducerent, cautiores reddamus, regulas à P. Martyre iam olim editas, & ex eiusdem tractatione de Eucharistia excerptas hîc adscribere libet.

1. Quando veteres de Eucharistia grandius loquuntur, & vehementius agunt, primum est

consíderandum Scripturam sanctam alternatione quadam, quod symbolorum est, consueuisse rebus attribuere, & quæ vicissim rerum, adscribere signis. Qua eadem ratione vtuntur, vt sæpe illos videas de rebus agere, atque si de symbolis loquerentur: ac è diuerso ita de Symbolis scribere, quasi res & significata pertractent.

2. Si diligenter inspexeris quæ supra & infra dicuntur, semper videbis patres attestari hanc alimoniam spiritualem esse, non autem gulæ, ventris, aut dentis.

3. Si quandoque dicant nos cum Christo carnaliter communicare, ita vt etiam corpus alatur Eucharistia, ista sic accipienda sunt vt intelligamus filium Dei, quando cõceptus fuit ex virgine, & naturam humanam assumpsit, tum nobiscum carnaliter cõmunicasse. Deinde nos in eo manemus, viciſsímque ille in nobis manet, quando nos verbis eius credimus, & cum fide Sacramenta percipimus, quia sic communicando additur nobis spiritus, & caro nostra & nostrum corpus, quę naturæ iam erant eiusdem cum Christo, reddunatur earumdem conditionum cum eo, capacia fiũt immortalitatis & resurrectionis: cúmque obsequantur & inseruiant Spiritui, verè aluntur ad vitam æternrm. Et ita corpus nostrum in Eucharistia bifariam pascitur, primùm symbolis, deinde hac instauratione ad vitam æternam: atque ita Christus dicitur per hoc Sacramentũ in nobis manere. De prima communicatione quam habemus cum illo per natiuitatem & incarnationem, testimonium habes ex epist. ad Hebr. cap. 2.

4. Consideres deinde verbum consecrandi non aliud significare apud patres quàm rem communem

munem & prophanã sacro vsui dedicare, hoc est sanctum reddere. Non itaque est vt, cùm in patribus occurrit vox consecrationis, illico nobis fingamus Transubstantiationem. Quod autem aliqua mutatio ibi sit, non inficiamur, nimirum qua res illæ iam Sacramenta fiant, ad significandum nobis efficaciter, offerendum & exhibendum per vim Spiritus sancti, quo ad animum & fidem, corpus & sanguinem Domini.

5. Sciendum præterea inter nos & Capernaitas quo ad res ipsas non esse discrimen. Illi putarunt se verũ corpus & veram carnẽ Christi manducaturos: quod & nos fieri concedimus. Cæterum discrimen est in modo & ratione manducationis. Quod illi carnaliter faciendum putarunt, nos fieri spiritualiter docemus: alioquin verũ corpus & verus sanguis exhibetur, quia fides non complectitur ficta sed vera.

6. Item, cùm legitur in Patribus, corpus Christi contineri aut haberi his mysteriis, per ista nihil aliud accipiendum est, quam denotari, ostendi, demonstrari atque significari.

7. Cúmque audis Patres dicentes, Hìc panẽ aut vinum amplius non esse, hoc debes intelligere non simpliciter, sed quoad teipsum, quãdo piè communicas: quia illic tibi non est cogitandũ vel de pane, vel de vino: mens tua & sensus oportet sólùm inhęreat rebus quę tibi repręsentãtur. Ideo dicitur, Surſũ corda. & ab istis animũ subuehas ad inuisibilia quæ tibi offeruntur. scripturę etiã sacræ nõ abhorrẽt ab hoc tropi genere. Paul" inquit, Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, qui tamẽ non negasset corpus & carnẽ aggraua re animã, & reficienda esse. cũ alibi scribat, Caro

concupiscit aduersus Spiritum. Neque etiam ignorauit multos esse malos homines, qui caro & sanguis dicuntur, à quibus tamen infestamur & cum illis est nobis quotidiana lucta. Sed intelligebat Paulus de illa summa & præcipua contentione, vnde istæ aliæ ortum habent. Dixit etiam in Christo non esse marem, neque fœminam, neque seruum, neque liberum, cùm tamen ista officia, & istæ personæ à Christo & Ecclesia non remouean tur, imò de illis præcepta seorsim descripta sint. Sed intelligebat Paulus ista non esse in Christo quo ad regenerationem, remissionem peccatorũ & vitam æternam consequendam, quæ summa sunt in Christianismo: & in illis distribuendis Christus non respicit hos status & istas conditiones. Scribit idem Apostolus regnum Dei non esse in sermone: nec tamen voluit propterea ab Ecclesia, quæ regnum Dei est, remoueri concio nes, admonitiones, & lectiones, quæ verbo fiunt: sed tantùm respiciebat illam summam vim & efficaciam Spiritus, qua omnia in Ecclesia regi debent. Ita loquuntur Patres cùm negant symbolorum naturam manere, quod non est, vt diximus, simpliciter accipiendum, sed quoad nostram fidẽ & cogitationem, quas non oportet illis inærere.

8. Adijcias istis, fidem tantæ esse efficaciæ, vt res præsentes faciat, non quidem realiter aut substantialiter, (id est in terris, sub pane & vino, aut eorum accidentibus) sed spiritualiter. Nam illas verè complectitur. Atque ita dicebat Apostolus, Christum ob oculos Galatarum fuisse crucifixum. Sic & Abraham dictus est vidisse diem Domini. Atque hoc pacto veteres eundem Christum habuerunt

buerunt in Sacramentis, quo & nos fruimur. Et ita vides ad hanc præsentiam non requiri res, quo ad naturalem constitutionem, mutare locum, aut nobis adesse cum omnibus suis materialibus & physicis conditionibus.

9. Est etiam obseruãdum, per alternationem & communicationem proprietatum, quia natura diuina Christi nobis verissimè adest, hoc ipsum communicari posse humanitati. Vt Christus cum loqueretur in terra dicebat filium hominis esse in cœlis, & sic humanitati attribuebat quod fuit diuinitatis. Et hoc pacto in communione naturam humanam Christi nobis adesse concederem, id si per communicationem idiomatum exponerem.

10. Postremò, si quæras cur patres his tropis aut hyperbolis vsi sunt, dicemus: partim vt phrasin Scripturæ sequerẽtur, partim vt animos hominum vehementius percellerent. Deinde vt ostenderent istam significationem Sacramẽtorum non comicam aut tragicam esse. Nam in illis personatus quispiam potest Hectorem aut Priamum repræsentare, nec præterea quippiam consequetur, quod magni momenti sit. Hic verò res repræsentata vi Spiritus Sancti & datur & imprimitur in mis nostris per fidem, sequuntúrque multa dona & gratiæ, ac potissimum arcana & ineffabilis vnio cum Christo, vt verè vnum cum illo efficiamur. Hactenus Martyr.

Costeri autem & Valentiani testimonia ex Patribus allata à regulis supra positis explicantur, & eò recidunt.

1. *Resurgemus: quia corpora nostra in his terris carne Christi nutrita sunt in spem vitæ æternæ.*

Respondeo, non inde consequi corpus Christi esse sub specie panis: nec communionem nostram cum illo esse carnalem & carnali modo fieri. Sed Christus totus fide apprehensus & nobis per immensam sui Spiritus efficaciam vnitus, non modò animæ nostræ, sed nobis totis, tum corpore, tum anima constantibus, vim illâ vitæ æternæ magis ac magis influere, & communicare credimus.

2. *In Eucharistia manducamus non spiritualem, sed veram Christi filij Dei carnem.*

Respondeo: carnem Christi non vocamus spiritualem, si spiritus carni opponatur, vt ait Christus, Spiritus carnem & ossa non habet (sed veram ipsam carnem pro nobis natam cruci affixam, & in cœlos euectam credimus nos manducare & bibere. At modum istum credimus esse spiritualem: non carnalem, terrenum, Capernaiticum, oralem. Duo autem appellatione modi istius spiritualis intelligunt ortodoxi Theologi. Nempe spiritus sancti arcanam operationem, qua fit, vere mirabili modo, vt Christi carnis interuentio nobis mystice communicatæ, totius meriti Christi virtus in remissionem peccatorum, sanctificationem, inchoationem & verum beatitudinis illius æternæ in cœlis tandem anima & corpore consequendæ sensum, ad nostras vsque animas penetret. Deinde, instrumentum quo hæc per Spiritū sanctum nobis exhibita apprehendimus, applicamus nobis & retinemus. Hæc enim omnia quæ ex Dei gratia per meritum Iesu Christi parata nobis bona Spiritus sanctus nobis confert, fide tāquā manu & ore animę percipimus & haurimus. Testimonijs Scripturæ id probatur, videlicet Colos. 2. Eph. 3. Ioann. 6. 1. Cor. 10. Gal. 2. 1. Cor. 12. & alijs vbi de Baptismo, de Cœna Domini, & de vnione nostra cū Christo agitur, quæ facinus & horrendum flagitium iubere videntur, si Transsubstantiationem pontificiam recipias. De nostra autem in Christum transmutatione, & vnione Christi cum fidelibus, apud Iesuitas altum & perpetuum silentium.

3. *Christus non solo fauore aut sola voluntate nobis*

te nobis adest, sed etiam nobis miscetur sacra Eucharistia, & sumus vnum cum illo, vt pater est in filio, & filius in patre.

Resp. Christus totus nobis est præsens, sed non totum Christi, vt docte explicatū est ab orthodoxis Theologis. vnitur seu miscetur Christus nobis, sed hæc vnitio non est carnalis, nec fit carnali modo aut instrumento: alioquin infinita impia & blasphema consequentur.

4. *Veram cum Christi naturali corpore agnoscunt in nobis vnionem veteres Patres.*

Resp. Et nos agnoscimus: illam autem dicimus non esse corporum nostrorum cum Christi corpore, aut eius in nostris ingressum, influxum, & simile quid, nec ipsius corporis Christi massam in animas etiam nostras penetrare: sed idem in anima nostra efficere Christi carnem viuificam, quod panis & vinum in corpore nostro. Si qui verò ex Patribus corporaliter nos iungi Christo dixerunt, id respectu signi quod nomen rei signatæ commutationis sacramentalis ratione dictum est: nec hyperbolas istas reiicimus, modò ad fidei analogiam, sacramentorum naturam, articulorum fidei corporisque Christi veritatem reducantur.

5. *Christus carnem suam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Si de carne reali intelligas, refero ista ad communicationem idiomatum: sed interpretor de carne seu corpore sacramentali, vel de ipsa Christi carne quam nostræ fidei perpetuò præsentem in mysteriis esse velit. Chrysostomus, ex quo hunc Aphorismum colligunt Iesuitæ, ead. homilia, paulò ante scripserat, Erat posthac duplex Helias ille: & erat sursum Helias, & deorsum Helias. non dicent Heliam sursum & deorsum fuisse, quo ad substantiam: sed corpore præsentiāque reali sursum fuit, deorsum verò spiritu atque virtute, quæ pallio seu melote ipsius, aptissimo symbolo, demonstrabuntur: vt pane ac vino carnis atque sanguinis Christi vis potestásque ostenditur.

6. *Christus, teste Augustino & Prospero, gestauit semetipsum in manibus suis in vltima Cena. At facile est sui imaginem gestare: nec ista veteres proponerent, si de corpore figurato ageretur. Ergo reale corpus Christi est sub specie panis.*

Resp. Maiorem explicat Augustinus ipse, qui homil. 2. in Psalm. 33. dicit Christum gestasse semetipsum quodammodo in manibus suis. Modum autem istum esse sacramentalem constat ex infinitis eiusdem Augustini locis, quorum supra meminimus. Prosperum ex Augustino interpretandum esse alicuius iudicij homines vltro fatebuntur. Si vero corpus reale à Christo gestabatur, duplex fuit igitur Christi corpus, vnde innumerę blasphemiæ necessariò fluunt. Deinde institutionis verba hanc interpretationem repudiant: nec conuenit allegoricti Augustini dictum, & de cuius explanatione meritò quis contendere possit, ad confirmationem articulorum fidei in medium proferre. At non tam absurdè loquutus est præstantiss. ille Theologus.

7. *Ante consecrationem panis est, post consecrationem fit ore & manibus sacerdotum corpus Christi.*

Resp. Ante consecrationem panis est communis, post consecrationem, id est declarationem institutionis Christi à ministris Ecclesiæ voce factam, panis ille quem manibus suis tractant & distribuunt adstantibus est Sacramentale corpus Christi. Recipimus autem hîc Sacramentales loquutiones veterum, qui panem Eucharisticum ac communem differre aiunt velut cœlum & terra: qui fideles asserunt ipsam Christi carnem in fauces ingerere, & eius sanguinem potare, alis spiritualibus nos circumuolare & cuelui vsque in cœlum: mensam Domini non esse graculorum sed aquilarum, & alias huiusmodi: quoniam in Sacramentis rei signatæ nomen sæpissimè signo tribuitur, vt antea dictum est. Nihil autem ista ad consecrationem aut Transubstantiationem papisticam. Aliis locis veteres dicunt, nos ipsam Christi carnem & ipsum

ipsum sanguinem accipere in Cœna Domini: quod credimus & confitemur. Nusquam autem in eorum scriptis leget Iesuuita, quantumuis oculatus, sub specie panis latere Christi corpus & sanguinem, vt ab impiis & infidelibus etiam comedatur. Quod etiam imprudens fassus est Valentianus ille, pag. 113. postquam enim in omnes partes sese conuertit, vt commentum de Transubstantiatione panis in corpus stabiliret, tandem addit, Quanquam verum est quidem, sic subsstantiarum hîc conuersionem, vt Cyrillus Alexandrinus loquitur, fieri, vt hoc non naturaliter, sed sacramentaliter, hoc est admirabiliter diuinéque fiat. Conuersio igitur verè Sacramentalis est, & tamen admirabilis, planéque diuina. Vnde fit enim vt panis communis fiat nobis Sacramentum corporis Christi? De consecratione autem, quibus verbis, quando & quomodo fiat, tum quæ sit eius definitio prius decet Iesuuitas à scholasticis doctoribus discere, si possunt, deinde nobiscum perspicuè & placidè agant. Qui sint autem sacrificuli missatici, antea dictum est: nec de puritate oris & manuum istius colluuiei declamare apud lectores fert meus animus.

8. *Vnius vel alterius sententia quæ consensui Patrum aduersatur abijcienda est. Theodoretus negauit Transubstantiationem Papisticam, contra mentem aliorum Patrum. Ergo est eius sententia explodenda.*

Resp. ad maiorem. Primùm veteres in hoc consensisse vt pontificiam μετουσίαν amplecterentur, pernego. Deinde, si quis iure & iuxta verbi Dei præscriptum multis aliis contradicit, eius sententiam amplectendam, aliorum repudiandam esse dico. Nec enim multitudo, aut consuetudo, aut temporis longinquitas veritati præiudicium facere potest. Ad normam verbi Dei referendæ sunt igitur Theodoreti & aliorum sententiæ. Quo ad minorem, Theodoretum negamus hac in re contra mentem orthodoxæ antiquitatis aliquid protulisse. Idem dicimus de Gelasio. Stat igitur firmum Theodoreti axio-

ma, qui expressis verbis asserit, quæ iterum lectori suggerimus ex priori dialogo : Qui naturale corpus suum frumentum & panem vocauit, atque se ipsum vitem nominauit, idem ipse etiam ea quæ videntur symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adijciens gratiam naturæ. Fallit deinde Iesuita, qui vnicum Theodoretum nobis reliquit : nam ex P. Martyris & aliorum Theologorum scriptis potuit discere, quæ sit veterum patrum aduersus Trausubstantiationis commentum sententia.

Et de his quidem hactenus. Alia verò capita de Eucharistiæ Sacramento, veluti de præsentia, manducatione, communione piorum tum laicorum tum clericorum sub vtraque specie, sacrificio & missa, ex Gratiano disserere constitueram : quum verò id persequi temporis iniuriâ non mihi sit concessum, in alteram Gratiani Anti-Iesuitæ partem, quantum Deus dederit, reijcere visum est.

FINIS.



Errata typographica quæ primo intuitu in lectione responsionis Serram occurrerunt, sic corrigito. Prior numerus paginam, posterior lineam denotat.

Pag. 3. lin. 15. esse, lege esset. p. 6. l. 1. dicant, l. dicam. ibid. lin. 28. κυμινοπαρίστε, l. κυμινοπρίστε. ibid. l. 20. circumsapiri, l. circunsepiri. pag. 8. l. 34. es, l. eas. p. 9 l. 11. exceptionem, l. excerptionem. ibid. l. 12. negationes, l. nugationes. ibid. l. 23. l. αὐτὸ φαίνεσθαι συμβαίνειν. ibid. l. ἀλλὰ δὲ τὰ τῶν ὄσπ. p. 13. l. 34. ἀντιπολεγῶ, l. ἀντιπελαργεῖ. p. 14. l. 5. pupis, l. puppis. p. 230. l. 31 Num. l. Num ibid. l. 1. ἑρμήνεια, l. ἑρμηνεία. p. 24. l. 31. Mansolea, l. Mausolea. p. 35. l. 23. apprehendt, l. apprehendunt. p. 43. l. 25. pro ὑστεροπροτεραῖς ὑστεροπροτεραῖς. p. 69 l. 29. fide innitit, l. innititur. p. 84. l. 20. Sadeolis, l. ex Sadeelis. p. 39. l. 28. κατάτι, l. κατά τι. p. 99. l. 11. cacoethos l. cacoēthes. ibid. lin. ead. quilibet, l. quid libet. p. 126. l. 22. peritatem, l. veritatē. p. 131 l. 16. lymphaticus. p. 137. l. 36. tribuit, l. tribuitur. p. 138. l. 16. Oftrepere, l obstrepere. pag. 139 l. 1. ipro, l. pro. p. 152. l. 18. seruiant, l. seruiunt. p. 164. l. 13. bellicatione, l. vellicatione. p. 165 l. 23. succesſionarium ius. p. 166 l. 1. Causæ, l. causæ. p. 169. l. 34. Nam iussi, l Non iussi. p. 173. l. 18. tam, at, depone at. p. 187. l. 3. probrum quàm, deest potius. p. 190. l. 24. proteum, l. Proteum p. 194. l. 22. Deus, deest tuus. p. 191 l. 4. collimat, l collimant. p. 197. l 20. τοκατὰπόδας, l. τὰκατὰ πόδας. pag. 201. lin. 9 offundis, l. effundis. p. 207. l. 35. explicet. l. explicet. p. 208. l 9. nobis, l vobis. p. 237 l. 8. lapsis, l. lapis. p. 241. l. 13. Imo, l Imò. p. 245. l. 31. Atqui, l. Atque p. 246. l. ỳ doctrinam, l. doctrinarum. p. 249. l. 34. quid, l. qui. p. 290. l. 31. qua, l quas. p. 295. l. 11. Scriptura, l. Scripturæ. p. 297. l. 13. ptuta, l. scriptura. ibid. l 14. scritum, l. explicatum. p. 314. l. 16. eandem, l. eundem. p. 316 afficere, l. efficere. p. 320. l 28. perisimata, l. porisimata. p 321 l. 30. toto, l. totos. p. 324. l. 19. l. ante vocem. p. 330 l. 2. à dicto simpliciter, l. ad dictum simpliciter. p. 333. l. 19. Originem, l. Origenem. p. 336. l. 2. obsignant, l obsignentur. p. 348. l. 8. leg & ibid. l 11 l. breuitate. ibid l. 16 l. εὐκαλῶς. ibid. l. 18 l. vnigenito. ibid. l. 25 l. cernimus. p. 350. l. 4. leg. medio, ibid l. 3. inuitates, l. inuitans. ibid l 27. exposse. l. expostulet. ibid. l. 25. l. Ecclesia, &, p. 355. l 19. iudicio, l indicio. p. 356. l. 17. l. ἀθυροστομίαν. p. 366. l. 16. elementarijs, l. elemētaris. p. 367. l. 13. Esaita, l. Iesuita. p. 374 l. 11. de scripta, l. descripta. ibid l. 23 Σαττολογῶ, l. Σαττολογῶν. ibid. l. 28. veritati, l. veritatis. p. 379. l. 35. l. auspicio non. p. 390 l. 24. in margine, 1. Tim. repone, 3. cap vers. 15. p 391. l. 33 liberaliter, l. literaliter. p 393. l. 10, vllæ ue, l. vlliue. p. 397. l. 1 eam, l. eum. p. 399 l. 28. damnando, l damnato.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Errata in Gratiano Anti-Iesuita, sic emendabit candidus Lector.

Pag. 401. lin. 18. Cuius, lege, quo. p. 402. l. 12. perseuerétiam, l. perseuerantiam. pag. 407. l. 22. Alirer, l. aliter. pag. ead. l. 29. Colooenses, pro Colonienses. p. 415. l. 29. varantur, l. vagantur. pag. 416. l. 7. Canonam, l. canonem. p. 433. l. 12. cassabitur, l. cessabitur. p. 438. l. 14. ἀνυπόδυτος, l. ἀνυπόδυτοι. p. 444. l. 19. Conscienta, l. conscientia. ibid. l. 24. preiudicium, l. præiudicium. p. 451. l. 16. ɔnstituisse, l. constituisse. p. 480. l. 10. fidam, l. fidem p. 491. l. 18. ἐορτατικοῖς, l. ἑορτατικοῖς p. 532. l. 16. latebro, leg. blatero pag. 520. l. 18. Ordinaiores, l. ordinatores. p. 533. l. 23. ἀτακτικς, l. ἀτάκτως. p. 541. l. 33. fragmenti, l. fragmentis. p. 542. l. 36. primatum, l. primatus. p. 543. l. 1. instucti, l. instructi. p. 570. l. 30. relquis, l. reliquis. p. 564. l. 3. vaua, l. vana. p. 577. l. 5. Dacoduum, l. Diaconus. p. 577. l. 12. Lynchæi, l. Lyncei. p. 583. l. 6. graduum, l. graduum. p. 596. l. 33. posta, l. postea. p. 603. l. 3. tst, l. est. p. 608. l. 28. πληροφορίαι, l. πληροφορίαν. p. 612. l. 30. Spiritus, l. Spiritu. pa. 613. l. 2. iusticutum'. l. institutum. item, l. 17. verſ. dele, p. 614. l. 9. fuir, l. fuit. p. 615. l. 36. ɪypus, l. typus. p. 620. l. 3. fit, l. sit. p. 621. l. 11. χειραγώγια, l. χειραγωγία. item l. 13. retum, l. rerum. item ſacramenrale, l. ſacramentale. item μιμισέωων, l. μιμισέωων. pag. 624. lin. 2. deſinitionem, l. definitionem p. 626. l. 30. aquile, l. aquilæ. p. 628. l. 10. tranſubſtanriatio, l. tranſubſtantiatio. item lin. 18. ineffabilis, l. ineffabilis. item lin. 28. mutilatum, l. mutilatum. item l. 26. fuo, l. ſuo. p. 631. l. 14. accepite, l. accipite. pag. 634. l. 1. ɤuditus, l. auditus. p. 652. lin. 26. ɤternum, l. æternam.

DEFENSIONIS
VERAE, ORTHODOXAE, VETERISQVE IN ECCLESIA SENTENTIÆ, DE SACRAMENTO CORPORIS & sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, veráque eius in Cœna ſua præſentia, contra nouum & commentitium Tranſubſtantiationis dogma, aliósque errores ex illo natos:

LIBRI TRES.

Ad PETRVM SCARGAM Ieſuitam Vilnenſem, vaniſſimi huius commenti propugnatorem.

AVTORE ANDREA VOLANO.

Reſpondetur hîc quoque obiter Franciſco Turriano, ex eadem factione Monacho: qui duobus libris, altero Florentiæ, altero Romæ publicatis, Scargam ſibi ſuſcepit, contra Volanum, defendendum.

M. D. LXXXVI.

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Stephano, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Liuoniæque, Principi Transyluaniæ, &c. Domino clementissimo.

SI aurea meritò dicta fuerunt illa secula, Rex serenissime, quibus ad Regiæ dignitatis fastigium sola excellentis virtutis opinio homines euehebat, hoc nunc profectò tempus est, & hæc dies Sarmatis illuxit, quando te ad moderandum Reipublicæ suæ clauum fato diuinæ prouidentiæ electum conspiciunt. Nulla enim omnino virtutis est pars, siue tractandæ Reipublicæ scientiam spectes, siue administrandæ cuiuis iustitiæ rationem contempleris, siue inuictum animi in omni fortuna robur, & in reprimendo quouis luxu moderationem expendas, cuius non solidam & expressam effigiem in te animaduertamus. Itaque in magnam spem venimus omnes, aut te moderatore tanto, Rempublicam ex omni suo naufragio emersuram, aut si sæui tempestatum fluctus conatum tuum retardauerint, perpetuo fluitantem, & omnibus dissentionum ac seditionum procellis expositam, nunquam ad portum suum peruenturam. Sed magna iam tranquillitatis futuræ nobis indicia apparent, cum pestiferi quidam pacis pu-

blicæ turbines, impunè hactenus volitantes, & fœ-
ritate legum coercentur, & furiosum illud Legum
iniquarum pelagus, sta prudentia tua restringatur,
vt non perinde in multorum perniciem se effundat,
nec obuia quauis violento impetu arripiat. Vtinam
modo diu saluum & incolumen te nobis conseruet
Dominus, non dubitarem ego, quæ tua est pruden-
tia, in depellendis omnibus à Reipublicæ corpore
lethalibus morbis, istam te adhibiturum artem, vt
malo valetudinis aduersæ inueterato, leniter tra-
ctato, sensimq; remoto, aliquando conualescere &
tanquam ad aspiciẽdam lucem reuocari possit. Sed
quia quicunque Rempublicam infestant morbi, nõ-
nisi ex corrupta & peruersa religione plerunque
promanant, vtpote sicut prauis humoribus corpus
infectum afflictatur, sic pestiferis opinionibus mens
imbuta, indomitas atque effrænatas cupiditates ge
nerat, nullum munus est, quod æque dignitati, offi-
cióque Regio conueniat, quàm veram & sanctam
vnici & æterni Dei religionem in Republica con-
stituere, ad eámque amplificandam omni cura ac
cogitatione incumbere. Hæc enim sola est, qua me-
tum & reuerentiam nominis diuini mentibus homi
num imprimit, quæ exæstuantes animi cupiditates
refrænat ac coercet, quæ mutuo charitatis nexu
omnes colligat, quæ debitũ magistratui obsequium
præstare docet, quæ pro gloria Dei & salute Rei-
publicæ nullum periculum reformidare facit. Po-
stremò hic totius societatis humanæ finis est, hic pa-
cis & tranquillitatis publicæ fructus, vt omnes pu-
ra fide & pietate Deum colentes, æternam illam &
cœlestem hic interris meditentur vitam, quã dein-

de in omne æuum fœlices in cœlo transigant. Si
quando autem Principes & præclaros orbis Chri-
stiani Monarchas, omnes decebat intendere nerues,
vt verum & legitimum vnius æterni Dei procura-
rent cultum, hæc potissimum corrupta & deprauata
mundi ad occasum suum vergentis requirit ætas,
vt inter reliquas Reipublicæ curas, omnes suas co-
gitationes in cognoscendam veram religionem ma- 2. Thessal.
ximè conferant. Nam quia sacra prædixerunt o- 2.3.4.
racula chronum quendam in ipso Ecclesiæ sinu eri-
gendum, quem qui occupaturus esset gloria Christi
inimicus, omnia quæ Dei sunt ad se transferre, sibi-
que vsurpare deberet, non leuẽ profectò nec segnem
decebat Principes impendere operam, vt ne scele-
ratus hic Antichristus eorum oculos falleret, &
regnum suum longè lateq; proferens, quo minus ta-
men ab eis agnosci possit, aliquo fuco vel larua, illis
imponeret. Hæc verò potissimum res ac rem quen-
dam Regibus & Principibus admouere debebat
stimulum, vt quia Spiritus prædixit sanctus, illos
nequitiæ & scortationis meretricis huius magnæ fo
re socios, diligenter dispicerent, ne incauti & im- Apoc. 18.
prudentes tanto se scelere obstringerent. Quod si 3.
tam rerum suarum negligentes essent, vt ad cogni-
tionem tantæ rei nihil operæ curæq; ponerent, an
saltem tam illustres minimèque contemnendi, &
nostri antiqui temporis testes, eos excitare, mentés-
que eorum percellere maximè debebant, qui vno
omnes ore Pontificem Romanum accusant, eúmque
illum esse filium perditionis, quem prædixit Apo-
stolus, confidenter clamitant. Quanta hæc per im-
mortalem Deum oscitantia, quantáque negligẽtia,

est, vt re aliqua non magni pretij inter disceptantes in controuersiam adducta, subitò ad arbitros aut iudices curratur, in negotio autem salutis omnium grauissimo, nullum locum inquisitioni, aut legitimæ cognitioni dari? Iniquissimum autem est, & procul ab omni iustitia alienum, causa minimè disceptata, nullóque legitimo iudicio cognita, alteram partem absoluere, alteram autem condemnare, quando eum etiam, qui æquum statuit, parte inaudita altera, non æquum tamen esse sapientes perhibent. At verò tantum abest, vt in tam atroci, quod Romano Pontifici obiicitur, crimine, plerique & præcipui Christiani Principes se arbitros & disceptatores præberent, vt arbitrio etiam Pontificis, pro iudicibus se carnifices in accusatores exhibuerint, & tanquam de seditiosis ac sceleratis ciuibus grauissima hactenus supplicia sumpserint. Nobis tamen singulari Dei prouidentia tam prudentes hactenus Principes contigerunt, vt multoties à Pontificibus Romanis solicitati, & variis artibus ad similem carnificinam illecti, ab omni crudelitate abstinuerint, libertatémque cõscientiarum saluam omnibus esse suis voluerint. Bono quidem hæc omnia & salutari consilio, sed quia vlterius progressi non sunt, vt veram religionem ab omnibus falsis & adulterinis discernerent, háncque solam & vnicã constituerent, iustã reprehensionis & neglecti officij culpã minimè euitauerunt. Libertate enim omnibus ista permissa, vtquam quisq; velit, religionẽ sequatur, futurũ ego auguror, vt nouis subinde doctrinis & erroribus pullulantibus, tot sint in regnis hisce futuræ sectæ, totq; religiones, quot numerantur vrbes.

bes. Diabolicam autem hanc libertatem, vir quidã magni nominis, verè prædicat, in quaperire licet cuique, si vult. Huic autem tanto Reipublicæ vniuersæ incommodo, tantóque animarum dispendio, vt debitis remediis occurratur, in tua vnius pietate & prudentia situm est, Rex sapientissime. Nam maiestatem tuam qui antecesserunt Principes, suis quibusdam studijs occupati, neque his artibus, quas tãtarum rerum cognitio requirit, instructi, amplissimo huic muneri, etiam si vellent, satisfacere forsan non potuissent. At te Principem grauissimarum artiũ scientia, & sacrarum literarum doctrina excultum, tamque maturo & limato iudicio, Deus Optimus Maximus Reipublicæ nostræ largitus est, vt si modo eam rem aggredi volueris, de fœlici totius rei exitu dubitare minimè possis. Hæ verò tam præclaræ animi, ingeniique Maiestatis tuæ dotes me perpulerunt, Rex serenissime, vt ego qui hæreseos crimine ab aduersariis aspergor, eóque nomine publicis eorum scriptis in inuidiam vocor, in conspectum maiestatis tuæ prodire non reformidauerim: hunc-que libellum meum, quo criminis obiecti omnem suspicionem à me dimoueo, sacratissimo tuo nomini dedicare potissimum voluerim. Non dubito enim, si modo aliquid temporis sacra tua maiestas huic lectioni impertiri voluerit, aut grauissima Reipublicæ negotia, quibus tantum non adobruitur, id facere maiestatem tuam permiserint, planè ac perspicuè id eam cognituram, non nos qui malignè Zuingliani vocamur, nouum aliquod de sacratissimo corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sacramẽto

dogma cudere, sed eos, qui vetustatis nomine gloriantur doctrinam recentem & Apostolicis temporibus ignotam, veritatíque Euangelicæ ac pietati Christianæ ex diametro repugnantem, summis omnibus viribus defendere, Deum illum æternũ precor, qui Rex Regum, & Dominus dominantium est, vt te Rex serenissime, potentissimo suo præsidio, cõtra omnes hostes tueatur, spiritúque suo sancto locupletet, quo subnixus, omnibus Satanæ insidiis superior semper euadas, téque in omni virtute subinde vincas, ac nobis diu sospes & fœlix imperes, Regnũ verò tuum vera religione ac pietate, omniúmque virtutum laude & bellicæ rei gloria cumulatum efficias. Datum in prædiolo meo Volanouio, calendis Augusti, Anno 1578.

Sacræ ac sereniſſimæ Maieſtatis tuæ,

Humillimus ſubditus

Andreas Volanus.

DEFEN-

DEFENSIONIS

VERAE, ORTHODOXÆ, VETERISQVE IN ECCLESIA SENTENTIÆ, DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGVINIS Domini noſtri Ieſu Chriſti, veráque eius in Cœna ſua præſentia, cõtra nouum & commentitium Tranſubſtantiationis dogma, alióſque errores ex illo natos.

LIBRI TRES.

Ad Petrum Scargam Ieſuitam Vilnenſem, vaniſsimi huius commenti propugnatorem.

FACILE videbam fore, Petre Scarga, vt in vano & futili non minus quàm impio, quod tractandum ſuſcepiſti argumẽto, multum diúque tibi deſudandum eſſet, donec aliquid quod ſpeciem aliquam veri habere videretur, efficeres. Res enim eſt in primis ardua & operoſa, clariſsimam veritatis diuinæ lucem obſcurare, tamque perſpicuo ſacrarum literarum ſplendori fallaces ac cęcas ingenij humani

obducere tenebras. Itaque non miror, quæ breui admodum temporis ego exaram spatio, te ad confutanda ea totum desumpsisse biennium, tótque te in perficiendo opere conduxisse operas, vt omnes ferè qui in Europa oberrant Iesuitæ, socios infœlicis huius laboris tui esse volueris. Cognoui enim certis rerum experimentis, libellum meum per omnia istorum collegia vólitasse & expositum telis & aculeis omnium, hæc tandem arma quibus tu me impetis, & ex aliena deprompta pharetra furenter iacularis, mihi concitasse. At verò quid attinebat, Petre, hominem inermem tot accersitis vndique auxiliis inuadere, tantóque doctrinæ apparatu eum, quem tu subinde grauiora studia, ne leuiter quidem attigisse clamitas, opprimere? Si enim ab homine imperito & artium omnium rudi exiguus hic libellus perscriptus fuerat, quæ te causa, homo doctissime, impulit, vt non ipse Marte tuo confutandum susciperes, sed aliena subsidia per varias orbis plagas volitans conquireres? Ego autem, Petre, ne te falso scripsisse omnia putes, id tibi lubens do, ac sincere fateor: exiguas ingenij mei vires, nec singulari aliqua doctrina excultas, me agnoscere: neque vt eruditionem ostentarem, sed vt veritati testimonium perhiberem, crassa Minerua pauca hæc perscripta à me fuisse profiteor. Quòd verò tu opulenta quadam eruditionis supellectile diues, in hoc certamẽ descendere solus reformidasti, támque numerosam aciem sub nomine vno contra me ordinasti, expressam tibi veritatis à me defensæ confessionem vehementer gaudeo. Ea enim natura veritatis est, vt quamuis simplici prodeat amictu, nec magno stipata satellitio, multorum tamen hominum rabiem in se plerumque accendat, &

Doctissimus Iesuita cum imperito scilicet Volano vnus cõgredi nõ ausus.

Veritatis natura.

dat, & venenatis malorum exposita telis, fortis in harena consistat. Atque vt magnò onere pressa aliquando succumbat, emergit tamen, & depulsis terris mendaciorum tenebris, splendida refulget. Nihil ergo agis, Petre, qui vniuersi ordinis tui panoplia instructus, omnibus viribus ad iugulandam veritatem consurgis, & quasi iam debellatum esset, Pæana toties occinis. Agnosces enim volente Deo, irritos omnes tuos esse conatus, & quam cornicula pauonis assuisti caudam, alienis te vestiẽs plumis, nihil in hoc certamine tibi pro futuram. Ac vellem quidem, vt præter propositi argumenti rationem nihil aliud scriberem, statimque causam ipsam semel susceptam prosequerer: Sed quia digredi à re ipsa multoties, in méque ipsum stringere calamum visum tibi est, importunitate tua victus, necesse est vt orationem meam aliquando diuagari sinam, itaque tibi respondeam, vt multa ex animi impotentia tibi excidisse, nec vera omnia te de me scripsisse omnibus constet. Quo igitur ordine omnia à te perscripta sunt, eundem ordinem & ipse sequar, & respondendo ad singula sic scribendi finem faciã.

Iesuita Æsopicã corniculã imitatur.

Ac primum quidem satis demirari non possum, quæ tua ista est in fingendis calumniis impudentia, vt quæ ego nec senserim nec scripserim vnquam, tu tamen sine omni fronte attribuere mihi audeas. Nam & titulus & præfatio libri tui crassissimi nec ferẽdi in Ecclesia Dei erroris, & à quo omnes mei abhorrent sensus, me insimulant, quòd nimirum ego hic sim, tibíq; cum homine eo certamen sit susceptum, qui præsentiã corporis Domini nostri Iesu Christi ex Sacramento Eucharistiæ auferat. Egóne tibi istud sentire videor? qui Spiritus sancti sequens oracula, & purissimæ in

Ecclesia antiquitatis insistens vestigiis, vbique Sacramentum hoc ex duabus constare rebus, terrena nimirum & cœlesti: neque vnquam externa & visibilia à fidelibus percipi elementa, quin simul corporis & sanguinis Christi sint participes, ingenuè profiteor? Sed vestra hæc ars est boni Iesuitæ, fallacibus vmbris imperitæ plebeculæ oculos perstringere, & quæ sincerè & candidè à nobis dicuntur, semper aliquo mendacij fuco denigrare. Te verò falsò hæc mihi impingere, libellus meus manifestè coarguit, & cum deinceps in rem ventum fuerit, quàm verò titulo inuidiæ nobis conciliandæ gratia librum tuum ornaueris, ab omnibus veritatem amantibus cognoscetur.

Iesuitarũ artes.

Non dissimile & illud artificium est, quod tu conflandæ nobis eiusdem inuidiæ causa adhibes, dum pestilentissimæ Anabaptisticę hæreseos culpam in nos deriuas, vt qui hæc semina à nobis iacta contẽdas, quæ in hãc deinde eruperint messẽ. Nã qui nos negare dicis Christũ ex pane posse facere corpus suũ, præmissas nos ponere dicis, hoc est negare omnipotentiã Christi, vt Anabaptistæ cõclusionẽ inferãt, Christũ videlicet nõ esse Deũ. At verò tantum acumen & sola sapientia Iesuitica dignum, nunquam Anabaptistis venit in mentem. Quæcunque enim illorum euoluimus scripta, aliis semper rem suam tuentur argumentis, & inter plurima mendacia, huius tam pulchrè inuẽti & à vobis excogitati, nullam vsquam mentionem faciunt. Sine vllo igitur iudicio hæc tam inepta ac friuola in nos effutiisti, nihil pensi habens quod diceres, dum modo impotenti affectui tuo indulgeres. Tu verò si scire cupis, quæ causa impulerit Sathanam, vt scelesto hoc furore mentes Anabaptistarum inficeret, & venenatas co-

rum linguas contra filium Dei armaret: ita se rẽ habere credito. Viderat magno Dei beneficio factum infensissimis generis humani hostis, vt puritas Euangelij Christi, longo satis tempore, fermento traditionum humanarum conspurcata, radios suos in omnes orbis partes extendere cœperit, ipséque Maiestas & gloria æterni filij Dei, dum solus & vnicus in Ecclesia agnoscitur mediator & salutis dux, clarissimè refulserit. Hũc igitur dolorem cùm ferre non posset, ad antiquas rediit artes, vt cùm officium solius Christi in saluandis hominibus optimè cognitum à multis perspiceret, ad impetendum personam illius omnes denuò vires conuerteret. Cernebat enim, si personam filij Dei infamaret, æternámque illius diuinitatem pernegaret, dignitatem quoque officij illius facilè vilescere posse. Et sanè eò res rediit. Nam qui pestiferum hunc errorem à Sathana excæcati hodie sequuntur, omnes ferè noua salutis media constituunt, & in abiiciendis facultatibus, aut attritis ac laceris gerendis palliis, in laboréque manuum suarum vitam æternam repositam stultè ac impiè commiscuntur. Hæc verò spes, ne quid Petre erres, impulit Sathanam, quæ minimè improbum hunc artificem fefellit, vt multorum animos à splendore Euangelij auerteret, & ex tenebris regni Papalis erutos, in nouam deinde errorum sentinam præcipitaret. Tu verò nimis imperitè ac malitiosè omnem culpam in nos conferre studes, dum nos Christo Deo omnipotentiam detrahere, vt Anabaptistæ ad pernegandam illius diuinitatem expeditam [illegible]eant viam, falsò perhibes.

Stultum hominũ genus nota.

At, inquis, nos negare Christum ex pane facere posse corpus suum. Nos verò Christo vnigenito Dei filio, atque ob id vero Deo nihil im-

possibile esse, quodcunque ille facere velit, credimus: Sed quod non fecerit, nec voluerit vnquam facere, de potentia illius disputare facti nefas esse ducimus. Scimus enim & infallibiliter et sanctis edocti oraculis, credimus, Christum Iesum Dei filium semel in vtero virginis virtute Spiritus sancti conceptum, verúmque hominem semel esse factum, itaque passum pro salute generis humani, & mortuum, vt cum rediuiuus deuicta morte & debellato Sathana in cœlum conscenderet, iam non amplius moriatur: omníque necessitate mortis exemptus diuina sua potentia Ecclesiam gubernet, & donis vitæ cœlestis abundè locupletet. Vos verò qui nouum vobis quoties libet Christum creatis, & ex substantia panis substantiam corporis eius formatis, non est mirum, si toties mactandum & immolandum in altaribus vestris statuitis. Nec verò existimetis me cauillari, aut falsò hæc vobis obiicere: Testantur enim putida & sacrilega hominum vestrorum scripta, maiorem (salua tamen reuerentia Dei patris) minimi cuiusque sacerdotis, quàm ipsius Dei esse potentiam, ídque eo nomine, quod nimirum Deus intra sex dies vniuersam rerum condiderit creaturam: Sacerdos verò quinque prolatis verbis creat ipsum creatorem. O vocem sceleſtam & impiam, & excisione linguæ meritò puniendam, nisi maiores blasphemiæ huius vindicandæ pœnas Dominus sibi reseruasset. Vósne perditi & miseri homunciones tantam vobis potestatem vsurpatis: vt æternum & increatum rerum omnium opificem à vobis creari posse contendatis? Atqui ne vilis quidem muscæ aut culicis creandi potestatem vllam habetis, tanto omnibus múscis & culicibus inferiores, quanto maior ex eorum creatione, quàm ex vestra impia voce in Deum gloria redúdat. Atque hi cùm tales sint in Ecclesia ista doctores, & cum talibus sententiis omnes ferè eorũ referti sint libri, tamen hanc sordidam hominum fæcem, superbo Ecclesiæ Catholicę titulo Scarga exornare non erubescit, dignosque iudicat, à quorũ autoritate, non autem à scripturis sanctis, omnes qui membra Ecclesiæ censeri volunt, dependeant. Scripturam enim mutam legem esset perhibet: magistratum verò Ecclesiæ legem esse animatam, cui omnes parére ac subiici iubet. Ita verò delirantiũ istorum hominum fœcundissimus se vbique prodit error: dum quam semel in Deum sibi potestatẽ vsurparunt, vt eum quando volunt creare possint, nunc etiam non Deo, sed sibi omnes dicto audientes oportere esse contendant. Quid enim aliud est scriptura, quàm æterni & omnipotentis Dei vox, quam ipse è cælo promulgauit? Patriarchisque ac Prophetis per spiritum sanctum suum tradidit: ipseque filius Dei vera patris sapientia nobis enarrauit? Ac propterea diuus Paulus, vt omnem sapiẽtiam humanam confunderet, & omnes homines in ordinem cogeret, doctrinam hanc à Deo traditam, cuius & ipse Minister fuit, non sapientiam sęculi huius esse pronunciat, neque principum seculi huius, qui abolentur, sed sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, quam & per spiritum suum reuelauit. Quid autem filius ipse Dei saluator noster, an non ad scripturam nos relegat, vt inde veram eius notitiam hauriamus? Scrutamini (inquit) scripturas, quoniam ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Rectè igitur diuus Petrus renatos nos docet non ex semine mortali, sed ex immortali, per ser-

Papistici Sacrificuli creatores sunt creatoris sui.

1. Cor. 6. 7.

Ioh. 5. 19.

1. Pet. 1. 23.

monem Dei viui,& manentis in æternum. Et Pau-
1. Cor. 4. 15. lus gloriatur,quod Corinthios in Christo Iesu per Euangelium genuerit. Si ergo nascitur Ecclesia ex verbo Dei,vt pote quæ fundata est super doctrinã Prophetarum & Apostolorum:sequitur necessariò vniuersam Ecclesiæ autoritatem à doctrina Prophetica & Apostolica,non doctrinam ab Ecclesia dependêre:maiorémque & priorem matrem filia ipsa,vt quæ fœtus eius est,censeri. Sed Scarga quã ab homine ethnico de lege ciuili dicente mutuatus est sententiam,hanc satis imperitè ad legem diuinam putauit esse transferendam: vt cùm lex ciuilis dicatur esse lex muta, magistratus verò lex animata, idem & legi diuinæ siue scripturæ sanctæ competere ille existimaret. Verùm te fefellit incõcinna ac dispar,quam adaptare voluisti, similitudo. Quantum enim cœlum distat à terra,tãtùm lex humana distat à lege diuina. Illa enim nunquam tam commodè ferri potest in Repub. quin variantibus negociis subsidium magistratus multoties requirat:& non in vocis externæ sono, sed in prudentia magistratus iuris æquitatem constituat. At verò lex diuina siue doctrina,per scripturas sanctas tradita,perpetua est & inuiolabilis veritatis regula:à qua nulli vnquam Ecclesiastico magistratui discedere licet.

Argumẽtum validissimum

Legis diuinæ alia ratio quã ciuilis.

Rectè ergo loquitur Augustinus, cuius tu patrocinium frustra suscipis,contra Petilianũ ita scribens: *Non audiamus,* inquit,*hæc ego dico, hæc tu dicis:sed,hæc dicit Dominus. Sunt certo libri dominici, quorum auctoritati vtrique consentimus, vtrique credimus:ibi quæramus Ecclesiam,ibi discutiamus causam nostram. Auferantur de medio, quæ aduersum nos inuicem,nõ ex diuinis canonicis libris, sed alunde recitamus. Quærat fortassis aliquis. Cur vis ista auferri*

ferri de medio? Quia nolo humanis documentis,sed diuinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari. Idem,de Pastoribus cap.4. *Ego vocem pastoris inquiro,lege hoc mihi de Propheta,lege mihi de Psalmo, recita de lege, recita de Euangelio: Inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam,& dominũ dicentem: Quæ sunt oues meæ,vocem meam audiũt & sequuntur me.* Auferantur chartæ humanæ, sonent voces diuinæ. Hæc & alia multa in omnibus ferè libris perspicuè docet Augustinus: non à conciliis,non ab inuentis aut traditionibus humanis certitudinem fidei nostræ in dogmatibus religionis requirens, sed supremam vbique autoritatem scripturæ sanctæ & libris canonicis deferens. Tale enim & illud est quod cap.16. scriptum reliquit: *Ecclesiam suam,si possunt, demonstrent, non in sermonibus & rumoribus Arrorum,non in conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus:quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus:sed in præscripto legis,in Prophetarũ prædictis,in Psalmorum cantibus,in ipsius pastoris vocibus,in Euãgelistarum prædicationibus & laboribus:hoc est, in omnibus canonicis sanctorũ librorũ autoritatibus.*

Augustinus solis sacris literis autoritatem defert.

Atque hæc cùm tam planè tantáque perspicuitate ab Augustino scripta sint, Scarga tamen cũ fida Iesuitarum societate clausis oculis hæc cuncta præterit,& ex eodem Augustino authoritatem scripturarum, tanquam Augustinus in eodem argumento simul calidus & frigidus esset, oppugnare nititur. Dicit enim Augustinum de se scribere, quod in dogmatibus fidei nõ se scripturæ,sed Ec-

Scarga inuitum Augustinum ad suas partes trahit.

cleſiæ conciliorumque iudicio permittat, adeò quidem, vt ſine authoritate Eccleſiæ nec Euangelium, multo minus interpretationẽ recipere velit. Hoc verò quid aliud eſt quã Auguſtinũ ipſum ſecommittere, ac quod tantus vir ex eodem ore cõtraria ac pugnantia inter ſe protulerit, vanitatis cuiuſdam eum inſimulare? Teſtatur ille toties, nullam ſe Eccleſiam agnoſcere, nulla authoritate cõciliorum & episcoporum permoueri, niſi veritatem in literis Canonicis comprehenſam ſe tenere demonſtrent. Scarga autem ſancto viro contrarium tribuit, & non ſcripturarum ſed eccleſię authoritatem in dogmatibus fidei ſequi oſtendit.

Auguſtinus cõtra epiſt. Fundamenti.

Ait enim ſcripſiſſe Auguſtinum, *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ autoritas commoueret.* Sed quo conſilio hoc Auguſtinus ſcripſerit, diligentius tibi perpendendũ fuerat. ſcribit ille cõtra Manichæos, ſcripturas ſanctas mutilantes, & quædam Euangeliſtarum non recipientes, quaſi eſſent adulterina & ſuppoſititia. vt ergo vanitatis & mẽdacij illos coarguat, & verè Euangelica eſſe ſcripta, quæ per manus Eccleſiæ ad eius ætatem peruenerunt, oſtendat, Eccleſiam tanquam teſtem appellat, vt quæ hunc theſaurum, apud ſe depoſitum, fideliter cuſtodierit, & ab ipſo Chriſto ac Apoſtolis profectum teſtimonio ſuo cõprobauerit. Rectè ergo ſe Auguſtinus Euangelio credere dicit, quia Eccleſia docet & teſtatur hanc doctrinã ab Apoſtolis eſſe traditam. At verò non dicit maiorem Eccleſiæ quàm doctrinæ Apoſtolicæ eſſe authoritatem: vt nimirum quod tu vis, poteſtatem il

Auguſtini de ſcripturæ ſacræ eminẽtia udicium.

la ſtatuendi quidpiam cõtra verbum Dei habeat, aut nouos fidei articulos condendi, & in ſcriptura traditos abolendi facultate prædita ſit. Loquitur enim in alio loco idem Auguſtinus, vt infinita alia præ-

præteream: *Auferantur de medio chartæ noſtræ, procedat in mediũ codex Dei. Audi Chriſtũ dicentem, audi veritatem loquentem.* Et alibi: *legite hoc nobis de lege, de Prophetis, de Pſalmis, de Euangelio, de Apoſtolicis literis legite, & credemus.* Vides ergo quid Auguſtinus de ſcriptura ſancta ſentiat, & quòd vniuerſam fidem Eccleſiæ penitus abroget, niſi illa teſtimonio diuinarũ literarũ cũcta ſua confirmet. Tu verò qui ſententiam viri ſancti non bene intellectam, aut malicioſè detortam corrũpis, & diuerſum ac alienũ à mẽte ſcriptoris ſenſum affingere illi ſtudes, magnam illi iniuriã facis. Ita nimirum vos optima quæque tanquam Harpyæ contactu veſtro fedatis, & rebus alioqui lucidiſsimis atrorem quendam inducitis.

At verò vide quantum honorem oraculis à ſpiritu ſancto profectis habeas, qui ſcripturam ſanctam non alio loco cenſeri vis, niſi quod illa priuatum cuiuſque hominis iudicium & interpretatio ſit, ſi nõ Eccleſię & conciliorũ iudicio ſubiiciatur. Dum autem Eccleſiam nominas, non aliis hanc dignitatẽ & titulũ vendicas niſi magiſtratui: hoc eſt Pontifici Romano, & omnibus ſacerdotibus illi iuratis: qui nihil quidem hiſcere vnquam audebunt, neque ſcripturam aliter interpretabuntur, niſi vt huic vni dominatum ſuper omnes conſtituant, & in ſcrinio pectoris eius oracula cuncta recondant. Ita vero interpretationem illam dictorum Chriſti habituri ſumus. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, hoc eſt ſuper Pontificem Romanũ, ædificabo Eccleſiã meã? Et orani pro te Petre, ne fides tua deficeret: hoc eſt, iſta te poteſtate armabo, vt quãuis omnib. flagitiis & ſcelerib. coopertus ſis, ita vt multa hominũ millia in gehẽnã tecũ ducas, tamẽ à nemine ſis iudicãdus, oẽs ipſe iudicaturus.

Eccleſia quid ſit Ieſuitæ.

Interpretationem Papiſtica nota.

Et illud: ECCE duo gladij hic: hoc est, Pontifex Romanus habet administrationem vtriusque gladij, & spiritualis & politici. Item: Eliseus aquas amaras iniecto sale per miraculum dulces reddidit: hoc est, debet in Ecclesia aqua esse exorcizata, & sal benedictum, cuius vim contra sathanam & peccata valere credendum est. Item accipite comedite, hoc est corpus meum: hoc facite in meam cõmemorationem, id est, offerte corpus & sanguiné Domini pro peccatis viuorum & mortuorum. Hoc ne, Petre, Scripturas est interpretari? an non potius veritatem Dei sacrilega audacia corrumpere. Christumque de solio maiestatis eius deturbare, & in loco eius filium perditionis ac peccati collocare? Ita verò si gigantibus istis, hoc est Ecclesiæ Romanæ, qualis quidem est hodie, præsidibus, tota in scripturis peruertendis concessa fuerit potestas, nihil vsquam in religione saluum, nihil in tota doctrina Christi integrum sumus habituri. Et sanè loquitur res ipsa, quàm egregius in hac Romana Ecclesia conspiciatur pietatis profectus, dum omnis cultus & honor mentis interior soli Deo debitus, ad creaturas est impiè translatus: dum in fulgore auri & argenti, ac imaginũ cultu, tota Dei reponitur adoratio: dum Sacramẽta à Domino instituta tam miserè deprauata, & ad turpem quæstum sunt prostituta: dũ tota Cleri disciplina tam bene est constituta, vt impuros illos Bacchi mystas maiore pudore & innocentia vitæ ornatos præ illis dicere possis. Isti tamen tyranni ad spoliandas & iugulandas oues Christi nati, se pastores in Ecclesia constitutos gloriantur, soli ius scripturæ interpretandæ, hoc est sordidis pedibus conculcandæ, & lupini dentibus lacerandæ sibi facultatem sumunt.

Papistica religio, pietasque.

At ve-

At verò omnes Christi oues quæcunque raso vertice non sunt insignitæ, (i. quę characterem Bestię non acceperunt) ab omni sacrarum scripturarum intelligẽtia procul repellunt, nec impiis rasorum & vnctorum placitis reclamare sinunt. Atqui Panormitanus istis fortissimè reclamat, plus credendum vni laico afferenti scripturas afferens, quàm generali Concilio, vniuersalem repræsentanti Ecclesiam, si scripturas non afferat. Nec diuersum sentit Gerson: qui dicit vnius viri docti, ac scripturas dextrè proferentis suffragium, vniuersali Concilio præferendum. Spiritus autem sanctus in Actis Apostolicis minimè damnat Berrœenses, qui cùm recepissent cum omni promptitudine verbum, inuestigabant ex scripturis, an hæc ita se haberent. Nunquam ergo tu clamore tuo vel si medius rumparis efficies, vt tota cura scripturarum interpretandarum, in Romanos sacerdotes reiecta, oues Christi hac libertate se spolient, ne & ipsæ summo studio ac diligentia veritatem verbi Dei inquirant, & cùm iuxta præceptum Apostoli omnia probauerint, id quod bonum fuerit teneant.

Panorm. de Elect. cap. Significasti.

Act. 17. 11.

1. Thess. 21.

Neque ego inficior, quod tu mihi obiicis, me ad iudicium Diui Augustini ita prouocasse, vt vbicunque regulam diuinarum non sequitur scripturarum, libere mihi ab eo discedendum putem. Hanc enim ipse non ego, ne quid erres, legem in se & in omnes alios scriptores Ecclesiasticos tulit, vt quicquid testimonio sacrarum literarum ab illis approbatum non fuerit, id liberè cõtemni ac reiici iubeat. Ita enim ille scribit ad Fortunatianum. *Neque enim quorumlibet disputationes, quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur ho-*

De Scriptura sacra & scriptorib. Ecclesiasticis patrũ sententię.

minibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. Contra Cresconium autem scribens ita loquitur. *Nos nullam Cypriano facimus iniuriam, cùm eius quaslibet literas à canonica diuinarum literarum authoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri vigilantia canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium, liberè iudicemus.* Basilius autem in moralibus pronuntiat, *quòd auditores in scripturis eruditos oporteat probare ea, quæ à doctoribus dicuntur, & quæ quidem consona sunt scripturis, suscipere, quæ verò aliena, reiicere.* Et Cyrillus de recta fide ad Reginas. *Necessarium nobis est, inquit, diuinas sequi literas, & in nullo ab earum præscripto discedere.* Ambrosius verò libro de officiis 1. *Quæ in scripturis sacris non reperimus, quemadmodum volumus, vsurpare possumus.* Hieronymus in Titum. *Sine authoritate scripturarum garrulitas non habet fidem.* Idem autem in Aghæum Prophetam scribens. *Gladium Dei*, inquit, *qui est sermo Dei viuus, dicit percutere illa, quæ sine authoritate scripturaram sola traditione sunt introducta.*

Sed

Sed dies me deficeret si singulos vellem recensere Patres, aut testimonia illorum colligere, quibus in vnam & eandem consentiunt vocem, nemini licere in Ecclesia Christi quidquam statuere, quod nulla scripturarum authoritate fulciatur, liberúmque esse omnibus ouibus Christi, quocunque tandem titulo id traditum fuerit, repudiare. Quo magis admiror, summam istorum hominum siue impudentiam siue malitiam, qui semper nos ad authoritatem nescio quarum laruatarum personarum reuocare, & scripturam sanctam ex manibus excutere nostris summo studio conantur.

At enim Scarga, cum vniuerso ordine suo nos hæreticos & scripturæ sanctæ deprauatores, sub ipsóque prætextu puritatis Euangelicæ reuocandę, Euangelij ipsius euersores clamitat: dignósque iudicat, in quorum capita Magistratus aciem ferri stringat, & quasi vno ictu, ne contagio serpat latius, omnes concidat. Ibi enim saltem hanc vigere pestem perhibet, vbi qui illam abigat, adest nemo. Sed vehementer miser hic homo fallitur, qui ipsissimam Christi vocem, & sinceram veritatis Euangelicæ doctrinam falso hæreseos crimine aspergit, & qui cæde aut flamis eam opprimi posse existimat. Nam quid obsecro in vniuersis Ecclesiis nostris docetur, quid tot diuina nostrorum hominum scripta, & immodici labores pro asserenda veritate exantlati testantur aliud, nisi vt fides Catholica in scripturis sanctis de Deo patre, filio, & Spiritu sancto tradita, & de omnibus beneficiis, quæ in Ecclesiam suam Dominus opulenter contulit, sarta ac tecta præstetur, ac omnibus traditionum humanarum inquinamentis expurgetur? Nullus est fidei articulus, quem non illustrandum, & contra pestilentissimas hoc tempore hæreses à Sa-

Iesuitæ impudens calumnia & sanguinarius animus.

Refutatur

thana excitatas propugnandum susceperint scriptores nostri. Itaque dum belli isti Romani sacerdotes suauiter dormiunt,& solitis deliciis ac voluptatibus fruuntur, nostri isti athletæ fortissimi in vigiliis constituti pro grege Domini excubãt, & insultus atrocium luporum,ne prædæ ouiculas Christi habeant expositas,strenuè repellunt. Tantum verò abest, vt diræ in Christum blasphemiæ ab Arrianis,Antitrinitariis,& Tritheitis vibratæ, aliquem dolorem assecIis istis pontificiis incusserint,vt Scarga omnium suorum sensum probè callẽs,ab illis hostibus omnibus Christi auersus,nos solos venenato suo morsu impetat,& canem vltro se,qui nos alatret,profiteatur. Hoc scilicet testatum voluit omnibus, nõ pro gloria Christi,quam illi susque deque habẽt,hæc certamina nobis à Papistis moueri,sed pro aris & focis,qui purgatorio igne accensi, & semper istis fumantes,ingens periculum,vt diu salui & incolumes esse queant,vehementer extimescunt. Itaque nocentiores nos Anabaptistis hæreticos Scarga clamitat,vt potè à quibus ille nihil timeat periculi, quandoquidem isti in oppugnando Christo fortes ac strenuos se & se Papistis adiũgunt socios. Nam Papistæ quidem omnibus viribus & studio in id incumbunt, vt æterno regno ac sacerdotio Christum spolient,officiúmque illi competens,& à patre cœlesti commissum abrogent. Anabaptistæ autem id vnicè laborant,vt si quo modo id fieri possit, diuinitatem illi adimant. Sed breui futurum est,vt preditæ istę omnes sectæ gloriæ Christi inimicæ, virtute diuina depressę intereant,illustrémque victoriam leoni de tribu Iuda,quem nemo impunè vnquam lacessiuit,tandem cõcedere cogantur. Nec est quod te vana spe Scarga lactes, vt te incendium hoc Euan-

Euangelici nocentiores Anabaptistis,Iesuita teste & Iudice.

Euangelij in his etiam regionibus nostris summo Dei beneficio excitatum,aliqua vi extinctum putes. Nam si quod vehementer desideras,non Ezechiæ,non Iosiæ, non Constantini, non Iustiniani, (vt tu loqueris) isti enim vbique causam nostram firmissimè tuentur: Sed Nerones,Caligulæ,Domitiani,Iuliani,omnibus telis in perniciem nostram armati accurrant,victorem nihilominus Christum in cælis regnantem agnoscent, quem suo semper malo prouocare non dubitarunt. Testis est Anglia, testis est Gallia, quàm nihil virium ad opprimendum Euangelij semen hæc habeat,quàm tantopere sanguinarius homo expetis,carnificina. In nulla enim vnquam barbarie tam immanis crudelitas,tanta suppliciorum atrocitas audita est,quanta in homines immerẽtes, & sanctissimos Christi Martyres,in mediis etiam flãmis nomẽ eius inuocantes,in regnis illis fuit patrata. Viget tamen doctrina Christi,& sanguine sanctorũ fæcũdata,altas agit radices,ac vberes in dies profundit fructus.

Nec falsum me,Petre,agnoscis fuisse vatẽ,dum in quodam colloquio,ante triẽnium tecũ habito, confidenter fore prædicebam,non exiturum integrum quinquennium,donec Gallia cælesti lumine perfusa, triste ac sæuum Antichristi excutiens iugum, Christi regnum latè illic propagatum conspiceret. Tu verò lætus illa clade,& scelerato Principum in mactandis hominibus successu, certam tibi promittebas victoriam, & segetem salutaris doctrinæ Christi radicitus euulsam putabas. Sed te fefellit opinio,verissimámque à te illa m perscri ptam fuisse sententiam, quam tu tamen Romanæ Ecclesiæ falsissimè adaptast i,quod nimirũ Catholica fides persequutionibus crescat, & vbi semel radices egerit,extirpari nequeat, exitus ipse com-

Volani de Gallia vaticinium impletum

Scarga alter Caiaphas prophetat.

probauit. Romana enim quæ hodie conſpicitur Eccleſia, nullis cuiuſquam perſequutionibus eſt obnoxia, tanta potentia, tantíſque viribus armata, vt procul omnibus aliis terrorem oſtentans, ipſa nullum periculum extimeſcat. Nec verò fert ouium Chriſti natura, vt rabiem imitata lupo rum, in hoſtes ſuos ferrum expediat, & nefanda ſanguinis humani hauriendi ſiti laboret. Tuum hoc, Scarga, tuq́; ſocietatis ſtudium eſt, claſſicum canere, & pro concionibus multitudinem imperitam, ad funes & gladios cohortando, inteſtinum odium & bellũ ciuile excitare. A nobis verò non eſt, quod perſequutionem aliquam metuas, aut extraneam aliquam vim ad extirpandum papatum nos adhibituros putes. Scimus enim diuinis edocti oraculis, & perpetua rerum confirmati experientia, mendacium ipſum vltro ruere, & extra terminos à Domino conſtitutos non latius diuagari. Quare rem Papatus in Lithuania inclinatam acvehementer vacillanté ſecuri inſpicimus, expectantes donec Dominus ipſe manum admoueat, & odioſam hanc turris Babylonicæ ſtructuram, infœlix Romani Nemroti opus diſſipet.

Veri Chriſtiani à ſanguine effundẽdo alieni.

Tu verò interim cũ Catholicis tuis (ſicuti ſcribis) ſumma fruere lætitia, milléque tibi finge gaudia, quod Vilnę Eccleſiam noſtrã magnifico videas ſpoliatam delubro, & deſerta olim veſtra templa, nunc demum magnis turbis referta, multorúmque hominum colluuie frequentia conſpicias. Nam neque delubrum nobis ademptum curſum Euangelij fœliciter cœptum impediit, & accreſcente ſub inde fidelium numero, magnũ Eccleſia Chriſti capit incremẽtũ. Conuerte enim in omnes partes oculos, & qui qualéſq; ſint, qui Chriſto nomẽ dederint diligẽter perluſtra, videbis in anguſtũ iã tuas

Euangelici templi Vilnę pro fanatio Papanis læti tię materia.

redactas

redactas copias, eáſq; ſenſim dilabẽtes, noſtri ſe ſe coniungere caſtris. Nec verò dubitamus Radiuilones præclaros clariſsimi illius & æterna memoria digniſsimi patris filios, ad ſalutifera Euangelij Chriſti paſcua iterum redituros, poſtquam penitius perſpexerint, hæc aſpectu iucunda & amœna pontificij regni rura, non niſi venenatis & noxiis herbis eſſe conſita. Nam cum omnia ad voluptatem & demulcendos humanos ſenſus illic ſint compoſita, quæ facilè iuuenilem capiunt ætatem, faſtidium facilè parient, dum iudicij maturitas reiectis his vanis corporis oblectamentis, de quærenda animæ ſalute tãdem curam iniiciet. Neque enim à muſicis inſtrumentis ſuauiter in templis ſonantibus, non à vocum harmonia pulchre concinnata, non à fulgentibus auro & gemmis altaribus, & aliis huiuſmodi vanis præſentis ſeculi ludibriis, vera in Chriſtum ingeneratur fides, ſed ex auditu verbi Dei, ſolum Ieſum Chriſtum victimam pro peccatis noſtris factum, ante oculos noſtros ſtatuentis.

Papaniva rijs illectamentis hominum ſenſus perſtringunt

Quare optimi & clariſsimi iuuenes omni cura ac ſtudio in id incumbite, vt in qua Eccleſia fundamenta pietatis ieciſtis, in qua ſanctiſsimorum illorum parentum veſtrorũ cura doctrinam Chriſti cum ipſo lacte hauſiſtis, ad illam redire, & ex hoc infœlici traditionum humanarum labyrinto vos extricare poſsitis. Mementote quibuſcunque verborum lenociniis Ieſuitæ vos ſeducant, quibuſcunque colorum fucis natiuam verbi Dei faciem adulterantes oculos veſtros perſtringant, non aliud tamen ſub cælo eſſe nomen, in quo vos oporteat ſaluos fieri, niſi in nomine Ieſu. Quotieſcunque ergo clamitauerint, aquam benedictam delere veſtra delicta, quoties dixerint * tan-

Apoſtrophe ad iuniores Radauillos. Act. 4. 12. Hanc blaſphemam vocem vide in Breuiariis Franciſcanorum & ad calcẽ Miſſalis Cracouienſ Argẽtinæ impreſsi. 1510.

tum valere sacrificium vnius missæ quantũ mortem Christi, quoties in genua procumbere & in salutanda virgine Maria salutem animæ ab ea ac reliquis etiam creaturis exposcere mandauerint, toties eos mentiri, & veritati diuinæ sine omni pudore oblatrare credite. Nec verò tam turpiter vos ab illis ludificari sinatis, vt quod pro Deo vobis adorandum in statuis proponunt, id non amplius adorandum, postquam in viscera sacrifici fuerit reconditum, præcipiant. Nam quod sine summo scelere & sine summa impietate in ventre humano conditum adorari non potest, nulla ratio cogit, vt idem in statua repositum adoretur. Ergo aut vna eadémque opera sacrifici sese in pompa gestandos & adorandos populo exhibeãt, aut ne posthac ad adorandas statuas & * fercula aurea nos compellant. Quæ quidem tam fœda & crassa idololatria, sapientissimum illum parẽtem vestrum impulerat, vt primus ferè in Lituania abrogandæ tantæ impietatis author extitisset, & cuncta tenebris errorum demersa, clara Euangelij luce collustrasset. Nec verò inconsiderato zelo, quod Scarga falsò illi tribuit, istam rem aggressus fuerat, sed summa doctrina & pietate insignium virorum adhibita opera, & consilio, ad quem omnes, qui aut literis exculti, aut singulari aliqua virtute & pietate fuerũt præditi, tutissimum semper habebant receptum. Non fuit illud inconsiderati zeli, sed fortis animi, & immodico gloriæ Christi promouendæ studio accensi, quod Aloysium Lippomanum legatum in has terras Pontificium, sanguinaria consilia afferentem, ac virus aulæ Romanæ vbique spargentem, & prudentia sua confutauerit, & authoritate repressérit. Legite quæso doctissimam illam parentis vestri Epistolam

Illi monstrantias vocant.

Pontificium Oratorem Dux Radiuil repressit.

lam ad legatum hunc perscriptam, atque item legati alteram illi oppositam, & facile perspicietis, quanta in Parente vestro diuinarum rerum fuerat cognitio, quanta in oppugnando Sathanæ mẽdacio animi excellentis magnitudo. Nam quod Biblia sacra tanto labore, tantísque sumptibus ex Hebraicis ac Græcis fontibus in linguam vernaculam conuertendam curauerit, tantóque thesauro & incomparabili munere vniuersam Sarmatiam ditauerit, maiorem pietatis ardentísque zeli pro gloria Christi hoc facto laudem consequutus est, quàm vt impudentis alicuius Sycophantæ morsum extimescat.

Idẽ Princeps Biblia è fontibus trãsferri primus curauit.

Quod autem Vilnæ domum illam amplissimã Ecclesiæ donauerat, eámque perpetuam ritè colendi & celebrandi Dei sedem esse voluerat, in eáque demortuæ coniugis suæ clarissimæ ac lectissimæ fœminæ corpus sine omni sepulturæ pompa, ac deinde suum postquam infata concessisset, defodi voluerat, hoc vel vnico declarauit facto, omnem se vanam huius seculi gloriam contempsisse, salutémque suam rebus omnibus antepoſuisse. Hanc verò domum nobis ademptam, & in prophanos vsus conuersam, cùm tantopere Iesuitæ gaudeant, illinc pulcherrimum parentis vestri damnantes factum, an verò nos grata illud memoria prosequentes plus fidei obtinere apud vos deberamus, vobis iudicandum relinquimus. Tanta enim prudentiæ & omnis virtutis ac pietatis laude præstãtissimus ille heros excelluit, vt qui eum temeritatis alicuius & inscitiæ aut impietatis accusare vellet, suam ille stultitiam & impietatem testatam omnibus efficiat. Obuersantur adhuc oculis omnium, & fixa pectoribus hærent, quæ sapientissimus ille parens vester, & in Repub. & in

Illustrissimæ Principis D. Elizabethæ à Shidlovvietz Comitissæ funus sine pompa sepultum. 1562. Ipsius verò similiter mariti. D. Nicolai Radiuilli Ducis Olycæ. A. 1565.

vita priuata ſumma cum laude geſſit, ſéque ſemper ſuſcipiendum & domeſticis & externis hominibus exhibuit. Itaque ſublato eo omnia interiiſſe,totáque Reſpublica: (abſit inuidia dicto) omni dignitate ſua ſpoliata eſſe videtur. Veſtrûm ergo eſt,nobiliſsimi iuuenes,inuidos & maleuolos paternæ laudis obtrectatores procul à vobis repellere,& quam nomini ſuo præclaris factis peperit gloriam, hanc à maledicis calumniatorum vocibus vindicare. Tu verò, Petre, ne ita hominum iudicia contemnas,neque tam iniquus alienæ virtutis æſtimator eſſe velis, vt quem ſummis vbique laudibus omnes boni efferunt, ſummámque prudentiæ ac pietatis laudem illi tribuunt, tibi vni parum prudens, parúmque pius fuiſſe videatur. Nihil enim aliud prauo hoc tuo iudicio efficies, niſi vt te naris obeſæ nec ſatis emunctæ hominem iudicent omnes, leoníque mortuo te inſultare dicant, cuius viuentis aſpectum nunquã ferre potuiſſes. Atque hæc quidem ad præfationem tuam dicta ſufficiant.

Refutatio ſcriptis Scargani adu. Volanũ.

Nunc ad librum tuum venio, vt ſimili ratione, veráne an falſa omnia ſint ea,quæ ſcripſiſti, diſpiciam, & quantum gratiæ ſuæ Dominus impertierit, poſt aſtruenda veritate & refellendo mendacio,tecum depugnem. Ac primum quidem nullam video cauſam,cur tam ſeuerè mecũ expoſtules, & in referenda gratia parum me memorem officij clamites,in quo nullum ego delictũ meum agnoſco, nec peccati veniam deprecor. Scribis » malam tibi à me repenſam gratiam,eo quod cùm » tu priuato quodam & clam ad me miſſo ſcripto, » me ab hæreſi Sacramentaria, vt inquis, reuocare » voluiſti, ego publicè tibi reſponderim, téque a» micum penè inermem non indicto bello aggreſſus

ſus fuerim, ac reportandæ gloriæ locum in te deuicto quæſiuerim. At verò non nouum nec abs te ſolo, Petre,hoc certamen eſt initum, neque verò ita nobis vtriſque commiſſum,vt in victoria alterius partis alteram cauſam cadere neceſſe ſit. Nõ poteram igitur gloriam in te deuicto ſperare,cùm noui ſubinde exoriantur milites, qui prælium redintegrẽt, méq; in certamine feſſum integris telis ac viribus adoriantur. Quæ autem priuatim perſcripta, & ad me clam miſſa fuiſſe dicis, adeo ſunt peruulgata, adeò multorum ſcriptis ac vocibus decantata, vt nulla ratione intra priuatos parietes contineri potuerint. Nec verò tu inermis eſſe potuiſti, qui Doctorem te mihi erranti profeſſus, inſtructum vtique omnibus ſcripturæ armis te eſſe ſenſiſti. De victoria autem cur dubitares, qui antè conflictum cauſam meã condemnaſti, iámque diu Catholicæ Eccleſiæ iudicio & vnanimi conſenſu confutatam pronunciaſti? Fruſtra ergo & ſine vlla cauſa me immerentem accuſas, nulliúſque criminis conſcium indigne maledictis ac conuiciis tuis oneras: mihi quidem nocens,in te autem iuſtum Dei iudicium prouocãs.

Quid impulerit le ſuitam ad reſpondẽdum.

Verum grandis quædam iniuria,ſiue potius (vt tũ ſcribis) contumelia à me Epiſcopo Vilnenſi illata,tibi hoc extorſit,vt te à ſcribendo continere non potueris,támque acriter in me exarſeris. Indignum enim facinus & quod omnem ſuperat audaciam humanam, me admiſiſſe clamitas,quod nimirum libellum conuiciis in Eccleſiam Dei refertum illius amplitudini non modò offerre, ſed etiam dedicare auſus fuerim.Ego verò Eccleſiam ſanctam & immaculatam Chriſti ſponſam omni honore quo debeo proſequor, & in gremio eius certam expectans ſalutem, me contineri gaudeo,

nec laudibus eius, quibus eam cumulatè affecit Dominus, quidquam detraho. Sed meretricem Babyloniam sanguine sanctorum ebriam detestor, illi me hostem profiteor, & quas in Deum blasphemias vomere non erubescit, pro virili parte detegere laboro. Quæ ergò hæc adultera vitiauit, quæ venenatos suo afflatu infecit, quę falsis institutis deprauauit, hæc vt corrigantur, vt remediis salutiferis sanentur, vt viuo verbi diuini fonte perfundantur, imprimis studeo. Libellum ergo quem scripsi, & in quo doctrinam de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi breuiter ac dilucidè proposui, hanc fœdissimè ab impudica ista muliere violatam demonstraui. Non ergo sordes & spurcitias (vt tu vocas) Episcopo obtuli, sed illibatam & castam Euangelij doctrinam, ex limpidissimo veritatis diuinæ fonte haustam, contemplandam illi ac manibus contrectãdam tradidi.

Apocaly. 17. 6.

At verò Episcopus condemnationis formulam in me recitat, edictúmque proponit, quo libellum meum totum esse hæreticum flammis & omni exilio dignissimum pronunciat, & ne ab vllo ouium suarum legatur, vendatur, habeatur, sub pœna excommunicationis omnibus interdicit. Huic igitur voci nisi paruero, damnationem mortis me effugere non posse, Scarga denuntiat. Iudicem enim in hac causa Episcopum me delegisse, in eius ergo me acquiescere iudicio oportere contendit. Fateor quidem libellum meum Reuerendo Domino Episcopo Vilnensi, ita fuisse dedicatum, vt simul inquirenda & approbanda veritate iudicij ipsius requisiuissem. Sed legem istam nunquam in me tuli, vt quicquid ille decreuisset, id absque omni exceptione credendũ mihi putassem. Sola enim

Episcopus ingratus libellum sibi dicatum proscribit.

nim vox Dei non vlla humana prudentia istam habet autoritatem, vt obedientiam omnium requirat, dictóque sibi omnes audientes esse præcipiat. Si ergo, Petre, vis autoritate Episcopi in approbandis certis religionis nostræ partibus me permoueri, *procedat in medium codex Dei*, (sicut loquitur Augustinus) *& auferãtur de medio chartæ humanæ*. Nihil enim ego vnquam temeritate iudicij humani tribuere volui, sed quæcunque prolata essent, ad trutinam verbi diuini cuncta examinari postulaui. Non prius ergo scriptum meum damnari, aut hęreseos crimine aspergi poterit, quàm si id certis scripturarum testimoniis confutatum fuerit.

Libri quo modo pro hæreticis damnãdi.

Atqui Scarga hoc suo libro se effecturum pollicetur, vt iudicium Episcopi minimè nudum, sed magnis rationibus fultum cuiuis videatur. Egregiam verò iudicij exercendi rationem, vt cùm hominem capitis condemnatum suspẽderis, in causam deinde eius, num furtum admiserit, inquiras. Decretum enim condemnationis prius ab Episcopo promulgatur, post biennium autem integrum causa demum condemnati Volani à Scarga cognoscitur. Verum quia sic ferunt vestræ leges, vestráque id postulant instituta, audiamus tandẽ grauissimas istas rationes, atque iudicium hoc densis argumentis vestitum & minimè nudum, vt in magna præcipitati iudicij iniquitate iuris aliqua tamen æquitas appareat. Neque tamen istud tibi concessero, vt si librum meum maximè hæreticum esse probes, ideò excommunicationis fulmine omnes, qui illum legerint, feriendos esse censeas. Non enim libri hæreticorum lecti, sed credita ea, quæ contra fidem Catholicam hæretici scribunt, hæreticos faciunt. Nam vetustissimi

Præpostorum de libro Volani iudicium.

Non lectio scriptorum hęreticorũ sed fides illis adhibita facit hæreticos

quique in Ecclesia scriptores non modò scripta hæreticorũ legerunt, sed argumenta etiam eorum in libros suos intulerunt, vt confutatis eorum erroribus, ipsam veritatem conspiciẽdam omnibus exiberent. At verò hoc nomine non condemnationem vllam, sed magnam laudẽ sanẽti in Ecclesia præstiti laboris meruerunt. Quid quod Augustinus ipse studiosos ad legendum quendam Ticonij Donatistæ librum hortatur, vt pote quem plurimum ad interpretandas scripturas conducere prædicat: cautè tamen legendum admonet, non solum propter quædã in quibus vt homo errauit, sed maximè propter illa, quæ ficut Donatista Hæreticus loquitur. Inde verò facilè quisq; perspicere potest, quàm intoleranda & iniqua sit lex, qua omnes condemnantur & à cõmunione sanctorum fulmine anathematis excluduntur, qui libellum meũ vel legerint, vel saltem habuerint. Sed bene habet, quod Scarga ipse horrendum hoc tonitru minimè esse extimescendum exemplo suo declarauit. Legit enim ipse libellum meum, cùm & obiecta mea recitet, & in refutandis operam desumat, nisi quod illa intacta reliquerit, & alto silentio præterierit, ad quæ nihil omnino respondere potuerat.

Scarga rabularum technas imitatur.

Verùm hæc in ipso orationis progressu patebunt, nũc ad ea, quæ primo in me Scarga effundit impetu, animũ aduertamus. Vtitur ille hoc artificio, quo plærunque astuti vti solent causidici, vt cùm inuictam aduersarij vident causam, in ipsum aduersariũ tela contorqueant, & infamantes personam, rẽ ipsam suspectã, minusque validã efficere studeãt. Scribit ille me grauiora studia omnino neglexisse, nec saltem leuiter attigisse, hisque me destitutũ in sacræ Theologiæ regnum temerè inuocasse.

uolasse. Hoc verò non aliud est dicere, nisi homini imperito & artium omnium rudi nullam de artibus disputanti fidem esse habendã. Quod si obtinebit Scarga, nihil apud auditores reliquũ mihi faciet, nisi vt tota dicendi facultate mihi ablata, cum risu ab omnibus explodar. Vt autẽ obtineat, nec temerè hoc se in me effutiuisse demonstret, nihil me de ea, quam Græci Analysin vocant, didicisse ostendit. Analysin enim hoc postulare affirmat, vt in sermone de re aliqua instituto prima nascatur quæstio, an sit: posterior quomodo, vel cur res sit. Cùm ergò ille in priore suo scripto hũc ordinem sit sequutus, vt prius ostendere voluerit: Corpus Christi in sacramento esse, deinde substantiam panis in substantiam corporis Christi re ipsa conuerti, imperitè & ex ignorãtia Analyseos se reprehensum à me esse dicit, qui primum locũ Transubstantiationi probandæ ab eo dari volui. Ego verò quæ pueri de ordine tractandæ quæstionis in scholis discunt, puer ego quoque didicerã, & in quæstione potissimum simplici explicanda, hunc ordinem sequendum esse probè noueram. Sed ridiculum imprimis est, omnia velle ad hanc regulam exigere, & in omni materia ad disputandum proposita, de quæstione an sit semper inquirere. Si enim quæstio de Pygmæis proponatur, vtrum cum gruibus bella gerant, quæri primum necesse est, an sint Pygmæi, cùm res vehementer sit incerta. At si quis de luna quærat, vtrum suo an alieno lumine luceat, qui prius an sit luna inquirendum esse putaret, dignum esse quem sensu carere omnes iudicarent. Rectè ergò Aristoteles in Ethicis, nunquam in deliberationem ea, quæ sensibus sunt exposita, cadere dicit. Nam si aliqua de his susciperetur deliberatio, res ad exitum (in-

Scarga dū Volanum reprehendere studet insciti am suā prodit.

quit ille) perduci nunquam posset. Dum ergo, Petre, magnum ingenij acumen, magnámque grauissimarum artium cognitionem ostentare vis, insciti am tuam vehementer prodis. Nam neque omnes quæstiones hunc ordinem, quem tu vis, requirunt, nec grauium artium nomen ea merentur, quæ tyrunculi in scholis discunt, nisi tu forsan in græcula vsurpata voce, quam Analysin, & non resolutionem vocasti, magnum acumē inesse putas. Atque vt indoctus ego sim, quod ingenuè fateor, te tamen, Petre, æquè indoctum nec mihi nec cuiquam istud exprobrare decet, quādo meminisse debebas, Carere oportere omni vicio illum, qui in alterum dicere paratus est. Te enim apud imperitam plebeculam satis festiuè concionantem aliquoties audiui, grauissimarum autem artium disciplinas studiosis adolescentibus nunquam te proposuisse, optimè noui. Quocirca miror eum qui tibi hanc fabulam composuit, téque ad peragendam eam in scenam protrusit, non bene decorum personæ seruasse. Achillem te enim vbique fingit, cùm Thersitem facere debebat.

Analysis quid sit.

Sed neque hoc silentio prætereūdum mihi esse puto, istam methodicam siue Dialecticam tractādæ quæstionis rationem, quam tu Analysin vocas, non omninò Analysi conuenire. Hanc enim docti continuatam causarum ex causis persecutionem esse definiunt, donec ad prima illius rei de qua quæritur principia perueniatur. Ita verò hæc rem retexit, & à causis ad principia progreditur, cùm Methodus prima rerum principia proponat, ac deinde causas, effectúsque inquirat. Sed de vocabulo tecum contendere nolim, hoc vno contentus, quòd in ordine tractandi suscepti argumenti abs te requirendo, quocunque tu eum nomine

nomine voces, minimè aberrauerim. Quod enim antea scripsi, idem & nunc repeto, præposterum nimirū ordinem in explicanda tua de Sacramento sententia fuisse institutum, qui prius demonstrandum tibi proposueris, Corpus Christi realiter & substantialiter in Sacramento esse, ídque tam à malis quàm à bonis manducari, ac deinde ad Transubstantiationem probandam accesseris. Nam qui Transubstātiationé probare potest, nihil est quod in reliquis duobus probandis laboret, quando hæc ex illa probatione consequuntur, at non econtrà. Nec diffiteris hoc tu ipse, qui transubstantiatione probata, duo illa constare dicis, eúmque iam ordinem in hoc secūdo tuo scripto sequeris. Nulla ergo fuit causa, cur ordinem à me propositum damnares, quem tuo vicissim iudicio comprobasti, nisi vt quàm tibi tecum non conueniat, omnibus demonstrares. Antequam autem ad Transubstantiationem probandum accedas, primùm in nos vehementer inuehéris, & quod deplorabam ego factum, in nos retorques, nimirum id nobis rectè imputari asseuerans, quòd Sacramentum hoc summæ consolationis plenum, & mutuæ pacis vinculum, pomum Eridos reddiderimus. Per mille enim & quingentos annos vnam & eandem omnium de hoc Sacramento viguisse confessionem ostendere niteris, & ad nostra vsque secula deductam, ac in Ecclesia Catholica conseruatam: quòd nimirum illa omnibus temporibus secundum traditionem Christi & Apostolorum non aliter crediderit, quàm corpus ipsum Christi & sanguinem sub accidentibus panis & vini realiter contineri, Christúmque sub hoc specierum velamine corpore suo præsentem verè adorari ac manducari. Nam

Scarga dissimulat se à Volano doctum, consilio tamen ipsius paret.

„ quòd Berengarius ante sexcentos annos, vnanimem fidei confessionem noua de Sacramento
„ sententia euertere voluerit, huius perfidia cito expugnata, pacem Ecclesiæ redditam fuisse scribis,
„ atque sic victricem per sexcentos annos de Berengario triumphasse Ecclesiæ fidem.

Tres Euāgelistæ & Paulus diserte dicunt Iesum accepisse, fregisse & dedisse panem. Matt. 20. 26. Marc. 14. 22 Lu. 22. 19. 1. Cor. 11. 22 & 23.

Tu verò, Petre, si hoc persuadere omnibus cupis, nouam diuinæ vocis & Apostolicæ doctrinæ formam constituas, ac omnem totius antiquitatis memoriam ex animis hominum deleas oportet. Nam neque Christus in extrema sua cœna accidentia panis & vini, sed ipsum panem & vinum Sacramentum corporis & sanguinis sui instituit, neque Catholica Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus per multa secula de accidentibus à substantia detractis quidquam somniauit. Nouum enim hoc & veteri Ecclesiæ incognitum commentum, & à Sophisticis ac curiosis ingeniis introductum certissimis argumētis comprobamus. Tot támque celebres vetustissimi illi in Ecclesia Christi extiterunt scriptores, sed qui in explicando hoc mysterio de accidentibus, abolita substātia panis aliquid dissereret, legimus neminem. Maiorem enim illi honorem & Christi instituto, & tam perspicuæ ac nullis tenebris inuolutæ doctrinæ Apostolicæ tribuebant, quàm vt lasciuienti prudentiæ humanæ fræna laxarent, & supra Deum euolare tentarent. Panem ergo cœnam dominicam celebraturi in canistris ex vimine textis & vinum in ligneis vasis afferebant, neque ista, quæ manibus eorum fuerunt confecta adorabant, sed vescentes his, & supra corpoream creaturam animum attollentes, illo spirituali cibo, qui neque vinum neque panis materialis est, corpore nimirum & sanguine Christi animam spiri-

Vide Eusebij Historiæ li. 6. cap 44. Hieronymum, ad rusticum monachū in fine.

spiritualiter reficiebant. At postquam sequens ætas antiquam & Apostolicam simplicitatem pertæsa, nullum iam panem & vinum amplius habere voluit, sed panem in ipsum Christum transformauit, & vinum tanquam non necessarium Christi institūtum superbè rieceit, thecas iam argenteas & aureas Christo præparauit, atque sic Christum inuisibilem sub visibilibus accidentibus panis adorandum omnibus proposuit. Perierat ergo, proh dolor! creberrima illa corporis & sanguinis dominici communicatio, qua Christi populus mutuam suam in Christo coniunctionem, & profluentem ab vno capite in omnia membra salutem testabatur. Ac loco sacratissimæ Synaxeos & Eucharistiæ, pro tam immenso beneficio Dei debitæ, impia excreuit artolatria. Tanta autem actionis disparitas, tanta rituum primis & postremis Ecclesiæ temporibus diuersitas, tam diuersæ & repugnātes prioris & posterioris seculi scriptorum de hoc Sacramento sententiæ, non certe vnam & cōstantem omnibus temporibus, sicut tu Petre fingis, viguisse doctrinam arguunt, sed temporis successu deprauatum Domini institutum, & violatam doctrinam Apostolicam manifestissimè conuincunt. Tantum autem sibi præsumpsit humana curiositas, vt cum ætate Cypriani traditionem diuinam inuertere quidam ausi fuerint, hoc nomine ab ipso Cypriano erroris fuerint accusati, & à prana temeritate ac consuetudine mala, ad ipsum Christi Domini salutare institutum reuocati. Ita enim Cyprianus Epistolarum libro secundo Epistola tertia scriptum reliquit. *Non est*, inquit, *frater charissime, quod aliquis sequendum existimet quorundam consuetudinem, si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putauerunt.*

Cyprianus corruptelis cœnæ Dominicę restitit.

Quærendum est enim ipsi quem sint sequuti. Nam si in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, vtique id nos audire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, cùm ipse in Euangelio suo dicat: Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos seruos sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiam de cœlo contestatur dicens: Hic est filius dilectissimus in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cùm per Esaiam Prophetam Deus loquatur & dicat: sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docẽtes.

Esaiæ. 29. Mat. 15. 7. 8.

Ex his verò Cypriani verbis agnoscis, Petre, quid semper in Ecclesia molitus fuerit Sathan, vt puritatem institutionis dominicæ inquinaret, & quæ consilia fideli populo sint sequenda, vt nulli consuetudini quantũuis vetustæ cedant, sed Christo ipsi Domino firmissime semper adhæreant. Tu autem sexcentorum annorum consuetudinem, & vi ac tyrannide, stultáque populi credulitate, falsam & impiam confirmatam doctrinam, tantum robur habere vis, vt nec quid Christus ipse fecerit, nec quid aliis faciendum mãdauerit, nec quid prisca illa ac sancta antiquitas, longo tempore obseruauerit, attendendũ putes. Triumphabat (inquis) Ecclesia per sexcentos hosce annos de Berẽgario victrix. Non Ecclesia ô bene triumphabat, quæ in miseris oppressa sordibus iacuit, & gemens ad Dominum crebro suspirauit, sed triumphabat

Non consuetudini sed Christo adhærendum.

Ecclesia Iesuitis est Papa cum suis rasis & vnctis.

phabat cum vniuerso suo clero pontifex Romanus, tanta iam potentia, tantísque opibus suffultus, vt cùm de vno imperio mundi certaret, & capita Principum superbo pede calcaret, non de Regno Christi amplius promouendo, sed de dignitate sua augenda & amplificanda laboraret. Itaque quãta omni hoc tempore vulnera acceperit, quàm miserè fuerit fædata Ecclesia Christi, quantumque sanguinis humani fuerit profusum, dum belluæ istæ & Imperatoribus Romanis bella mouent, eosque inuicem committunt, & ipsæ inter se venenis ac gladiis de occupanda sede Romana decertant, id pium pectus sine ingenti dolore commemorare nequit. Certè quo tempore Berengarius à Pontifice Romano fuit condemnatus, tanta omnis nequitiæ, crudelitatis & impietatis à Pontificibus edebantur exempla, vt omnes ferè vno consensu Historici, sanctimoniam & pietatem à Pontificibus abiisse, & ad Imperatores transiisse scriptum reliquerint.

In Syluestro tertio

Platina quidem, tametsi plurima multorum Põtificum, quæ commemorant alij, flagitia silentio prætereat, illud tamen illis temporibus tribuit, eóque pontificatum deuenisse scribit, vt qui plus largitione & ambitione, non sanctitate vitæ & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & reiectis, obtineret, *quem morem*, inquit ille, *vtinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum est*, inquit, *peiora (ni Deus caueat) visuri aliquando sumus.* Et sub Innocentio tertio, qui quæstionem transsubstantiationis diu agitatam, tandem in Concilio Lateranensi approbauit, talis in Ecclesia rerum status fuit, vt Abbas Vspergensis describens illa tempora, exclamauerit: Habes Roma quod sitisti, decanta Cã-

Vide Balæum in Cœlestino tertio.

ticũ,quia per maliciam non piã religioné orbẽ vicisti.Neminiergo mirũ esse debet,si in tanta malarum rerum omniũ licentia,in tãta scelerum impunitate & totius pietatis euersione,iustum suum Deus omnipotens exercuit iudicium, tantámque veræ religionis ad nostra vsque tempora passus est subsequi ruinam. Nec verò noua quædam & olim inaudita de Sacramento corporis & sanguinis Dominici,in Berengario condemnata fuit sententia, sed vetustissimorum in Ecclesia patrum consensu longo tempore retenta. Illa verò transubstantiationis noua & antiquis patribus fuit incognita, ac ducentis ad summum annis ante Berengarij ætatem in Ecclesia sparsa. Quæ iam quoque tum, ne quid erres,Petre,suos habuit oppugnatores,doctosque simul & pios veritatis Apostolicæ defensores. Bertramus enim,qui sub Carolo rege Galliarum,magni illius Caroli nepote vixit,& ob excellẽtẽ doctrinã ac insignem vitæ pietatem Regi, bonisque omnib.charissimus fuit,eruditũ quendã Rege ita postulãte,de Sacramento corporis & sanguinis domini cõscripserat librũ. In eo verò duas quæstiones ille sibi propositas fidelissimè explicauit, & quæ doctrina de hoc Sacramẽto esset Apostolica ac veterũ patrũ, diligẽtissimè exposuit.

Bertramus presbiter aduersus transubstantiatores librũ scripsit circiter ã num. 830.

Prima autem erat quæstio.An quod in Ecclesia fidelium ore sumitur corpus & sanguis Christi in mysterio fiat,an in veritate? Posterior erat huiusmodi,verũ ipsum corpus quod natũ est de virgine, & sedet ad dextrã patris,sit quod ore fidelium per Sacramentorum mysteria sumitur in Ecclesia. Ad priorem ergo responsurus,initio definit, quid figura & quid veritas sit. Figura, inquit, est obumbratio quædam, quibusdam velaminibus quod intendit ostendens: verbi gratia, verbum volentes dicere panem nuncupamus, sicut Christus in

Quæstiones Bertramo propositæ.

Responsio ad priorẽ.

Figura quid sit.

Euangelio loquitur dicens.Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Vel cùm seipsum vitem, Apostolos appellat palmites. Hæc enim omnia aliud dicunt, aliud innuunt. Veritas verò est rei manifestæ demonstratio,nullis vmbrarum imaginibus obuelatæ,sed puris & apertis, (vtque planius eloquamur)naturalibus significationibus insinuatæ:vt cùm dicitur,Christus natus de virgine, passus,crucifixus,mortuus,& sepultus. Nihil enim hîc figuris obuelantibus adumbratur,verùm rei veritas naturalium significationibus verborum ostenditur,neque hîc aliud licet intelligi quàm dicitur. At in superioribus non ita.Nam substantialiter nec panis Christus, nec vitis Christus, nec palmites Apostoli. Quapropter hic figura,superius verò veritas in narratione monstratur,id est, nuda,& aperta significatio. His ad hunc modum expositis, ad quæstionem ita respondet. Si nulla sub figura mysterium illud peragitur,iam mysterium non ritè vocatur, quoniam mysterium dici non potest,in quo nihil est abditum, nihil à corporalibus sensibus remotum,nihil aliquo velamine contectum. At ille panis,qui per sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur: aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat,forma prætenditur,color ostenditur, sapor accipitur,ast interius lõgè aliud multo pretiosius, multóque excellentius intimatur, quia cœleste,quia diuinum,id est, Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur,vel accipitur,vel cogitur: Vinum quoque quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur Sacramentum,aliud superficie tenus ostendit,aliud interius

Ioan.6.51. Ibidem 15.1.

Mysteriũ non mere tur dici, quod ni hil abdici notet.

Nota substantiam vini remanere in Sacramento

continet. Quid enim aliud in superficie, quam substantia vini conspicitur, & probatur dum odoratur? Hæc ita esse cùm nemo possit negare, claret, quia panis ille vinúmque figuratè Christi corpus & sanguis existit. Non enim secundum quod videtur, vel carnis species in illo pane cognoscitur, vel in illo vino cruoris vnda monstratur, cum tamen post mysticam consecrationem nec panis iam dicitur, nec vinum, sed corpus Christi & sanguis. Et iterum: Qui ista in veritate non figura fieri putant, sanctorum patrum scriptis contraire comprobantur. Nam S. Augustinus Doctor Ecclesiæ præcipuus in libro de doctrina Christiana, ter-

Bertramus autoritate Augustini sua cõmunit.

tiò, ita scribit: *Nisi manducaueritis, ait saluator, carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.* Cernimus quod doctor iste mysteria corporis & sanguinis Christi sub figura dicit à fidelibus celebrari. Nam carnem illius, sanguinémque eius sumere carnaliter, non religionis dicit esse sed facinoris. De quibus fuerant illi,

Ioan. 6. 66

qui in Euangelio dicta Domini non spiritualiter sed carnaliter intelligentes, recesserunt ab eo, & iam cum illo non ibant, & cætera.

Responsio Bertrami ad posteriorem quæstionẽ

Ad posteriorem quæstionem sic respondet: Dicimus quòd multa differentia separantur, corpus in quo passus est Christus, & sanguis quem pendens in cruce de latere suo profudit, & hoc corpus quod in mysterio passionis Christi quotidie à fidelibus celebratur, & ille quoque sanguis, qui fidelium ore sumitur, mysterium sit illius sanguinis quo totus redemptus est mundus. Iste namq;

panis

panis & iste potus, non secundum quod videntur, corpus siue sanguis existunt Christi, sed secũdum quòd spiritualiter vitæ substantiam subministrãt. Illud verò corpus, in quo semel passus est Christus, non aliam speciem præferebat, quam in qua consistebat. Hoc enim erat verè quod videbatur, quod tangebatur, quod crucifigebatur, quod sepeliebatur: similiter sanguis illius de latere manans, non aliud apparebat exterius, & aliud interius obuelabat. Verus itaque sanguis de vero corpore profluebat: ast nunc sanguis Christi, quem credentes bibunt, & corpus quod comedunt, aliud sunt in specie, aliud in significatione, aliud quod pascunt corpus esca corporea, aliud quod saginant mentes, æternæ vitæ substantia. Ac deinde subiicit. Quapropter corpus & sanguis quod in Ecclesia geritur, differt ab illo corpore & sanguine, quod in Christi corpore per resurrectionem iam glorificatum cognoscitur. Et hoc corpus pignus est & species, illud verò ipsa veritas. Hoc enim geritur donec ad illud perueniatur: vbi verò ad illud peruentum fuerit, hoc remouebitur. Apparet itaque quòd multa inter se differentia separantur quantum est inter pignus, & eam rem pro qua pignus traditur, & quantum inter imaginem & rem cuius est imago, & quantum inter speciem & veritatem. Videmus itaque multa differẽtia separari mysterium sanguinis & corporis Christi, quod nunc à fidelibus sumitur in Ecclesia, & illud quod natum est de Virgine Maria, quod passum, quod sepultum est, quod resurrexit, quod cœlos ascendit, quod ad dextram Patris sedet. Hoc namque quod agitur in via, spiritualiter est accipiendum, quia fides quod non videt credit, & spiritualiter pascit animam, & lætificat cor, & vitam præbet

Differẽtia veritatis & signi.

æternam,& incorruptionem,dum non attenditur quod corpus pascit, quod dente premitur, quod per partes comminuitur,sed quod in fide spiritualiter accipitur. At verò illud corpus in quo passus est & resurrexit Christus, proprium eius corpus existit, de virginis Mariæ corpore sumptum, palpabile seu visibile etiam post resurrectionem: Sicut ipse discipulis ait: Quid turbati estis,& cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas & pedes meos,quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet,sicut videtis me habere. Ac deinde: in hoc nec aliqua figura, vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio cognoscitur, & ipsius visionem credentes desiderant, quoniam ipse est caput nostrum,& ipso viso satiabitur desiderium nostrum. At in isto quod per mysterium geritur, figura est non solum proprij corporis Christi, verumetiam credentis in Christum populi, vtriusque enim corporis,id est, & Christi, quod passum est & resurrexit,& populi in Christo per Baptismum renati, atque de mortuis viuificati figuram gestat. Addamus etiam,quod iste panis & calix, qui corpus & sanguis Christi nominatur, memoriam repræsentat Dominicæ passionis siue mortis, quemadmodum ipse in euangelio dixit. Hoc facite in meam commemorationem: Quod exponens Apostolus Paulus dixit, quotiescũque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis,mortem Domini annunciabitis donec veniat. Docemur à Saluatore,nec non à sancto Apostolo Paulo, quòd iste panis & iste sanguis, qui super altare ponitur, in figuram siue memoriã dominicæ mortis ponatur, vt quod gestum est in præterito, præsenti reuocet memoriæ. Vt illius passionis memores effecti, per eam efficia

Lucæ 24. 38.

Math. 26. Mar. 14. 1. Cor. 11. 25.

efficiamur diuini muneris consortes, per quam sumus à morte liberati: Et paulò post: Nec ideò quoniam ista dicimus putetur in mysterio Sacramenti corpus Domini, vel ipsius sanguinem à fidelibus non sumi, quando fides, non quod oculis videt, sed quod credit, accipit. Quoniam spiritualis est esca, & spiritualis potus, spiritualiter animam pascens,& æternæ satietatis vitam tribuens, sicut ipse Saluator mysterium hoc commendans loquitur: Spiritus est qui viuificat, nam caro nihil prodest. Ioan. 6. 63.

Hæc verò Bertrami tam prolixa de Sacramento corporis & sanguinis Domini sententia, satis dilucidè demonstrat veram sinceram & Apostolicam de hoc mysterio doctrinam ad illa vsque tempora fuisse conseruatam, & tunc primum carnalem istam de permutatione elementorum in res ipsas opinionem à quibusdam fuisse excitatam. Quid autem obsecro à Bertramo proponitur, quod non analogiæ fidei & scripturis sanctis optimè respondeat,& quod mysterij huius dignitatem non exactè explicet? Quid porrò aliud docet, nisi quod tot ante seculis Diuus docuit Augustinus,& erudita, ac sancta illa tradidit antiquitas? Huic verò adiunxit se socium Ioannes Scotus Philosophus, vir magna diuinarum literarum cognitione instructus, nec minore vitæ integritate & pietate (vt testantur omnes Historici) præditus, qui itidem libro de corpore & sanguine Domini conscripto, non dissimilem doctrinæ Bertrami sententiam exposuit, eámque claris scripturæ sanctæ ac veterum patrum testimoniis luculentissimè comprobauit. Sed Petrus Scarga ad eleuandam Bertrami authoritatem, nunc eum scriptorem obscurum vocat, nunc verò de hæresi suspectum, & propterea pa-

Hic Scotus Synchronus fuit Bertrami.

trem Berengarij vocitatum, nunc iterum fautorem transſubſtantiationis facit, & ex ſententia quadam truncata obſcuriúſque dicta, tam perſpicuum illius ſenſum obſcurare ac euertere ſtudet.

Multitudine aliter ſentiẽtium Ieſuita Bertramum vult reprimere.

Verùm cùm tranſſubſtantiationis commentum & corporalem Chriſti in Sacramento exiſtẽtiam in eo libro impugnandam ſibi ſumpſerit, & cùm mẽtem ſuam clarioribus verbis apparuerit, quàm vt vel minimam ſuſpicionem diuerſæ ſententiæ alicui præbere poſſit, multitudine tandem hominem opprimit, & maiorem fidem Lanfranco Cantuarienſi, Adelmanno Brixienſi, & Hugoni Linconienſi Epiſcopis adhibendam eſſe aſſerit, ipſiſque adeò Conciliis tribus, Romano, Turonenſi & Vercellenſi, quæ deinde Bertrami ſententiam in Berengario condemnarunt, anathemáque contra ipſam pronunciauerunt. At verò ſi multitudinis iudicium veritati præponderare debet, rectè & Chriſtum ipſum condemnatum dicemus, eo quod tota ſacerdotum cohors cùm Põtificibus in ipſum conſpirauerit, reúmque mortis ob falſam doctrinam, ſicut illi putabant, pronunciauerit. Sed quod conſilium in occidendo Chriſto tunc ſequuti illi fuerunt, non diſſimilis & Pontifices Romanos impulerat ratio, vt eam doctrinam Chriſti de medio tollerent, quæ quantum illuſtrandæ gloriæ Chriſti ſeruiret, tantum de commodis ac dignitate ſacerdotum detraheret: Nunquam enim ad tantam nominis amplitudinem, & ad tantas opes ſacerdotes peruenirent, ſi ſimplex illa, & Apoſtolica doctrina de vera ac ſpirituali corporis & ſanguinis Chriſti communicatione in Eccleſia eſſet retenta. Omnes enim oues Chriſti poſt vnicum illud & precioſiſſimum eius mortis ſacrificium ſemel in cruce peractum

Iſti vixerunt circiter annũ 1060.

Sacerdotũ opes vnde creuerint.

peractum, in communem ſacerdotij dignitatem ſe aſcitas agnoſcebant, vt hoſtias Deo, quæ ſolæ iam ſupereſſent, ſpirituales offerrent, Chriſtíque beneficium, participes corporis & ſanguinis illius factæ perpetua gratiarum actione proſequerẽtur. At poſtquam nouum ſacrificium in Eccleſia eſt inuentum, nouíque conſtituti ſacerdotes, qui pro expiandis tam viuorum quàm mortuorum peccatis hoſtias Deo immolarent, iſti & viuentes & morientes ſimul omnibus opibus ſpoliarunt, ad tantámque potentiam, vt regibus & imperatoribus formidabiles eſſent, peruenerunt. Hoc enim illud aureum vellus eſt pro quo tam acriter Argonautę iſti decertauerunt, ac ſuperatis tandem omnibus difficultatibus beneficio tranſſubſtantiationis, tanquam Medeæ alicuius vſi, illud aſportauerunt, regnúmque Chriſti, illum de poſſeſſione ſua pellentes, ſibi vſurpauerunt.

Miſſa Papiſtica aureum vellus.

Hanc verò tam ſceleratam regni malè quæſiti poſſeſſionem, iuge illud Sacrificium Scarga vocare non erubeſcit, quòd nimirum Daniel Propheta vltimis ſeculis prædixit ab Antichriſto expugnandum, vt eo nomine nos Antichriſti præcurſores vocet, qui ſacrificium hoc de medio ſublatum eſſe cupiamus. Nemini quidem dubium eſt, qui hiſtorias legit, & vaticinium illud Danielis rectè ſecum expendit, ac cùm his confert, quæ in libro Machabæorum de Antiocho Epiphane ſcribuntur, Prophetam de illo vaticinatum fuiſſe, & eas clades, quæ templo Dei intulit Antiochus, verè prædixiſſe. Sed quia ille, vt multis videtur, Antichriſti etiam typum geſſit, non recuſamus iſtam ſanè conditionem, vt in quem Antichriſti nomen competat verius, & qui illius omnia facta exprimat rectius, omnes qui modò ſanæ mentis & pie-

An ſit iuge ſacrificium, cuius meminit Daniel cap. 8. 11.

tatis aliquam habent scintillam, diiudicent. Natri quis ille sit, qui pro vero vnici Dei cultu idola in templo constituat, qui Deum Maosin auro & argento colat, qui sacrum coniugij vsum interdicat, & spurcas ac obscœnas libidines nulla animaduersione dignas iudicet, vt quæstum etiam ex his in vrbibus suis faciat. qui hoc non considerat, dignus est, qui & mente & oculis captus, in perpetuis tenebris delitescat. Iuge autem & perpetuum Christi Sacrificium, an non penitus ille ex animis hominum sustulit, qui nouum quoddam suum erexit, & pro cruento, incruentum, pro vnico sacerdote totius antiqui sacerdotij consummatore, tot nouos sacerdotes, vt eos vix mundus capiat, substituit. Sed qua cæcitate gens impia Iudaica à Domino percussa est, vt saluatorem & regem suum Iesum Christum agnoscere nequeat, aduentúmq; eius etiamnum præstoletur: ita eueniisse videmus, vt pseudochristiani quidam hostem illum acerrimum Christi minimè agnoscãt, sed pro ipso Christo adorent, & ad pedes eius venerabundi procidant. Et quemadmodum Iudæi illustria scripturæ testimonia de Christo sibi promisso falsis interpretationibus corruperũt, multáque fabulosa pro veris ac certis Dei oraculis stolidè finxerunt: Ita isti Antichristum in scripturis sanctis graphicè depictum, & veris suis coloribus adumbratum considerare nolunt, & in fabulis de eo suis suauiter conquiescunt. Quæ enim Romanæ Ecclesiæ scriptores de Antichristo tradunt, quam originem eius futuram commemorant, quibus armis ac viribus ipsum instruunt, quod tempus regno eius definiunt, adeò vana, fabulosáque omnia sunt, vt vel anicularum superent deliramenta. Sed Dominus ipse ad iudicandum orbem post expleta iam ferè

Iuge sacrificium Papa sustulit

Romanistarum de Antichristo stolida scripta.

ferè omnia, quæ à Spiritu sancto prædicta fuerunt breui venturus, efficiet hoc illustri & inopinato istis aduentu suo, vt se illi vana spe, hi vano metu non sine magno suo malo delusos sentiant. Nos item sicut vnicum salutis nostræ ducem & autorem de cœlo à Patre in terras semel missum Dominum Iesum Christum, æternum æterni Patris filium toto pectore confitemur, ita Antichristum iamdiu regnantem, pectoráque hominum excæcantem, & ab hoc vnico salutis fonte ad diuersas creaturas auocantem, iustè ac meritò execramur. Tantæ autem spei nostræ, quam firmam & immobilem in hoc vnico saluatore nostro fixam habemus, certissimum hoc etiam argumentum, cœnam videlicet Christi Domini nitori suo pristino restitutam, & à sordibus ac inquinamentis Antichristi omnibus fœliciter repurgatam, vehementer gaudemus. Hæc enim nos communis mensæ Domini participes faciens, & in vnum corpus congregans, ab vno illo capite totam corporis, animæque salutem manare docet, nósque firmissimo nexu ac vinculo cum eo colligat.

Vsus cœnæ Dominicæ.

Quod autem tu mutuæ huius coniunctionis vinculum nos dissoluisse, & sacra Eucharistia ad omnes contentiones abuti cœpisse clamitas, hanc nos calumniam non iniquo ferimus animo, dum communem nobis cum sanctis illis Prophetis & Apostolis agnoscimus, & in asserenda fortiter Euangelij doctrina, turbatores pacis iniquè vocamur. Nunquam enim illud lætum Euãgelij semen pullulat, quin Sathan ad euellendum illud cum omnibus suis copiis accurrat, & in plantatores vineæ Domini omnes suas vires conuertat. Sin autem illi extirpari hoc, quod per manus eorum fœliciter Dominus cõseuit, non patiũtur, & omnem

Iesuiticæ calumniæ refutatio.

hostium conatum strenuè repellunt, non illi debito suo officio perfungentes, sed hostes Christi opus Domini demolientes, omnium turbarum, seditionum, ac cædium authores existunt. Nec verò diffitemur aliqua etiam interdum inter fratres, exoriri certamina, vt hanc dissensionem fratrũ nostrorum, quos tu Lutheranos vocas, vehementer deploremus, nihilque magis cupiamus, quàm vnanimes & concordes eiusdem sacri conuiuij nobiscum fieri participes: sed gratiam & misericordiam omnipotentis Dei implorantes, eos quoque eiusdem nobiscum futuros sententiæ breui speramus. Magna enim, illorum pars se subinde cœtibus nostris associat, & sicut vna fidei confessione, vnicum redemptorem ac saluatorem Christum Iesum nobiscum celebrat, ita hanc communem fidei ac salutis nostræ tesseram summa conscientia rum tranquillitate vsurpat. Videmus hoc tempo-

Id porro factum est anno 1577 Vilnæ.

ribus Apostolorum euenisse, vt qui essent ex circuncisione fratres, necessitatem circumcidendæ carnis, his qui erant ex præputio, imponere voluerint, magnámque hoc nomine inter fratres contentionem excitauerint. Sed has quoque turbas tempore suo Dominus cõposuit, discussisque per Spiritum sanctum omnibus discordiæ nebulis, lęta pace ac serena tranquillitate omnium mentes exilarauit. Non miramur profecto populum Dei longa seruitute Antichristi pressum, & in carcere ac tenebris transubstantiationis diu detentum, oculos mentis etiamnum attollere non posse, & in tam clara luce quodam modo cæcutire. Sed hanc quoque caliginem ab oculis eorum Dominus absterget, istáque mẽtis & fidei acie instruet, vt quo longius splendido diuinę veritatis sole caruerint, tanto auidius illum posthac contueantur, istásque

Actor 15. vers. 1. 2.

cœcas

cœcas sathanæ tenebras magis auersentur.

Quod autem tu nostris scilicet insultans dissen De cõsensu & communione Papistarũ.
sionibus, interim vos vnanimes in domo, sicut ab initio accepistis in circuitu mensæ Domini epulantes, veros esse obedientiæ, pacísque filios gloriaris, id quàm procul absit à vero, res ipsa clamitat, vanámque tuam gloriam manifestè coarguit. Vos enim hæreditatem Domini omnibus ex æquo filiis à benigno & clementi patre relictam, sacrilega manu diripuistis, solique cõiuiantes reliquos fratres à societate mẽsæ Domini, tanquam spurios & hoc cibo indignos superbè repulistis. Itaque vos solos epulantes, & ad mensam Domini, ostróque decoros astantes, ipsi pannosi & seruili habitu induti adorant, neque mensam illam miseri ac famelici contingere audent. Quod si cibum illum aliquando in publicum profertis, omnésque ingenti clamore, & stentorea voce, ad manducandum panem & bibendum vinum inuitatis, solo tamen spectaculo animos eorum pascentes inani, satísq; diu illos ludificati, tandem cibum illum ab oculis eorum remouetis, & in arculas conditum blattis ac tineis, vel muribus rodendum relinquitis. Atq; vt semel vel bis contingat in anno ad istas dapes eos admitti, quæ tamen vobiscum illis debebant semper esse communes, ibi demum notabili iniuria illos afficitis, & solo eos cibantes pane, à poculo Domini bibendo, quod omnibus ille exhibere voluit, indignè arcetis. Cùm autem omnia ita se habeant, vt negari omnino nõ possint, tamen Scarga sine omni pudore, omnes in circuitu mẽsæ Domini assidere, idque quod ab initio illis fuerat traditum, vsurpare perhibet. At verò traditum à Domino istud fuerat, quod & diuus Paulus se ab eo accepisse, tam luculento testimonio comprobat,

1. Corin. 11. 22 & 23.

vt omnes in simul conuenientes panem domini frangerent, eósque vescentes & calicem Domini bibentes, memoriam traditi in mortem corporis Dominici & sanguinis illius in remissionem peccatorum effusi celebrarẽt. Vos autem cùm sacrum hoc conuiuium in histrionicum quoddam spectaculum conuerteritis, & à memoria mortis Domini mentes hominum ad lusus quosdam inanes, & oblectamenta corporis auocaueritis, non quod à Domino traditum, sed quod ab impuris & impiis hominibus est introductum, impiè vsurpatis.

Missa saltatio theatrica.

Nam quòd calicem Domini ouibus Christi sustulistis, adeò omni ratione caret, vt cùm multa, ad mentiendum satis alioqui ingeniosi, confingatis, nihil tamen probabile afferre possitis? vnus tamen scriptor vester Aiala quidam, Episcopus Guidixiensium, aliquid fortasse, quod calculo vestro dignum sit, vobis dixisse videbitur. Hic enim cum se multum, diúque cogitasse scribit, quo tempore aut quibus de causis altera pars Sacramenti populo fuerit adempta, nihil certius inuenire se potuisse asserit, nisi quòd, cùm multi odorem vini ferre nequeant, ac propterea ad vomitum facilè prouocarentur si vinum gustarent, huic periculo ita fuisse prouisum perhibet, vt calicis vsus omnibus interdiceretur. Accessisse verò ait aliud periculum: nempe si sanguis Domini diu asseruaretur, verendum erat ne acesceret. O grandes & iustas causas, cur sancta & immobilia Domini instituta pecudes istæ violarent, & ex nausea vomitum perpetuò meditantes, sitientes alios à tam suaui ac salutari potu excluderent. Sed quam necessitas vni alicui imponeret legem, vt à vino abstineret, an omnes reliquos ab hac necessitate exemptos, eodem legis vinculo constringi decebat? Sanguinem verò Domini, qui

De cõmunione sub altera specie.

Martini Peresij Hispani ridicula commenta, in Assertionibus de traditionibus.

amplius transubstantiatione facta non sit vinum, quomodo in acetum conuerti posse affirmatis? Sed quia verè in acetum conuertitur, verum profectò esse vinum, non abiecta substantia sua, tametsi sacramentum sanguinis sit, re ipsa & non vana aliqua specie oculos fallente, ostenditur. Ita verò Cretenses isti parum mendacij sui memores se ipsos decipiunt, & dum insidias aliis struunt suis se laqueis inuoluunt.

Papani imprudẽtes veritatem fatẽtur.

Cum autem tanta sit in hoc eorum dogmate vanitas, vt se ipsam tot absurdis vbique redarguat: tamen Scarga mutationem panis in ipsum reale corpus Christi se ostensurum pleno ore iactat, & sicut aqua in verum & naturale vinum à Christo fuit conuersa, vinúmque sine vllo tropo est dicta, ita panem in Christi corpus secundum substantiam mutatum, verè & sine vlla figura corpus Christi dici pronunciat. Detonat enim in me grauiter, qui in verbis Domini sacramentum hoc instituentis, & panem quem fractum dederat discipulis manducandum corpus suum nuncupantis, figuratum & non proprium agnoscam esse sermonem. Ibi enim figuras habere locum contendit, vbi nulla rerum consequitur mutatio, vbi nulla subiecti in prædicatum probatur conuersio. Ex quo genere illas propositiones esse agnoscit, Christum esse vitem, petram, agnum, in quibus subiecti & prædicati semper agnoscitur diuersitas, non autem hanc, in qua quod de pane dicitur, illud verum esse corpus Christi, nullo amplius existente pane, perhibetur. Istud quidem, Petre, vos perpetuo iactatis, sed quia falsissimum & ab omni veritate alienum est, nunquam probare potestis. Reuincit enim vanissimum hoc vestrum commentum ipsa Christi vox, ipsáque my-

De Trãssubstantiatione.

sterij à Domino instituti perspicua actio :reuincit Apostolus Paulus, reuincunt vetustissimorum in Ecclesia patrum scripta, ipsáque elementorum semper eadem & integra manens substantia. Ac primùm Christus ipse post cœnam peractam, & mysteria diuina ab Apostolis percepta, dicit se non amplius bibiturum de hoc fructu vitis. Vinum ergo re ipsa quod biberit, & non ipsam externam saltem formam aut speciem vini fuisse testatur Christus. Actio verò ipsa cœnæ dominicæ apertissimè ostendit, quòd nimirum Christus panem fregerit,& fractum discipulis manducandum dederit,déque pane ipso,& non de externa ipsius forma dixerit : Accipite, manducate,hoc est corpus meum. Panem ergo sacramentum corporis sui pro nobis immolandi esse voluit,neque tamen eum, quod ad substantiam attinet, immutauit. Panis enim solus, quo ad naturalem agendi modum & consuetum illius vsum, illo tempore frangebatur,panis dentibus Apostolorum terebatur, panis in stomachum traiectus cum aliis cibis miscebatur, neque tamen hæc iniuria ad Christi corpus, quamuis verè ab Apostolis perceptum, quidquam pertinebát. Non ergo panis reipsa in corpus Christi fuit permutatus, sed tantum sacramentaliter & mysticè caro Christi fuit nuncupatus. Neque enim tam insanos vos esse puto, & in Christum filium Dei tam confidenter ac malicioſe blasphemos,vt corpus eius dentibus Apostolorum attritum fuisse,& in stomachum propriè naturalitérque demersum, ac cum reliquis cibis mixtum,dicere audeatis.Res enim fœda,flagitiosa,& dictu horrenda,vos meritò à blasphemo sermone isto deterrere deberet: maximè cùm magistri & authores doctrinæ vestræ, summa absurditate

Argumẽta aduer. Transsubstantiationem.

tate & rei iniquitate deterriti, istud profiteri non ausi fuerint. Quæritur enim ab istis in Glossa decretorũ de consecratione,dist.2.c.*Tribus gradibus*, quidnã fiat cum speciebus sacramentalibus, vtrũ descendant in stomachum,& per secessum emittãtur,& cùm varias recitauerint opiniones,tandẽ sic concludunt : Certum estquod species, quàm citò dentibus teritur,tam citò in cœlum rapitur corpus Christi. Quare cùm corpus Christi secundum sententiam doctorum vestrorum minimè in stomachum descendat, panem autem re vera descẽdere omnes humani sensus comprobent, sequitur necessariò panem in corpus Christi non mutari naturaliter, sed tantùm sacramentaliter. Ergo contra tuam,Petre, mentem,in ista propositione: Panis est corpus Christi, tribuitur prædicatum subiecto non identicè sed figuratè.

Ne autem cauilleris subiectum panis me apponere,quod à Christo non sit nominatum,sed pronomen demonstratiuum *Hoc*, ita esse vsurpatum, vt nihil aliud designet,nisi vnum hoc,quod est in prædicato:audi summum illum Theologum Paulum, & fidelissimum dictorum Christi interpretem. Ille enim de pane non communi & prophano,sed iam sanctificato,& in vsum mysterij destinato:sic loquitur : Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est ? Si ergo secundum sententiam Diui Pauli, panis reuera est qui frangitur,non est vtique panis verum illud & naturale corpus Christi,tametsi corpus,sed sacramentaliter dicatur. Nec verò sola accidentia depereunte panis substantia, illic manere possunt, quando accidentia nulli fractioni sunt obnoxia. Accedunt & alia eiusdem Diui Pauli certissima testimonia:Vnus (inquit) panis,vnũ corpus mul-

Hoc, id est hic panis. 4. arg. ad uersus Transsubstantiationem papisticam.

Panis substantiam etiã post consecrationem in Eucharistia remanere Paulus asserit. 1. Cor. 10.

ti sumus, quia de vno pane participamus. Ecce de vno pane ex multis granis confecto nos participare dicit, ad testandam scilicet corporis mysterij vnitatem, quæ verisimè in ipsa substantia & non in accidentibus panis repræsentatur. Nam si sola accidentia panis manerent, non profectò id Spiritus sanctus fileret, neque per organũ suum Paulum tam salutari & necessaria, vt deliri isti sophistæ putant, doctrina nos defraudaret, sed quæ à stolida humani ingenij curiositate & mysteriorum diuinorum ignara, ac in futilibus suis argutiis sibi placente sunt introducta, perpetuò scripturarum sanctarum silentio sunt sepulta. Toties ergo Paulus panẽ nominat, quoties sacræ huius actionis sanctíque huius instituti mentionem facit. Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit. Res profectò hîc diuersas, sola verò similitudine coniunctas à fidelibus fieri docet Apostolus. Aliud enim est manducare panem & bibere vinum, aliud mortem Domini fideli mente recolere, & grata prædicatione celebrare. Alia enim sunt quæ sub aspectum & sensus cadunt, à solísque sensibus percipiuntur, alia quæ solo fidei ac mentis contuitu cernuntur. Sed belluæ istæ miscent sacra prophanis, & Christum dehonestant, probrísque afficiunt, vt panem adorent, & glorificẽt. verùm quocunque tandem cultu & honore panem prosequantur, neque tamen vera fide instructi Christo vni adhærent, & in ipsum totum cor, animúmque defigunt, adeò nihil hic profuerit panis, vt pro salute certũ sit exitium omnibus istis allaturus. Qui enim (loquitur Paulus) ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Paulus constanter vbiq; Panem Sacramẽtum corporis Christi vocat.

1. Cor. 11. 26.

Ac pro-

Ac propterea requirit Apostolus, vt antè probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de poculo bibat. Ex quibus quidem Apostoli verbis liquidò omnibus constat, non vnam & eãdem rem in hoc sacro conuiuio, sed diuersas, diuersóque modo accipiendas, vt panis nimirum ore manducetur, probatio autem hominis interioris ad percipiendum ipsum Christum requiratur. Quid ergo stultius, magísque impium est, quàm tot perspicuis, clarísque Apostoli testimoniis refragari; ac Spiritui sancto per os illius dicenti tam pertinaciter reluctari?

Atqui vetus illa & primitiua Ecclesia non aliter credidit, & quod ab ipso Christo & Apostolis didicit, diu fideliter retinuit. *Tertullianus* enim contra Marcionem scribens libro 4. panem quem discipulis manducandum distribuerat Christus, figuram corporis Christi vocat. *Ambrosius* libro 4. de Sacramentis, cap. 8. Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. *Chrysostomus* scribens in Psalmum 22. vt quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundũ ordinem Melchisedech nobis ostenderet in sacramento. *Origenes* in Matthæum cap. 15. materiam panis, inquit, nihil prodesse, verùm in ventrem vadere, & per secessum exonerari, sed verbum Domini supra panem prolatum prodesse. Eadem verò passim scribunt *Irenæus*, *Iustinus*, *Cyprianus*, *Hieronymus*, expresè panem nuncupantes, non quidem naturalem ac substantialem panis mutationem in ipsum reale corpus, sed tantùm mysticam ac sacramentalem statuentes.

Veteris Ecclesiæ fides nostræ consona. 5. argumẽtum.

Verùm quia vel vnicum priscæ antiquitatis te-

Scarga susceptæ conditionis oblitus.

stem delegeram ego *Augustinum*, eandémque cõditionem acceptaueras, cuius te nunc parum memorem video, audi quid scribat Augustinus. Hic enim contra Maximinum Arrianum lib. 3. cap. 22. ita loquitur. *In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia.* Si ergo, Petre, sacramenta aliud existunt, & aliud significãt, non profectò in id quod significãt permutantur, quando permutata non amplius existerent, sed hoc saltem vnum quod tu esse vis, sine vlla significatione demonstrarent. Neque enim lapis lapidem, aut equus equum significat, cùm vnam & eandem speciem rei constituant. Accidentia verò panis & vini, quæ tu sola supereſſe absque illo pane comminiscẽris, cùm nulla in parte similitudinem corporis & sanguinis Christi referant, quæ in sacramentis omnibus à Domino institutis semper spectatur, sacramenta esse nequeunt. Ita verò transsubstantiatio tua in fumum abit, & cùm nihil firmi ac solidi habeat vsquam, vltro euanescit. Quòd autem sacramenta similitudinem quandam rerum significatarum exposcant, id testatur idem Augustinus in epistola 23. ad Bonifacium: *Si sacramenta*, inquit, *similitudinem quandam earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, vtique sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque rerum ipsarum nomina accipiunt. Sicut enim secundum quendam loquendi modum, sacramentum corporis Christi corpus Christi est: & sacramentũ sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est.* Ex his verò Augustini verbis duo apertissimè colliguntur: quòd neque panis scilicet reuera in substantiam corporis Christi conuertitur, neque sola accidentia panis, sicut Sophistæ deblaterant, in Sacramento manere possunt.

Si enim propter similitudinem sacramenta rerum ipsarum nomina accipiunt, non profectò in res ipsas mutantur, quando sacramenta in res ipsas mutata, verè ac propriè rerum nomine censerentur, nõ aũt propter similitudinẽ, nomina earum acciperent. Neque enim aqua à Christo in vinum permutata, propter similitudinem aliquam cum vino, vini nomen acceperat, sed quia vinum verè facta fuerat, nomen etiam vini verè ac propriè retinuerat. Similitudinem autem & analogiam cùm panis & non accidentia ipsius cum corpore Christi habeat, ipsum sine omni controuersia in sacramento manere, & non accidentia res ipsa euincit. Panis enim in cibum assumptus alit & confirmat corpus hominis, nõ autem ipsa accidentia. Similitudinem ergo quandam habet cũ corpore Christi, quòd nimirum sola caro Christi sit, quæ cibum animæ spiritualem exhibet, eíque vitam immortalem suppeditat. Vnde præclarè illud à Beda scriptum est: *Quia panis carnem confirmat, vinum verò sanguinem operatur in carne, hic ad corpus Christi mystice, illud refertur ad sanguinem.*

Scarga enim non aliter panem in corpus Christi cõuerti commiscitur, quam fuerit aqua in vinum Cænæ conuersa.

Bedæ quãuis recentior sit, vera sententia.

Multa sunt alia & infinita Diui Augustini testimonia, quibus ostenditur vanum & ineptum hoc transsubstantiationis figmentum, priscis illis seculis fuisse incognitum, verbáque instituti à Domino sacramenti in alio sensu ab antiquis patribus fuisse accepta, quàm quem postremis temporibus, magno Ecclesiæ malo, suum negotiũ & non Christi sacerdotibus agentibus verbis domini affingere visum est. Tale enim & illud est, quod scribitur ab Augustino in libro sententiarum Prosperi. *Cœlestis panis*, inquit, *qui Christi caro est, suo modo nominatur corpus Christi, cùm reuera sit sacramentũ*

Expendet lector quã clarissime scribat Augustinus nil tamen Papistas iuuat.

corporis Christi, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. Hæc autem Augustini sententia habetur etiam in decretis, de consecratione Dis. 2. cap. *Hoc est*, Cui quâ interpretationem addiderit Decretorum glossa, audi obsecro: *Cœleste sacramẽtum*, inquit, *quod verè representat carnem, dicitur corpus Christi, sed impropriè, vnde dicitur suo modo, sed non rei veritate, sed significante mysterio: vt sit sensus, vocatur corpus Christi, id est significat.* Tanta vis veritatis est, vt qui sunt professi illius hostes, & quam omnibus adhibitis machinis oppugnant, testimonium illi aliquando ferre cogantur. Manifestior enim hæc Augustini sententia est, Tropum in verbis Christi agnoscentis, quàm vt ab impudentissimis etiam rabulis pernegari possit.

Sacramẽtum corporis impropriè corpus Christi Augustino dicitur

Interea tamen Scarga clamore omnia miscet, & quantum potest, voce contendit, ad figuras & tropos, asylum quoddam mendaciorum (vt inquit ille) confugere Volanum, & in comminiscendis figuris vestigia magistrorum suorum sequi. Ego verò Augustinum & reliquos illos vetustos patres lubens magistros agnosco, quando & illi magisterio Spiritus sancti edocti, nihil sibi docendum putarũt, nisi quod scripturis Apostolicis cõsignatum perspicerent. Figuras autem & tropos in sacris literis vbique occurrentes asyla mendaciorum vocare est hominis extremè delirantis, & sine omni iudicio ac pietate quiduis deblaterantis. Si enim quoties Christus se panem, ostium, vitem, non sanè propriè, sed figuratè pronunciat, toties huic mentitus videbitur, nescio quid reliquum diuinæ veritati iste facturus est. Figuræ ergo non mendacio suffragantur, sed propter similitudinem, quam

Iesuiticæ impudẽtiæ testimonium.

quam habent cum rebus veritatem illustrant. Nec verò Christus cum panem corpus suum in cœna vocaret, eumque manducandum Apostolis traderet: veritatem corporis sui àbnegauit, sed verè percipiendum ab omnibus fidelibus sub figura & imagine visibili repræsentauit. Tu verò qui propriè ac sine vllo tropo corpus Christi ab omnibus discrimine nullo manducari vis, & à vera manducatione omnes excludis, & grandi flagitio ac scelere omnes obstringis. Nam qui sic corpus Christi manducari putant, eos flagitium patrare Augustinus affirmat, cùm carnem eius manducare figurato dicendi sermone non aliud sit, quàm passioni Domini communicare, & suauiter atque vtiliter in memoriam recondere, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Verum tibi tam altè in animo hæsit transubstantiationis tuæ somnium, vt spreta autoritate diuina & doctrina Apostolica, repudiatis veterum Patrum testimoniis, nihilominus te transubstantiationem approbaturum, & quòd verba Christi secundum literam, non autem tropicè sint accipienda, demõstraturum confidenter pollicearis.

Iesuitanus Capernaita quantũ scelus patret.

Caro Christi quomodo manducetur.

Sed ne parum in filium Dei contumelioſus esse videaris, corpus illi subinde nouum ex pane formando, cum summo etiam nominis eius contemptu & contumelia, vnicum illum salutis nostræ autorem agnoscere non vis, sed partim meritis eius, partim operibus nostris totum salutis opus ascribis. Nam cùm dixerim, solam esse fidem tanquam vnicum instrumentum, quo Christus apprehenditur, & ab omnibus fidelibus sicut vnicum salutis æternæ depositum possidetur: tu subsannans interrogare

De Iustificatione per fidem absque operibus.

Scarga diffidit Christo.

„ non vereris, vnde hanc vocem, sola aut ex quo scri
„ pturæ loco eruerim? in nullo autem testamento
„ me eam inuenisse, sed à Luthero, omnium hære-
„ sium, sicuti tu loqueris, nostri seculi infœliciſſimo
„ parente, me eam accepisse prædicas: quam nimirũ
„ ille tibi visus est excogitasse, ad expugnanda non
„ modo omnia Christianæ charitatis opera, virtutés-
que omnes, sed sacramenta etiam ipsa. Tu verò ni-
Scarga ini quus Lutheri censor. mis imperitè ac maliciosè Lutherum incusas, & quod firma scripturarum omnium authoritate nitatur, falsò ad vnius hominis autoritatem reuocas. Quid enim obsecro vniuersa scriptura aliud docet? Quid diuus Paulus in tota ad Romanos & Galatas Epistola contendit? aut quodnam aliud argumentum persequitur, quàm omnes in vniuersum & ex gentibus & ex Iudæis peccatores, non ex operibus legis, sed ex fide Christi iustificari? Si enim (inquit) data esset Lex, quæ posset viuificare,
Gal.3.21. verè ex lege esset iustitia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Nam qui operatur, inquit, ei non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur eius fides ad iustitiam. Profectò omnem hic operibus gloriam iustitiæ detrahit Paulus, quæ mercede pensantur debita. Solam autem fidem imputari in iustitiam docet, quando illi gratis, & per indebitam gratiam iustitia tribuitur. Si enim aliquam iustitiæ vim homini opera tribuerent, non certè hoc honore illa Paulus defraudaret, ac libé-
Rom.4.3. Gal.3.6. ter in eandem dignitatis societatem admitteret.
Rom.4.4. 6.7 8. Sed quod nihil ad iustitiam conferant, Abraham etiam fidelium omnium patrem in exemplum proponit, quem fide, nullo operum respectu, iusti-

ficatum

ficatum coram Deo pronunciat: & Dauidis testimonio beatitudinem homini assignari ostendit, cui Deus sine operibus iustitiam imputat. Si ergo fides iustitiæ gloria ornatur, & opera ab omni hoc honore excluduntur, sola certè fide nos coram Deo iustificari sanctè, piéque credimus, ac totam salutis nostræ laudem soli Christo domino nostro libenter tribuimus.

Nec verò est, quod cauillentur Sophistæ, & captent subterfugium argutatores, ceremonialia nimirum legis opera & non moralia à Diuo Paulo gloria iustitiæ priuari. De omnibus enim in vniuersum legis operibus concionatur Paulus, cùm nullam eorum excipiat partem: eáque scripturæ testimonia adducat, quæ ad legem moralem maximè spectant. Qui fecerit hæc, inquit, homo viuet in ipsis. Et, Male-
Gala.3.12. dictus omnis, qui non fecerit omnia, quæ scripta sunt in libro legis. Non possunt enim dicere isti, quamuis omni fronte careant, solis ceremoniarum cultoribus vitam esse promissam, vel maledictionem solis earum transgressoribus denunciatam. Ac ne vetustatis aliquo se tueantur patrocinio: vel Augustinus ipse ineptissimum hoc confutauit commentum, quod ab O-
Origenes doctrinã de iustificante corrupit. rigine & quibusdam aliis fuit excogitatum. Ita enim scribit ad Episcopum quendam Asellicum, commemorans illa Diui Pauli ad Petrum verba ex Epistola ad Galatas cap.2. Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores: Scientes autem, quoniam non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christum credimus, vt iustificemur per fidem

An Paulus sola ceremonialia præcepta à iustificãdo excludat.

Christi,& non ex operibus legis.quoniam ex operibus legis non iustificabitur &c. Non solum inquit illa opera legis,quæ sunt in veteribus Sacramentis & nunc reuelato testamento nouo nõ obseruantur à Christianis, sicuti est circuncisio præputij,& sabbathi carnalis vacatio,& à quibusdam escis abstinentia, & pecorum in sacrificiis immolatio,& neomenia,& azymum,& cætera eiusmodi ,verumetiam illud,quod in lege dictum est.Nõ cõcupisces,quod vtique & Christianis nullus ambigit esse dicendum , non iustificat hominem nisi per fidem Iesu Christi, & gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Nec dissimile esse quod idem Augustinus de spiritu & litera cap.11. tradit.His igitur,inquit,consideratis,pertractatisque pro viribus quas Dominus donare dignatus, colligimus non iustificari hominem præceptis bonæ vitæ,nisi per fidem Iesu Christi:hoc est non lege operum,sed lege fidei,non litera,sed spiritu,nõ factorum meritis,sed gratuita gratia.

Non sola ceremonialis, sed tota lex à iustificatione excluditur.

Non ergo,Petre, à Luthero nouam quandam, vt tu calumniaris , de sola fide iustificante hausimus doctrinam , sed ex clarissimis sanctarum scripturarum oraculis , magno etiam consensu sanctæ in Ecclesia vetustatis comprobatam. Sed tibi noua omnia videntur,quæ à nugis & figmentis Scholasticorum sunt aliena : quorum autoritatẽ ita sequendam putas , vt præ illorum subtili sapientia, tota doctrina Apostolica tibi sordescat. Nam quæ testimonia scripturæ ad infirmandam fidei iustificantis doctrinam te proferre docuerunt, adeò nihil illa huic officiunt causæ,vt magis etiam eam illustrent ac stabiliant. Adducis enim illas Diui Pauli sententias , vnam ex capite ad Galat.5.

Doctrinã de fide iustificante non esse recens Lutheri dogma.

Neque

Neque circumcisio valet aliquid , neque præputium , sed fides , quæ per charitatem operatur. Alteram ex primo Corinth. 13. Si habuero omnem , inquit , fidem , ita vt montes transferam , charitatem autem non habuero, nihil sum. Inde verò non solam fidem , vt potè quæ charitatem habeat adiunctam , sed cum charitate salutem operari perhibes. At verò ridiculum imprimis est , Paulum secum ipsum committere , & pugnantis inter se ac contrariæ sententiæ ipsum autorem facere. Neque enim ille sui ita oblitus fuerat , vt quam ex professo ac prolixo sermone tractandam de fide absque operibus iustificante susceperisset doctrinam , eam diuersa rursus sententia improbaret. Sed neque diuersum ille quidquam loquutus est,neque tu corruptum verbis Apostolicis affingens sensum, mentem illius assequeris. Non enim quod ad primam illam attinet sententiam Paulus de causa iustificationis nostræ coram Deo disserit , quam toties in ea Epistola gratuito Dei munere per fidem constare dixit,sed de vero fidelium exercitio,quod in eo consistit, vt non in antiquis cæremoniis,morte Christi abolitis,amplius occupentur,sed omnia charitatis exercentes officia,fructum fidei suæ in Deum testentur. Quod autem vera in Christum fides charitatem tanquam indiuiduam comitem semper habet sibi adiunctam,neque vnquam Christum apprehendit iustitiæ causam , quin sanctificationis autorem in se manentem sentiat: absit tamen vt fidelis homo in aliquo bonorũ operũ merito,& nõ in sola Christi iustitia causam salutis suæ collocet.Nã & ipsa opera teste Apostolo , creat ipse Deus in nobis bona, vt in illis ambulemus , neque tamen istam per-

Scarga vult vt Paulus secum ipse pugnet.

Locus Gal.5.ver.5.de fide per charitatẽ operante, explicatur.

Eph.2.10

fectionem in eis agnoscit Dominus, vt aliquo eorum merito & non soli Christi iustitiæ per fidem nobis communicatæ æternam vitam rependat. Ita verò salutem nostram totam gratiæ Dei non nobis acceptam ferimus, totamque bonorum operum laudem non viribus nostris, sed Deo ipsi operanti ea in nobis tribuimus. Gratia enim Dei, vt loquitur Apostolus, saluati sumus, non ex nobis, donum Dei est: nō ex operibus, ne quis glorietur. Tu verò qui vnicam Dei gratiam in te saluando non agnoscis, sed partem salutis tuæ operibus etiam tribuis, agnosces tandem magno tuo malo, quàm rectè, in rebus diuinis te aspere Schola tua docuerit. Nam quod altera Apostoli, quam citasti, sententia putas fidem charitate fieri posse vacuā, ac propterea ad obtinendam salutem minimè esse sufficientem, in eo tu vehementer falleris quod in vocabulo fidei diuersitate significationis non obseruata, perperam ea, quæ meritò distingui debēt, confundis: Alia enim fides est, quæ inter varia dona Spiritus sancti ab Apostolo cōmemorata particulare donum Dei dicitur, & pro virtute siue facultate edendorum miraculorum vsurpatur: Alia quæ in vera cognitione Christi sita est, & quæ sic Christum apprehendit, sicuti à Patre fidelibus, nempe in iustitiam, peccatorum remissionem, & sanctificationem, offertur. Illa enim malis etiam & impiis communis esse potest, ac propterea charitatis expers. Id quod exemplo Iudæ comprobatum est. Hæc verò cùm sanctificationem spiritus sancti apprehendat, nunquam à pio cordis affectu separari potest: neque vnquam sine bonis operibus, non tamen per opera, salutem consequitur.

Pij nō sibi ipsis sed Deo soli omnia accepta ferunt Ephes 2.

Locus 1. Corint. 13 Si habuero omnē fidem, charitatem autē. &c. explicatur.

Fides etiā iuxta Athanasium duplex

Rectè itaque Athanasius scribens ab Romanos, dupli-

duplicem fidem nostrā esse secundum scripturam docet: *Alteram iustificantem, vt illud: fides tua te saluum facit: Alteram speciale donum Dei, qua fiūt miranda.* Non possum ergo satis demirari supinam istam vestram in legendis patrum scriptis ocitantiam, aut sic potius Scholasticę vestrę & Lombardicæ theologiæ admiratione vos dementatos esse, vt nec quid oracula Spiritus sancti ediserāt, nec quid sancta illa doceat vetustas, attendere velitis: sed clausis oculis, vel tanquam cæci palpantes in tenebris, cuncta prætereatis. Nam neque illud magna quadam caret insania, quod non fidem, sed charitatem remissionem peccatorum operari contendis, priorémque fide charitatem, hoc est matre filiam parum sobriè argutaris. Sine charitate enim, inquis, per quam peccator se à peccato auertit, ad Deum verò conuertit, nulla est peccatorum remissio, iuxta illud, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Vnde enim obsecro amor in Deum promanat, nisi quod tantos misericordiæ & bonitatis diuinæ thesauros in Christo cor humanum sibi sentiens esse expositos, vltro ad redamandum Deum accenditur, & ad omne obsequium illi præstandum impellitur? Nulla ergo charitas, nulla opera bona antecedunt fidem, sed tanquam fructus ex arbore, sic omnia charitatis officia profluunt ex fide. *Ea enim opera* scribit Augustinus in Psalmum 31. *Quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi,* inquit, *videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem, vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Ac

Papistarū cæcitas vnde sit.

Charitas ex fide nō fides è charitate nascitur.

quod bona opera veram fidem necessario sequuntur, neque tamen æternam vitam promereantur, idem Augustinus lib.83.quæstionum c.36.commemorat, *iustificati*, inquit, *per fidem, quomodo possunt nisi iustè operari? quamuis ante nihil operatus est iustè, ad fidei iustitiam peruenit, non meritò bonorum operum, sed gratia Dei, quæ in illo iam vacua esse non potest, cum iam per dilectionem operatur. Quod si cum crediderit, mox de hac vita discesserit, iustificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non meritò ad illam, sed gratia peruenit, nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.*

Scholastica theologia Philosophiæ filia.

Agnosce aliquando, per Deum immortalem, te obsecro, Petre, vanitatē huius Matæologiæ, quam vobis Scholastici pepererunt & infœlicem hunc fœtum à scholis Philosophorum petitum vobis reliquerunt. Nam quādo his, derelicta Christi schola, in castra Philosophorum secedere visum fuit, fascinati istorum opinionibus, vires humanas in immensum efferre cœperunt, & quod gratuito Dei fauori ac beneficio Christi tribuere debebāt, ad opera hominum impiè transtulerunt. Ex hoc autem fonte, tanta vastitas ac ruina Ecclesiæ subsequuta est, vt obliterato Christo & vnico salutis nostræ fundamento, diuersas singuli acquirendæ æternæ vitæ adinuenerint vias, tótque nouas religionis subinde excogitauerint formas, vt tot ferè Monachorum ab exortu nouæ in Ecclesia doctrinæ recensemus sectas, quot numeramus annos. Quid enim aliud quæso tam varij ac discolores Monachorum ordines profitentur, nisi vt in operibus bonis, & in rigidiore aliqua, minúsque communi vitæ ratione salutem animarum venentur?

Sed

Sed quia extra Christum nulla est salus, fruſtráque se omnes per deuia fatigant, qui ab hac vnica salutis aberrauerint via, adeò nihil miseri isti profecerunt, vt perpetuò oberrantes, nullum vsquam quietis portum inuenissent. Vos fortassis Iesuitæ hunc perfectionis gradum, quem frustra tot laboribus susceptis alij quæsiuerunt, soli attigistis, quando non magistri vestri Ignatij Loiolæ, quod cæteri fecerunt, nomen vobis imposueritis, & pro cuculla, quod sanctissimum tamen hactenus reputatum est indumentum, vos pallio philosophico exornaueritis. Sed in quascunque tandem, Iesuitæ, vos formas verteritis, & siue vos cucullati, siue palliati monachi sitis, vnicus tamen salutis portus omnibus est propositus, ad quem sincera & recta fide nisi quis collimet, quocunque tādem pallio aut cuculla exornatus fuerit, naufragium patiatur oportet. Abiicite ergo vana hæc fucatæ pietatis integumenta, & tandem laruas istas deponite, ac communem viuendi regulam, ex æquo omnibus à Christo præscriptam suscipite. Magnæ enim inscitiæ & impietatis est, Christū summam sapientiam in tradenda vera religione, & vita sanctè instituēda inferiorem, nescio quo Ignatio reputare, solámque illam & vnicam cœlestem veritatem vanissimi hominis deliramentis postponere.

Ignatius Loiolæ sectæ Iesuitarum autor.

Quod si diuini iudicij metus vos non tangit, vt auersi à vanis hominum institutis, summum illum legislatorem & vnicum parendæ salutis magistrum Deum ipsum & ipsius natum agnoscatis: at saltem bonorum & prudentum hominum iudicia reformidate. Iam enim omnes fraudes Sathanæ dolique sunt retecti: & quibus artibus hactenus illusit mundo, nemini, iam nisi nimium hebeti &

crasso, omníque pietatis gustu carenti imponere potest. Videtis sanè Monachorum claustra olim frequentissima, nunc desertis cellis hiare, & pro splendore illo antiquo, summam vbique deformitatem ostentare. Nec verò ad conspectum monachi homines ampliusmentibus attonitis (vt olim) stupent, sed obuium exhorrescunt, & in somno etiam oblatum tanquam infaustum omen execrantur. Ne verò idem vobis quod illis eueniat, vel alieno saltem exemplo sapere discite. Omnia enim in illis ad excitandam in mentibus hominum admirationem maiora fuerunt, & quæ infirmos muliercularum ac plebis stolidæ capiunt animos, summa industria ab his excogitata sunt. Vnum fortassis est, quod vos illis superiores facit, acre ni mirum ac vehemens, quod in literis bonis perdiscendis & adolescentibus instituendis adhibetis studium, cùm disciplinarum illi ferè omnium ostores, & crassa ignorantia circumsepti, solis Bacchi ac Veneris plerunque ediscendis mysteriis strenuam operam impenderent: sed nisi ego fallor, exacta bonarum artium, quibus animos iuuenum imbuitis, cognitio, acriores deinde illis admouebit stimulos, vt veritatem inquirent, ne vbi cætera viderint, in solis his, quæ certum animæ afferũt exitium, erroris & insciticæ tenebris versentur. Nam & priores illi Monachi, densa alioqui superstitionum caligine obruti, qui turpi ocio reiecto, optimarum artium studiis animum excoluerunt, omnes ferè omnem religionem & pietatem temporibus suis prolapsam deplorauerunt: & tyrannidem ac flagitia pontificis Romani acriter insectati sunt. Nunc verò cùm maxima orbis Christiani pars indignum hoc & intolerandum iugum excusserit, & cùm in dies diuina quadam & admiranda do-

Monachi dirũ mortalibus omen.

Prisci Monachi Paparum tyrannidem insectati sunt.

da doctrina pietatéque præditos viros excitet Dominus, qui immensis laboribus regnum Christi ædificant, turrim verò illam Babylonicam summo conatu diiiciunt, non est quod speretis, Iesuitæ, discipulos vestros semper luscioſos futuros, & tanta se luce vndique infundente, perpetuò in tenebris oberraturos. Scio quidé artes vestras omnes, quibus ætatem illam teneram à legendis sacris vo luminibus deterretis: noui stratagemata, quibus veritatem Euangelij exosam illis reddere studetis: sed audio etiam, quid illi fremant: & quæ certamina collectis viribus sibi proponant. Lupos ego illos auguror esse futuros, qui lactantes nunc caprarum vbera fugunt, vt adulta ætate falsas matres discerpant: vos autem ne illos luporum catellos esse sinatis, sed genuino & sincero pietatis lacte tanquam filios potantes, veros & non adulterinos vos esse parentes re ipsa ostendite: neque ob fraudem admissam necessitatem vos lacerandi illis imponite. Philosophorum quidem præcepta & instituta in tot variantibus & discrepantibus illorum opinionibus sine vllo periculo vobis torquere licet, & iuuentutem instituere, vt in vtranque disputando partem quamcunque tuẽdam susceperit sententiam, illam mordicus defendat, neque se vinci patiatur. At verò diuinis sacrarũ scripturarum oraculis aliquando tandem hunc honorem exhiberi sinatis, vt non lusibus sophisticis seruiant, neque rixarum materiam vobis suppeditẽt, sed mentem humilem & abiectam in obsequium sui perpetuò cogant.

Iesuitarũ vafricies.

Sacra scriptura religiosius quàm Philosophia tractãda.

Atque, vt ad institutum cursum reuocetur oratio, cùm vniuersa scriptura sanctæ fidei in Christum nullo merito nostro, nec præcedenti nec subsequenti totam iustificationis nostræ assignet cau-

sam,tu ne hanc laudem Christo tribuas, sed in opera etiam conferas,fidem,spem & charitatem numero ac comparatione distingui ab Apostolo ostendis,perperámque me hæc confundere,ac pro eodem accipere contendis. Ego verò ista non confundo,& diuersa esse sentio,sed à fide spem & charitatem tanquam propria eius effecta nũquam separo. Nemo enim fide in Christum consequitur iustitiam, quin certa spe æternæ salutis animum erigat, sinceróque charitatis affectu, & in Deum ipsum,& in proximum exæstuet. Ita tamen ista coniungo,vt quod ad rationem salutis adipiscendæ attinet,sola in Christum fide eam constare prædicem, in quantum illa nimirum solam Dei misericordiam merito Christi nos iustificantis apprehendit. Nec verò nego charitati vel operibus bonis, quæ ex charitate proficiscuntur,æternæ vitæ præmium ab ipso etiam Deo promitti,sed à gratuito Dei fauore,quem semel in Filio suo nobis declarauit, non ab vlla operum dignitate benignam promissionem Dei prouenire contendo.

Augustini sententia.

Recte ergo multis in locis illud ab Augustino dictum esse constat:Fidelis,inquit, Dominus,qui se fecit nobis debitorem, non aliquid à nobis accipiendo,sed omnia promittendo. Et cum scriptura Deum iustum iudicem redditurum olim suis coronam iustitię pronunciat,excipit idem Augustinus: *Cui redderet iustus iudex coronam, si non donasset gratiam misericors pater? & quomodo esset iustitia, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa indebita darentur?* Ita verò in perpetuo fidei & charitatis nexu, quia non est fides, nisi quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam fidem,vt idem loquitur Augustinus,peccata

— soluun-

soluuntur,quia iustus ex fide viuit: sine ipsa verò, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.

Hanc verò vitam fide constantem præclarissimè describit Apostolus, Viuo,inquit,non amplius ego,sed viuit in me Christus: quod autem nũc viuo in carne, per fidem viuo filij Dei,qui dilexit me,& tradidit seipsum pro me: Non aliam enim causam vitæ nobis acquisitæ commemorat Apostolus,nisi gratuitam, nullis præcedentibus meritis nostris,Christi dilectionem,& mortis eius sacrificium, quo vniuersa expiauit peccata nostra. in tanti autem boni possessionem,quæ nos inducat,tantíque beneficij compotes faciat, solam fidem esse demonstrat. Nam si quibus meritis nostris prouocatus Dominus tanquam gratiam nobis declarasset, causam vtique salutis in nobis respexisset:sed quia ipse amore præuenit nos,idque eo tempore,vt alio in loco idem testatur Apostolus,quo inimici eramus, gratuito sanè suo beneficio, tantam salutem nos consecutos abundè testatur. Ac propterea cùm tu nihil haberes, quod ad infirmandum locum hunc producere posses, cauillo saltem eludere voluisti, vitiosè nimirum hunc locum à me citatum esse asserens, qui per fidem & non in fide scripserim,ac propterea Erasmum secutus, textum Græcum corruperim, qui quidem ἐν πίστει non autem διὰ πίστιν habeat. O insignem hominis doctrinam, & exquisitam linguæ Græcæ cognitionem,qua tantum orbis lumen diuinum illum Erasmum, & vtriusque linguæ summum artificem iste sibi superare videatur. Sed sit sane in hac vna vocula hallucinatus Erasmus,quę so tamen an non sensus eodem recidit,siue per fidem, siue in fide, siue fide filij Dei nos viuere dicamus? Idem enim Apostolus alio in loco Chri-

Galat. 2. 20.

Rom.5.8.

Ephes.3. 17.

stum per fidem habitare dicit in cordibus nostris: vnicum nimirum ostendens modum, & vnicum instrumentum, hoc est fidem, per quam Christus noster totus efficitur, & à nobis cum omni affluentia donorum suorum recipitur, vt simul & Spiritus sancti sui nos participes efficiat, & in charitate fundatos in nouã vitam efficaciter reformet.

Scarga in luce media cæcutit.

Sed tu in tam aperta cæcutiens luce, interroga-re me cum irrisione quadam non erubescis, ex qua schola, ex qua diuinarum rerum disciplina, hæc problemata obtruserim, qui in libello meo solam esse fidem, tanquam vnicum instrumentum, quo Christus animarum nostrarum viuificus cibus apprehenditur, scripserim. Ac videor tibi, sicut in reliquis Theologiæ præceptis, ita in ordine causarum nostræ iustificationis cognoscendo, nullum fidum adhibuisse magistrum. Nam fidem, inquis, quæ est animæ interna virtus, & ad Deum, Apostolo teste, præparatio quædam, ad causas efficientiæ, inter quas instrumenta numerantur, reducere, eius est, qui nullum in rebus indagandis adhibet iudicium, & sua magis opinione quàm peritissimorum Theologorum institutis ducitur.

» Sed ideò, inquis, vnicum salutis instrumentum
» fidem me vocare, vt sacramẽta quæ ipsa vera sunt
» salutis nostræ instrumenta, excludam, per quæ tu
» Deum tanquam animæ nostræ extranea, gratiam
» nobis cælestiáque charismata, quæ in se continẽt,
» conferre, & quasi per canales quosdam infunde-
» re perhibes: dicente Apostolo de baptismo. Chri-
» stus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,
» vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ
» in verbo vitæ. Et alio loco: Saluos nos fecit per
» lauacrum regenerationis: Et principes Apostolo-
» rum. Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est,

est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod « & nunc nos similis formæ saluos facit Baptisma, « vt sicut per aquam, inquis, externum scilicet ele- « mentum regeneramur in Baptismo, ita per species « panis & vini corpore Christi & sanguine in Eu- « charistia pascamur. Hæc sunt, inquis, verè instru- « menta, sine quibus etiam siquis credat, & ea con- « temnat, nec cum potest suscipiat, salus nemini spe « randa est: præcipiente Domino, nisi quis renatus « fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intra- « re in regnum Dei. Ac quod idem sentiat Augu- « stinus, testimonia aliquot eius producis. Nec sa- « cramentum, inquit, visibile ideo contemnendum « est, nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari « non potest. Hinc Cornelius, & qui cum eo erant, « cum iam inuisibiliter infuso Spiritu sancto san- « ctificati apparerent, Baptisati sunt tamen: Et con- « tra Faustum: Sacramentorum vis inenarrabiliter « valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos fa- « cit: Impiè quippe contemnitur, sine quo non po- test perfici pietas. Et alibi: Sine dubitatione te-nendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad faciendos Christianos, atque ad dimit-tenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica in-stitutione, & sacramentis efficiantur fideles.

Hæc quidem ita abs te citantur, Petre, vt non fidem, sed sacramenta causas esse instrumentales, per quas donorum cœlestium Deus nos partici-pes efficiat, ostendas. Te verò ego in rebus diui- nis iudicandis nullo prorsus pollere iudicio sta-tuo, & in primis ac præcipuis religionis Christia-næ fundamentis tam turpiter errare, & pueriliter balbutire vehementer doleo. Nam primùm, fidei ista quam posuisti descriptio, ex quo loco Apo-stoli obsecro sumpta est, vt eam præparationem saltem

Scargæ nullum in rebus diuinis iudicium

saltem quandam ad Deum, & non firmam potiùs ac certam diuinæ erga nos voluntatis ac beneuolentiæ cognitionem profiteamur? Deinde si ita eã præparari fingis, vt à spontaneo voluntatis nostræ motu proficiscatur, & non per Spiritum sanctum mentibus nostris reuelata imprimatur, nimis te crassum ac hebetem, totiusque pietatis ignarum ostendis. Sed venia fortasis tibi danda est, qui à placitis scholæ tuæ, & sententiis Petri Lombardi Pythagoræ vestri minimè tibi discedendum esse putes. Isti enim belli magistri monstrosam quandam fidei informis definitionem vobis tradiderunt, dum eam persuasionem esse quandam timore Dei & pietate vacuam commenti sunt. Nos autem certissimis verbi diuini edocti oraculis, veram illam esse misericordiæ Dei fiduciam ex merito Christi conceptam, & à Spiritu sancto in cordibus nostris obsignatam profitemur: quę quidem tota nos ad Christum cõuertit, & spoliatos omni iustitia, in eo solo omnes iustitię repositos thesauros quærere docet.

Fidei Papanæ definitio.

Hæc enim est qua, vt Petrus testatur, purificantur corda, & qua se viuere Paulus affirmat, & quam Ioannes nostram perhibet esse victoriam, qua vincimus mundum. Dum enim nos in Christum inserit, illique incorporat, qui solus est victor mundi, nos certè huius victoriæ participes facit. Habemus, inquit Paulus, propitiationem per fidem in sanguine Christi, ad Romanos 3. & capite 5. Gratiam regnare per iustitiam docet in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum, per huiusque obedientiam vnius iustos esse cõstitutos multos, vt sicut vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis, qui exuberantiam gratiæ & doni iustitiæ acceperunt, in vita regnent

Fidei quãtum ab Apostolis tribuatur

gnent per vnum Iesum Christũ. Vide ergo quorsum tua illa recidat fides, quæ tibi præparatio quę dam est, & quæ tam immensas gratiæ Dei diuitias non apprehendit, ac extra Christum, vnicum iustitiæ ac salutis fontem, in aere euanida vagatur. Quare cùm non fidei, sed sacramẽtis hoc tribuis, vt ipsa vera salutis nostræ instrumenta sint, nec quid fides, nec quid Sacramenta sint, scire videris. Nam vt tibi concedam Sacramenta etiam habere rationem instrumentalis causæ, vt pote quibus tanquam instrumẽtis Spiritus vtatur sanctus, ad cœlestia dona nobis impertienda, non aliunde tamen istud mutuantur, nisi quod à Domino fidei nostræ adminicula sint instituta, quæ sola fides tã in verbo, quàm in sacramentis Christum nobis propositum verè recipit, & apprehendit. Ridiculum autem in primis est, cùm tu Baptismum fidei esse Sacramentum negare non possis, Baptismo istud tribuere, quod fidei adimas, vt præpostero quodam ordine & modo, non securim sed manubrium ipsius causam ædificationis instrumentalem nuncupes. Non immeritò itaque Sacramenta multis in locis Augustinus vocat verba visibilia, quòd nimirum promissionẽ gratiæ nobis proponunt & ob oculos statuunt, vt fides in veritatẽ diuinam tutò recumbat, & gratiam Dei in eis oblatam securè apprehendat. Tu autem sacramentorum naturam ignorans, marsupio cuidam aut loculis similia esse fingis, vt gratiam Dei reipsa contineant, & omnibus etiam sine vlla fide percipientibus ipsam offerant. At verò si Spiritus sanctus lumine suo mentem hominis non illustrat, neque fidem eius exuscitat, vt quæ beneficia & in verbo & in sacramentis proponuntur, non percipiat, frustrà exterior verbi sonus aures eius fe-

Papistæ sacramentis gratiã & salute includũt.

riet,frustra ea quæ conspiciuntur,& sine vllo fructu,oculis obuersabuntur. Ac propterea cum fidem vnicum salutis instrumentum,tota scriptura sancta attestante,dicimus,non profectò vt tu imaginaris,sacramenta exeludimus, sed ad confirmãdam & augendam fidem nostram vtiliter à Domino instituta veneramur:ita tamen, vt nisi Spiritus sanctus corda aperiat, & virtute sua fidem corroboret, illa nec munere suo ritè perfungi, nec salutis instrumenta esse queant.

Locus Ephesiorũ 5.25. explicatur.

Nec verò diuus Paulus prima illa quam citasti sententia Baptismo salutem alligat, sed quod sanguis Christi in abluendis animæ sordibus efficit, hoc externo Baptismi signo Dominum testari, & quod interius operatur Spiritus sanctus, visibili elemento figurare docet.Et quia fides est,quę tam sublimia dona Dei percipit, ideo loquitur Apostolus, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Vt nimirum promissionem gratiæ quæ visibili obsignatur sacramento, fides apprehendat,& vero ac legitimo baptismi vsu,respiciens in verbũ,potiatur. Quam verò ex eodem Apostolo ad Titum, cap.3.truncatè citasti sententiam,hæc plena tuam in vniuersum euertit sententiam, & quod nullis operibus nostris,sed sola misericordia Dei per Iesum Christum salutem consequuti simus,euidentissimè testatur. Sic enim loquitur Apostolus: Postquam bonitas & amor erga homines apparuit, seruatoris nostri Dei, non ex operibus quæ essent in iustitia, quæ nos fecissemus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè per Iesum Christum seruatorem nostrum, vt iustificati illius gratia hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.

Scarga quam sincerus in citanda scriptura.

æternæ. Quibus obsecro mediis hic tu salutem alligabis, præter vnicum hunc seruatorẽ nostrum Iesum, cuius solius gratia nos iustificatos, & hæredes vitæ æternæ factos pronunciat Apostolus? Non ergo Baptismus salutem donat,sed sanguine Christi acquisitã per externam ablutionem aquę significat, & inuisibilem gratiam Spiritus sancti nos regenerantis, per visibile elementum nobis conspicuam facit.Non enim sacramenta à Domino sunt instituta, vt in illis hæreamus, & salutem ex eis tanquam ex canalibus, quod tu loqueris, hauriamus: sed vt his tanquam adminiculis erecti,in Christum oculos defigamus, in eóque solo totam salutis nostræ spem collocatam vera cordis fiducia contemplemur. Ac quod Petrus Baptismum nos saluos facere dicit, signo id nimirum, quod ipsi rei competit, tribuit, vt ne nudum aut vacuum imaginemur esse signum, sed verè nos purgari sanguine Christi à peccatis,& virtute Spiritus sancti veterem nostrum hominem mortificari,id quod extrinsecus aqua significat,certò credamus. Nam nisi ministerium Spiritus sancti adsit,qui fide nos instruat, & cum bona conscientia pessundato veteri homine ante tribunal Dei per resurrectionem Iesu Christi, sicut in eo loco loquitur Apostolus, nos statuat, nihil profuturam sordium carnis abiectionem, & Baptismum, mortuam saltem literam esse futuram manifestè demonstrat.Ergo vt proficiamus in Baptismo,simúlque remissionis peccatorum,& renouationis nostræ, quod externa aquæ significat ablutio, participes efficiamur,non in solo visibili elemento hęreamus oportet, sed vt in mortem ac resurrectionem Christi mentem & fidem nostram erigamus necesse est.

Sacramẽtis nõ inhærendũ.

Papistæ quantum sacramentis tribuant.

Sed tu fidem in Christum pro nihilo reputas, & sacramentis tantum tribuis, vt sine illis, etiam si quis credat, & ea contemnat, salutem neminem assequi posse iudices. Ego verò non fidem, sed vanam potius quandam opinionem hominis dicerem, qui sacramenta ad confirmandam fidem à Domino instituta contemneret, & promissionem gratiæ in eis oblatam negligeret. Nemo enim qui verè in Christum credit, sacramenta spernit, sed tanquam certa promissionis gratuitæ signacula, & fidei adminicula cupidè amplectitur. Hoc tamen vnusquisque fidelium semper discrimen inter sacramenta & rem sacramenti statuit, vt cum Christum solummet vnicum salutis autorem fide apprehendit, fidei suæ certitudinem & augmentum, non autem salutem à sacramẽtis petat. Quod discrimen cùm tu confundis, neque inter symbola & rem signatam discernis, præposterè in rebus externis, Christo neglecto, salutem quæris, & ex sacramentis, quæ pro Deo ipso adores, idola tibi constituis. Verùm quæ fidei adiumenta Dominus esse voluit, & in hunc finem illa ordinauit, nemo pius illa pro Deo adorat, neque causam salutis illis assignat. Hanc enim omnes fideles in Christo quærunt, & si non datur sacramentis fruendi facultas, nullo, quod absit, in mente fidelium, interueniente contemptu, sine omni dubitatione salutis æternæ se participes agnoscunt. Nam & Abraham patrem omnium fidelium antequam circumcisionem susciperet, fide iustificatum prius docet Apostolus: & latro pendens in cruce per solam fidem regni cœlestis compos factus est, nullo baptismo tinctus. Tot verò martyrum millia sanguine suo fidem in Christum obsignantia, à spe salutis æternæ minimè exciderunt, quamuis baptismi fonte

Discernẽdum esse inter sacramentum & rẽ sacramenti.

Fideles citra sacramenta saluantur Roma. 4. Lucæ 23. 43.

fonte ablui non potuerint. Et quæ scholastici de baptismo flaminis & sanguinis tradiderunt, tibi fido illorum discipulo & laudatori immodico, ignota esse non debebant, vt ne tam fidei iniquus esses, & eam à spe salutis sine sacramentis excluderes. Stat enim firma & inconcussa Domini promissio: Quicunque in filium credit, non videbit mortem, nec in iudicium veniet, sed transiuit à morte in vitam. Quare vt verba illa Christi ad Nicodemum, à te producta de Baptismo intelligãtur, nihil tamen inde elici potest, nisi quod institutum Domini ita ferat, vt qui ex gratuita Dei adoptione per Spiritum sanctum regenerantur ex mortuis in vitam, isti ad testandam hanc gratiam externa ablutione aquæ opus habeant. Iohan. 3. 5. 6. 7. &c.

Neque tamen ita præcisè baptismi necessitas à Domino vrgetur, vt qui in filios Dei adoptati gratuito promissionis eius beneficio, ex hac vita discesserint, omni facultate baptismi illis adempta, non ideo vitæ æternæ compotes efficiantur. Sed nec verba illa Christi de baptismo esse intelligẽda multi ex veteribus testantur, & de sola interiori hominis regeneratione, quàm Spiritus sanctus, omnes animæ abluens sordes, efficit, Christum loqui res ipsa euincit. Non dissimilis enim hic locus illi est, qui habetur capite primo: Qui sequitur me, ille est qui baptizat in Spiritu sancto & igni. Nam sicut illic sub nomine ignis, energia Spiritus sancti omne animæ vitium excoquentis, declaratur, ita hic nomine aquæ, omnes sordes eluentis significãtur. Quæ verò ex Augustino produxisti testimonia, adeò nihil tuam iuuant causam, vt magis etiam te oppugnare videantur. Non enim vim sanctificandi sacramentis Augustinus tribuit, sed à Spiritu sancto perceptam, Baptismi sacra-

Locus Iohan. 3. 3. & 5. non de Baptismo sed de renascentia intelligẽdus.

mento ex institutione Domini merito confirmandam docet, neque sine impietate per cõtemptum omitti posse, quod salubriter à Domino institutum creditur. Nam sicut ante diximus, nemo nisi impius sacramenta contemnit, & qui cùm potest illa non percipit, nullam habere fidem, & Deum arguere mendacij hoc ipso testatur facto. Frustra ergo & solo calumniandi studio in nos detonas, falsóque accusas, Scarga, quasi Sacramenta aboleamus, aut quasi fidei in Christum tribuentes salutem, idcirco vana & irrita illa esse pronuncie-
Sacramẽta à fide robur habent. mus. Non enim per fidem Sacramenta infirmantur, sed omne suum robur ab illa percipiunt, vt tũ demum salutifera esse incipiant, quando Christum in eis propositum mentis oculis contemplandum, vera fides suscipit, hócque solo & viuifico alimento animam sitibundam reficit. Tu verò falsum ac pestilens, impiúmque dogma vocare non vereris, & quod totum Eucharistiæ sacramentum penitus euertat, cùm fidem nos corporis
» Christi facere participem doceamus. Quem enim
» (inquis) fructum affert Eucharistia, si hoc sola fi-
» de habetur, quod ab ipsa expectatur? atqui homo inepte, nihil sacramentum exhibet, nisi quod fides inquirit, nec cibum vitæ aliis submínistrat, nisi qui fidei ventriculum afferunt, vt suauiter Spi-
Papistæ instar Crecensium ventres pigri. Tit. 1. 12. ritu tam salutarem escam concoquant. Sed tu de ventre implendo carnalis homo cogitans, solámque corporalem escam somnians, non mirum si cælestem à carnali non distinguas, sempérque dentes & ventrem pro fide ac spiritu ad sacram hanc mensam afferas. Itaque ne fide manducationem corporis Christi constare ostendas, sed realiter corpus Christi in os inseri, propriéque ac realiter manducari demonstres, illud euertendum in primis

mis tibi susceptisti, quod ex Iohanne à me productum fuerat: Vbi cùm prolixè de manducatione corporis sui Christus disseruisset, fide eam constare docuit, cùm dixit: Amen amen dico vobis, Iohan. 6. 47. qui confidit in me, habet vitam æternã. Tu enim verba hæc in eo apud Ioannem loco reperiri negas, nec me Christum dicentem audisse dicis, manducare corpus meum, est idem quod in me credere.

Atqui si tu legendo Breuiario, aut animæ hortulo, vel aliis quibusdam nugis & blasphemiis tam occupatus fuisti, vt tibi integrum illud caput perlegere non vacauerit, ne tam negligentes speres alios esse futuros, aut horas tam malè perdituros, vt non locum illum Iohannis diligentius inspiciant, & cum maiore iudicio, quàm tu feceris, expẽdant. Audi ergò quid scribat Iohannes, vt non falsò me testimonium ipsius citasse posthac queraris, sed somnolentiam tuam & supinam in legendis sacris literis oscitantiam accuses. Operemini, inquit Christus ad turbas, non Ioh. 6. 27 cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater obsignauit Deus: Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respõdit Iesus, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Et paulò post: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam. Ac deinde: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ, Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt qui de ipso edat & non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, siquis manducauerit ex hoc

Libri Pontificiarum præcipui, quibus adiicias Decreta Gratiani, Petrum Lombardum, Vitas patrũ. &c.

pane viuet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Audísne Ioannem verba Christi commemorantem, quæ tu apud eum inueniri posse negas? Aut num dubitabis carnem Christi sola fide & non ore carnali percipi, quando qui manducat carnem Christi, vel qui credit in Christum, habeat vitam æternam? Promiscue enim Christus nunc manducationi carnis suæ, nũc fidei vitã æternã tribuit, vt manducare Christum, & credere in Christum, vnum idémque esse doceat. Ac propterea cum dixit, Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam, statim hæc verba subiicit: Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis, vt nimirum indignos hoc cœlesti cibo, & minimè ad eum manducandum appositos esse ostendat, qui fide destituti, ad eum venire nequeunt. Vt autem aliquis veniat, & in Christum credat, in sola cœlestis sui patris gratia repositum docet: Omne, inquit, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et paulò post, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Adhúcne in tam clara & perspicua doctrinæ Christi luce cæcuties cum tuis sociis, Scarga, & variis scholæ tuæ erroribus actus, manducationem aliquam carnis Christi, quæ fidem non requirat, statues?

Manducare Christum & credere in illum.

Ioh. ibid. 37. 38. 39.

Papistas quidnam excæcet.

Sed in cæca quædã vada Scholasticorũ tuorũ te abripuit æstus, vt neq; te ex eorũ scopulis extrica-

re, nec vllam viam, quę te ad portũ salutis deducat inuenire queas. Quare ne suum honorem ac gloriam Christo vendices, fidem in eum oppugnare pergis, miniméque ad vitam æternam sufficientem esse perhibes. Non propterea enim, inquis, sola fides ad salutem obtinendam sufficit, quia Christus dixit, qui credit in me habet vitam æternam, quãdo & præceptorum Christi custodia adsit credenti necesse est, quæ & sacramẽtorum vsum includit: iuxta illud, Baptizantes eos & docentes seruare omnia, quæcunque præcepi vobis. Distinctè igitur, inquis, saluator de fide quam docuit, & de corporis sui manducatione, quam in Eucharistia instituit, loquutus est, cùm fidelibus & in se iam credẽtibus Apostolis suum se corpus ad manducandum daturum promisit: panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Credebant Apostoli, inquis, & tamen corpus Christi nec dum manducabant, promissum enim tum, in sola verò illa vltima cęna exhibitum hoc fuit beneficium. Credũt, inquis, & nunc Catechumeni, sed corpus Christi non manducant, imò ab illius etiam aspectu in diuinis mysteriis arcentur. Cuius est obsecro gratitudinis nouum hoc & immensum beneficium cũ fide confundere? Quid enim Christus Apostolis se daturum reciperet, si iam hoc credentes haberet? An liberalitatis est dare id quod habetur, & haberi semper sine nouo beneficio sola fide potest? Hæc quidem tua sunt, Petre, verba & multa alia subsequentia his similia, quæ non sine summo repetij fastidio, vt quæ craſſam simul insciti am & meram impietatem redoleant. Magnæ enim est ignorantiæ, & stuporis non ferendi, fidem in Christum à Spiritu sancto diuellere, & in quibus per fidem habitat Christus, à fructu sanctifica-

Christus nō solum iustitia nostra, sed & sanctificatio est factus. Ergo sanctè viuendum.

tionis eos excludere. Non solum enim Christum factum nobis iustitiam, sed & sanctificationem docet Apostolus, vt nemini iustitiam Christi imputari ostendat, quin simul à Spiritu sancto regenera tum, etiam fructu sanctitatis & innocentiæ polle re statuat. Quia tamen ita semper hæc coniuncta sunt, vt nihilominus Paulus alterum ab altero distinguat, sanctificationis quidem suæ fructum fideles ita recognoscunt, vt totam interim iustitiā non in seipsis, sed in Christo ipso, qui solus peccata nostra expiauit, & obedientia sua coram Deo iustos reddidit, solicitè inquirant.

Quousque ergo tu de tua fide informi cum tuis Sophistis nugari perges, & Christo obluctari vitā æternam fidei promittenti non desistes? Non enim fides opera bona repudiat, quæ tanquam pia mater gratissimum suum fœtū recognoscit: non sacramenta contemnit, quibus tanquam gradibus ad cælum assurgit, neque tamen in operibus aut in sacramentis, sed in solo Iesu Christo filio Dei viuentis salutem constituit. Hæc verò beatitudinis
Matth. 16. æternæ compotes reddidit Apostolos, quando Petro omnium nomine eam confitenti, non terrenū & caducum, sed immortale proposuit præmium. Tu autem fide Apostolos instruis, & spē æternæ hę reditatis illis adimis, cùm ante extremam illam Christi cænā, corporis Christi minime eos participes factos fuisse confidenter asseris. Nā si verū est,

Apostoli statim atque crediderunt iustificati sunt quāuis nondū cœnæ participes fuissent.

quod Christus diuina sua voce testatus est, neminē habiturū vitā, qui non manducauerit carnem nec biberit sanguinē eius, profecto vita æterna priuatos, nec ante cænā fuisse iustificatos res ipsa coarguit. At quod verè fuerint instificati, & in filios Dei cooptati, postquā in filiū Dei credidissent, toties ipse Christus testatur. Quale est illud: Vos mū

di estis propter sermonem, quē audistis ex me. Vanissimum ergo & impium tuum commentum est, qui corporis Christi ante cænam eos participes fuisse negas, & fidem veram in Christū alicui tribuis, quem ab esu corporis Christi arceas.

At enim, inquis, fidelibus iā & credentibus Apostolis suum se corpus ad manducandum daturū promisit. cùm dixit, panis, quē ego dabo, caro mea est pro mundi vita, idque demū in extrema sua cę na præstitit. Tu verò confidentē quandā in corrūpendis scripturis sanctis ostentas audaciā, qui sermonem illum Christi ad Apostolos, & nō ad præfractos ac incredulos Iudæos habitum fuisse comminiscēris. Illi enim cum Christo litigabāt, & carnalem corporis Christi māducationem somniātes, durum illius & absurdum esse sermonem criminabantur. Christus autem carnem suam, panem scilicet illum cælestem & viuificum ad immolādum pro redemptione mūdi daturum se promisit, & fide ac Spiritu passioni, mortique suæ communicādum esse insinuauit, stultamque illorum opinionē de carnali corporis sui esu refutauit. Falleris ergo, totóque cælo erras, Petre, qui tunc primum corporis Christi esum Apostolis fuisse promissum, ac demum in extrema Christi cæna exhibitum profiteris. Apostoli enim quo primum tempore Christum filium Dei viuentis agnouerunt, illique per fidem inserti sunt, iam tum corporis sanguinisque eius participes facti, in extrema demum cæna sacramētum tantę rei perceperunt, communionémque suā & coniunctionem cum Christo externo hoc ac visibili symbolo verè confirmatam senserunt.

De Catechumenis & quid in Cœnare cipiant.

Quod autē tu de Catechumenis dicis, illos nimirū credere perhibens, neque tamē corpus Christi māducare, imò ab aspectu etiā illius arceri asse

ueras, id quidē citra omnē abs te dicitur rationē. Nam qui olim fuerunt aut nunc sunt Catechumeni, hi in duos ordines distincti, aut ex gentibus conuersi recens in Ecclesiam recipiebantur, aut ex fidelibus nati iure gratuitæ adoptionis & diuinæ promissionis per Baptismum Christo consecrabātur. Illi ergo quamdiu in primis Christianæ religionis rudimentis instituebantur, non ante pro fidelibus agniti sunt, donec bene edocti, externa oris confessione se credere in Christum profiterentur. Non mirum ergo, si ab aspectu etiam diuinorum mysteriorum arcerentur, qui neque ad Baptismum ante æditam fidei confessionem admittebantur. Fides ergo requirebatur in his, qui participes corporis Christi esse volebant, vt sine qua nec Christo inseri, nec sacramentis cum fructu aliquo initiari potuissent. Ita verò quod pro te adduxisti argumentum, te ipsum oppugnat, & quod fidem à communione corporis Christi imprudenter diuellis, abundè redarguit.

Catechumenorum duo olim genera.

De Infantibus fidelium.

Quod autem ad infantes fidelium attinet, eos gratuita Dei promissio in gremium Ecclesiæ admittit; & Christo per Baptismum insertos, in corpúsque eius mysticum cooptatos à communione veri corporis eius minime excludit, quāuis per ætatem iudicijq; defectū, nec mysterium externi ac visibilis elementi intelligere, nec commodè percipere possint. Recte itaque sentit Augustinus, qui infantes fideliū mēbra corporis Christi esse recognoscit, in eo tamē deceptus, quod sacramentū etiā visibiliter infantibus, postquā baptizati essent, distribui voluit. Sufficit enim illis, quod gratuita Dei electione in filios Dei adoptati, & per baptismum à Spiritu sancto regenerati certam hæreditatis spem à Domino expectant, non cùm adoleuerint

uerint sacramentum corporis Christi repudiaturi, sed tanquam certo arrhabone & sigillo, fidem indies in eis crescentem, maioráque subinde incrementa capientem, obsignaturi. Absit enim, vt immatura morte ereptos, æternæ damnationi illos adiudicemus, aut à communione corporis Christi, eò quod visibilis Sacramenti compotes esse non possent, eos repellamus.

At enim Scarga superuacaneam, ac prorsus inutilem Eucharistiæ institutionem fore pronunciat, si manducatio corporis Christi fide perficiatur, & si obtinuerit hoc dogma sacrilegáque, sicut ille vocat, sententia, facilè impium quemuis dictu rum: quid mihi cum pane & vino? quid cum consecratione mystiça panis & vini? Si & in carnibus & in pomis, & in omnibus denique escis hęc mihi signa manducationis constituere, & fide sola Christi corpus manducare, vbi & quotiescunque libuerit, possum? Recte tu quidem impias istas voces homini impio tribuis, quæ nemini etiam nisi impio in mētem venire possunt, qui nec quid fides in Christum sit, nec quis Sacramentorum vsus, intelligat, & vana aliqua confidentia turgeat. Sed quæ Christi veræ sunt oues, veríque & vnici pastoris sui Christi vocem audiunt, nunquam in tam scelerata verba prorumpunt, & quod salubriter magnóque cum fructu à Domino Ecclesiæ institutum sentiunt, id cupidè amplectuntur. Nec verò quisquam, nisi sceleſtus, summáque audacia & impietate fretus, istam sibi vsurparet licentiam, & noua Sacramenta ex pomis aut nucibus sibi constitueret, Christóque suum honorem ac diuinitatis potentiam eripere tentaret. Soli enim rerum omnium creatori istud competit Deo, vt ex profanis elementis & corruptioni obnoxiis Sa-

" An mā
" ducatio
" carnis
" Christi
" per fidē
" sit inuti
" lis, vt
" vult Ie-
" suita.

cramenta gratiæ suæ instituat, spiritúsque sancti instrumenta efficiat, quibus ille cælestis & immortalis vitæ spem in animis fidelium exuscitet. Quare cum & hoc Eucharistiæ sacramentum tãquam certum & indubitatum coniunctionis fidelium cum Christo symbolum sit à Domino institutum, adeò non superuacaneum esse omnes fideles statuunt, vt tanto auctiorem & constantiorem vnionem suam cum Christo sentiant, quanto magis ex legitimo ac frequenti Sacramenti vsu fides in eis crescit & augescit.

Papanos fidei augmenta non postulare.

Sed non miror ego nulla te fidei incrementa postulare, quando sine vllo Spiritus sancti adiumento haberi eam posse existimes: nec vero Christum ea sola percipi, sed ab ipsis exhiberi Sacramentis carnaliter ore percipiendum absque vlla fide imaginaris. Ita verò omnes quicunque os afferunt, quamuis impij ac sceleśti omníque fide vacui, corporis Christi secundum doctrinam vestram participes esse possunt, cibúmque illum in solam vitæ æternæ acquisitionem propositum, æternæ damnationis instrumentum agnoscere coguntur. Sed procul absit à mente piorum omnium sacrilega ista opinio, vt quouis alio instrumento præter fidem corpori Christi communicari posse iudicent, & qui compotes Christi facti sunt, vt eos domicilium Sathanæ, & non potius templum Dei viuentis esse statuant. Qui enim credit in Christum, & qui manducat carnem & bibit sanguinem Christi, habet vitam æternam, vt nec sine fide mãducare quisquam Christum valeat, nec qui manducat, æternæ damnationi subiacere possit. Hæc verò cum ore ipsius Christi, qui solus est veritas, prolata audimus, num tibi contrarium dicenti, & vana quadam garrulitate perstrependi fidem habebimus

bebimus? Tu enim summa quædam & noua beneficia per Eucharistiam conferri dicis, quæ haberi per fidem non possunt: Et quemadmodum sine baptismo renasci, ita sine Eucharistia corpus Christi manducari non posse loqueris. Sicut enim, inquis, non fides, sed Baptismus est regenerationis vterus, ita non fides sed Eucharistia manducationis corporis Christi est mensa & officina quędam, ad hoc ipsum à Domino instituta, vt in ea non extra eam diuinus iste cibus sumatur.

Scargæ delirentis paradoxa.

Audio quidem, Scarga, multa te deblaterare, & noua quædam axiomata proponere, sed quia nullo certo nituntur fundamento, & tanquam inanes soni in aerem sparguntur, pro nugacibus fabulis cuncta hæc reputo. Quæ enim, obsecro, tu maiora nobis beneficia, quæ excellentiora dona commemorabis præ his, in quorum possessionem nos fides inducit, & quarum certitudinem spiritus sanctus solus veræ fidei Architectus in cordibus nostris obsignat? Nos quidem, testãte Apostolo Christum habitare per fidem in cordibus nostris constanter credimus, & cum Christo simul donari nobis sapientiam, iustitiam, sanctificationem, vitámque æternam infallibiliter asserimus: tu autẽ quæ sublimiora istis agnoscis beneficia, & quæ per Sacramenta sine fide conferantur, velim commemores. Sed quia nihil habes quod recenseas, satis te solo pollicitorum munere perfunctum putasti, cùm quod donares non habuisti. Ego verò fraudem subesse pollicitis tuis denuncio, & pro salutari cibo toxicum te propinare incautis omnes admonitos esse volo. Nam qui sine fide ad Sacramenta accedunt, & pietate vacui à spiritúque sancto non regeniti, in eis salutem venantur, isti sacra Domini instituta indignè profanant, & testimo-

Refutatio

Ephes. 3. 17.

Papanorũ sacramẽta certa venena.

1. Corint. 11.27.38. nia diuinæ contra se iræ vsurpant. Longè ergo aliter quàm tu Diuus admonet Apostolus, vt probet seipsum homo, & sic de illo pane edat, & de calice bibat: Nam qui indignè manducauerit, iudicium sibi manducat & bibit. Baptismus verò ab hypocritis perceptus, & externâ pietatis laruam, sine vera ac sincera in Christum fide ostentantibus, adeò nil prodest, vt Simon ille Magus tametsi baptizatus, nequitiæ tamen & impietatis à Petro fuerit accusatus, quia cor eius rectum non esset coram Deo. Ostende ergo quæ te scriptura docuit, non fidem sed Baptismum regenerationis esse vterum: non fidem sed Eucharistiam manducationis corporis Christi esse officinam. Vt quid enim quæ fidei seruiunt, & illi amplificanda instituta sunt, tu à fide auellis, & quæ perpetuo nexu coniuncta esse oportet, distrahis ac laceras? Perinde enim agis, acsi animam à corpore separes, & nihilominus ipsum corpus viuere per se prædices.

Baptism⁹ absque fide nihil prodest. Acto. 8.20.

Sacramenta cur à veteribus verba visibilia dicã tur.

Sacramenta enim à veteribus non alia ratione verba visibilia dicta sunt, nisi quod promissionem gratiæ quasi oculis spectandam proponunt, vt fides de certitudine beneficij Dei confirmata, tanto maius robur capiat, & minimè fluctuans in promissionem Dei tutò recumbat.

Scarga Patrum aduersarius.

Tu autem vt cum patribus antiquis pugnare te ostendas, longè meliùs & fructuosius prædicatione verbi Dei, quàm per muta elementa excitari & exerceri fidem prædicas: hunc nimirum honorem Sacramentis tribuens, vt verba esse visibilia cum sancta illa vetustate agnoscere nolis, sed muta elementa voces. Ac rectè tu quidem, qui de tuis non de Christi Sacramentis verba facis. Vestra enim sacramenta adeò sunt muta, vt verius ranas Seriphias omni voce carentes illa dicere possis, quàm

quàm sacra Domini instituta, quæ cum verbo Domini, & clara promissionis voce ita sunt semper coniuncta, vt nihil oculis fidelium exhibeãt, quod non auribus simul insonent, ac pectoribus instillent. Nos ergo non inferiori ordine, quàm verbum Dei est, illa reputamus, quando redemptori & saluatori nostro ita consulere imbecillitati nostræ visum est, vt redemptionis per eum factæ beneficium non tantum in verbo nudo nobis offerret, sed sacramenta etiam promissioni suæ diuinæ tanquam sigilla apponeret. Et quia vnicus est redemptionis nostræ thesaurus, nimirum solus Christus Iesus, ipsum tam in verbo oblatũ, quàm in Sacramentis exhibitũ vna semper fide, nec alio quouis instrumento recipimus, sanctissimóque eius corpori, vt iustitiam ex eo & sanctificationem hauriamus, nos commisceri credimus. Nec verò quia in verbo oblatus, verè ad iustificationem nostri Christus recipitur, ideò Sacramenta, vt tu falsò putas, superflua & non necessaria sunt iudicanda, quando gratia Dei tanto illustrior apparet, & in certiorem æternæ hæreditatis spem animos fidelium inducit, quantò pluribus notis & certis rerum documentis eam Dominus testatam nobis efficit.

Sacramenta eodem loco quo Dei verbum habenda.

Sed tibi nõ videtur liberalitatis esse dare quod habetur, & haberi semper sine nouo beneficio sola fide potest. Tu verò Christum, quæ tua est audacia, accusa, ac reprehende, qui te nullo videtur afficere beneficio, liberalitatémque suam in te declarare, vbi tu nullam agnoscis, nec quicquam prę terea accedere ad cumulum iudicas. At nos tametsi non nouum, maximum tamen agnoscimus illius in hoc Sacramento beneficium, & nullas vnquam satis dignas pro tam eximia bonitate

possumus illi agere gratias, qui quod semel in nobis salutis inchoauit opus, id ad extremum perquitur, & qui fidem vacillantem, ac variis sathanę tentationibus concussam, ita corroborat & confirmat, vt eam tandem opprimi non sinat, superioremque omnibus nequissimi illius hostis consiliis efficiat. Sic enim in communionem corporis sui sancti semel nos admisit, sicque se participandum Christus nobis tradidit, vt nisi perenni suo nobis adesset auxilio, facilè tanto nos sathan priuare posset thesauro, Non ergo tam securè, quod tu facis, de fide gloriamur, vt non multis subinde adiumentis à Domino opus habeamus, & perpetuò vocem illam ingeminantes ad ipsum clamemus: credimus Domine, sed tu adauge fidem nostram. Ita verò Sacramenta non superuacanea, sed necessaria & salutaria fidei nostræ adiumenta sentimus, & pro columnis ac fulcris quibusdam fidem sustentãtibus meritò reputamus, ne illa tot sathanæ insidiis & fraudibus impetita corruat, egentésque ac nudos & omni iustitia spoliatos relinquat. Ac propterea sacramentum Eucharistiæ, non noui alicuius beneficij causa, cuius nos Baptismus participes non redderet, vsurpamus, sed corpori Christi semel insertos, & sanguine eius ab omni peccato emundatos altero symbolo testamur, fidémque cordibus nostris à Spiritu sancto semel inditam, hoc alimento viuifico subinde reficimus.

Pro fidei incremento orandum. Luc. 17.5.

Idem Christus in Baptismo & Eucharistia.

Ita verò non alium in Baptismo, alium in Eucharistia, sed vnum, eundémque Christum in vtroque Sacramento percipimus, nisi quod diuersis symbolis & alio ritu, sic ferente Domini instituto, salutem ab vno capite Christo in omnia corporis eius membra defluentem, obsignamus: Ac propterea non superuacaneum alterum symbolum, quando sic placuit Domino, fidei & saluti nostræ consulere, reputamus. Nam si superfluum ideo existimes, quod vnius, eiusdémque corporis Christi, cuius in Baptismo compotes facti sumus, nos participes reddat, tanto magis superfluam & minus necessariam crebram Eucharistiæ vsurpationem iudicabis, cùm vnum semper corpus Christi nec multiplex manducandum, vnum semper sanguinem bibendum fidelibus offerat. At si negare non possis creberrimum Eucharistiæ vsum maximè esse necessarium, cùm tamé semper vnum manducandum proponat Christum, noli futiliter & ineptè argumentari, Eucharistiam superuacaneam futuram, si non alio quàm quod percipimus in Baptismo, nos afficiat beneficio. Quare quas hic ex triuio similitudines adducis, & ineptè rhetoricaris, vt magnum discrimẽ ratione doni, quod nobis impertit Dominus, inter Baptismum & Eucharistiam constituas, ego ne responsione quidem dignas iudico. Vanitatem enim & meras nugas cuncta hæc redolent, quæ nullo scripturarum testimonio comprobantur, sed temerè ab hominibus excogitata in medium proferuntur. Vt quid enim attinet frustra tempus perdere, & in singulis tuis argutiis recensendis & confutandis immorari, quando præcipuis tuis argumentis labefactatis omnes cauillationum inanes bullæ vltrò euanescunt?

Refutatio argumẽti Scargani validissima.

Vnde non possum satis demirari Francisci cuiusdam Turriani, ex eadem societate tua Iesuitica Monachi, summam quandam importunitatem, qui toties me victum abs te clamitat, & ad aphoniam compulsum gloriatur, quoties non omnia tua attingo, & ex superioribus non obscurè refu-

Frãciscus Turrianus Iesuiticus monach⁹.

tata, silentio prætereo. Iste enim franciscus libro seorsim in Italia vsque edito me acriter impugnat, & cùm viribus tuis forsan diffideret, quamuis victoriam tibi tribuit, ipse pro te in arenam descendit, & nescio quem terrorem procul mihi ostentat. Ego verò gratulor libellum hunc eius, dum hæc ad te scribo, opportunè in manus meas peruenisse, vt quam nihil in eo sit præsidij, qui acrem quendam tibi se profitetur defensorem, omnes sani nec penitus à veritate auersi cognoscãt. Dabo enim operam, auxilium ab eo implorans, cuius veritatem, reddente mihi testimonium conscientia mea, tuendam suscepi, vt vana falsáque omnia, quæ scribitis ambo, esse appareant. Neque enim in tenues ingenij mei respicio vires, non exilem meam ac pene nullam intueor doctrinam, sed in eum vnum totam mẽtem defigo, qui pro veritate sua pugnantibus daturum se eos promisit, ídque tam multis argumentis omni tempore lucu
Matt. 10. 19. lentè comprobauit. Sit sanè Turrianus vir doctissimus: sit magna rerum omnium, & linguarum cognitione instructus, sicuti videri vult, qui toties inscitiam, linguæque & Latinæ & Græcæ imperitiam mihi obiicit, sed quia quod stultum Dei est, omni hominum sapientia prudentiusest, adeò cautæ meæ non diffido, vt in hac stultitia me omnino superiorem futurum certò mihi pollicear. Est tamen quod gratias agam Deo, me non ita penitus
Turrian. qualis scriptor. in lingua Latina barbarum fuisse, quin Turrianus ea quæ scripsi intelligere potuerit, cùm ego contra, vt ingenuè fatear, non omnia scriptoris huius disertissimi sim assequutus. Ita enim perplexè aliquando scribit, & rem inuoluit, vt satis attentus etiam, non semper quæ sit eius mens & consilium deprehẽdere queat. Sed non culpa fortassis ipsius, verùm

verùm typographi vitio tam hiulca exstitit oratio, qui vt similes habeant labra lactucas, tot ferè mẽdis & erratis, quod autor mendaciis librum suum conspersit. Parum enim erat grauissimo huic scriptori vanissimum hoc trãsubstantiationis figmentum astruere, nisi me præterea calũniis oneraret, & falsò mihi hæc, à quibus omnes mei sensus abhorrent, tribueret.

Scripseram ego non obscurè ita duas naturas in Christo secundũ scripturas, & perpetuum Catholicæ Ecclesiæ consensum me agnoscere, vt vnione hypostatica sint vnitæ, neque tamen confusæ aut inuicem permutatæ. Sed quia dum Cypriani quandam sententiam contra me productam repeto, & ea verba vsurpo (sicut in persona Christi sola humanitas videbatur, diuinitate inuisibili & verè tamen illi assistente) ille hæc in calumniam rapit & ex vocabulo assistentiæ me in hæresim Pauli Samosatẽni, & Theodori Mopsuestienfis prolapsum fingit, quasi nimirum duas ego naturas sola habitudine beneplaciti & dignitatis in Christo coagmentatas, & non vnione hypostatica vnitas asserem. Ego verò non alio sensu illud vocabulum vsurpaueram, nisi quod humanitatiui sibili diuinitatem inuisibilem verè assistentem scribens, coniunctionem illam firmam & indissolubilem duarum naturarum in vna persona Christi intellexerim. Quare si candidè ac syncerè Turrianus agere vellet, nõ debebat in verbo minus, ppriè à me dicto insidias struere, & cõtra mentẽ ac sententiam meã, quã bene ex scripto meo perspectã habebat, me pernicios ac pestilẽtis erroris insimulare. Sed hæc ars, & vsitatũ quoddã stratagema hostium veritatis semper fuit, vt hominẽ in sermone capere studeant, cui nullũ verum crimẽ obiicere possunt.

Turrian. hæreseos Samosatenianæ Volanum insimulat.

Turrianus ex equite Ministrũ Ecclesiasticũ facit.

Ab eadem autem mentiendi licentia, Turrianus meus me Ministrum (nimirũ Ecclesiasticum) illustrissimi viri Nicolai Radiuili Palatini Vilnẽsis ac deceptorem vocat, cuius cùm nunquam Minister Ecclesiasticus fuerim, ne deceptor quidem esse potuerim. Ego enim ferè à puero in aula Principis huius educatus, ac ciuilibus negotiis semper occupatus, ad ministerium docendi verbi Dei, vt tanto oneri impar, nunquam vocatus fui, & nunc rem familiarem procurans, vocationique meæ seruiens, quam equestris ordo in gente nostra requirit, docendi munus non mihi vsurpo. Habet enim Palatinus Vilnensis, habet Vilna, habet Lithuania suos ministros, quos cum tu deceptores voces, illi veritatis Euangelicæ fidelissimi præcones, & in plantanda vinea Domini fortes operarij, te Turriane mendacij, tuósque socios palam coarguunt.

Stanislai Sudrouij Vilnensis Ecclesiæ Pastoris laus.

Vnus verò Stanislaus Sudrouius Ecclesiæ Vilnẽsis Minister, tam excellentis doctrinæ Euangelicæ, pietatísque laudem in hac gente assequutus est, vt quæ summo conatu Sathan per tuos socios ædificat, ille virtute ac potẽtia spiritus diuini suffultus cuncta demoliatur. Non enim ex pestilentibus Scholæ tuæ magistris, non ex quæstionum curiosarum immundo pelago, non ex sordidis sermonibus discipuli de tempore, & inquinatissimis Postillariorum lacunis, turbidas falsæ doctrinæ fœces haurit, sed ex limpidissimo verbi Dei fonte dulcissimis guttis aquæ salientis in vitam æternam populum Christi perfundit.

Hos ergo viros & singulari vitæ innocẽtia ac pietate præditos, & in vinea Domini perpetuò laborantes, æstúmque diei patienter tolerantes, ne quæso vos Iesuitæ, omnis laboris expertes, turpíque otio diffluentes, & gratis alienum panem tanquam

quam mures deuorantes, maledictis vestris incessite, neque tam proteruè virus acerbitatis vestræ in homines immerentes effundite. Nam illud quidem omnem superat audaciam humanam & impietatem, Turriane, iudicium sibi Dei vendicare, & qui ex hac vita fœliciter excesserunt, illos orco & æternæ damnationi adiudicare. Sic enim tu de sanctissimis illis viris, excellenti doctrina, insigni pietate, singularíque vitæ integritate omnem inuidiam facilè superantibus, de Caluino nimirum, Zuinglio, & Petro Martyre iudicium tuum fers, vt eos iam ardere in inferno pronunciare non extimescas. Quid tu omnipotenti Deo, homo audacissime, reliquum fecisti, Quid vnico illi & supremo omnium iudici reseruasti? qui tibi istam potestatem in seruos Domini, cui soli illi stant aut cadũt, iudicium vsurpare non erubuisti? Nos verò qui infinitam Dei misericordiam in hominibus ab extremo exitio in vitam reuocatis, contemplamur, qui summam eius benignitatem in recipiendis peccatoribus intuemur, ferre condemnationis in aliquem formulam nobis minimè permittimus. De illis autẽ, qui in perpetuis laboribus & ærumnis, promouẽtes gloriam Dei, vitam traduxerunt, qui omni fastu huius mundi spreto, omnique luxu & otio reiecto, totos se studio pietatis ac innocentię dediderũt, certam spem concipimus, quòd æternæ quietis & felicitatis gaudio securi perfruantur, absterſáque omni lachryma ab oculis eorum, perpetuò triumphent. Ne in eos igitur tam duram exerce, Turriane, censuram, sed corruptissimos potius vniuersi cleri tui inspice mores, & si potes, castiga, in meliorémque frugem istos Sybaritas & delicatos Alcinoos reuoca. Ac in primis regalem illam Iouis tui sedem Romã, scortationũ

Turrianus Christi iudicis partes impie capit.

Roma iuxta Baptistam Mantuanum scortationum mater.

matrem cum Baptista Mantuano accusa, quæ profligato omni pudore, facta est tota lupanar, reliquasque omnes Italicas vrbes tam venenato afflatu infecit, vt Sodoma iam & Gomorrha minus prę illis peccasse videātur. Sed hæc frustrà forsan querimur, vósque frustrà ad aliquem pietatis & verę religionis suscipiendam curam adhortamur, quādo id vestrum postulat institutum, vt quæ omnes hactenus errata in Ecclesia deplorauerint, & seriam reformationem communi voce postulauerint, vos homines ingenioſi, & præclari magistri,

Omnibus Papistis reformationem Romanæ Ecclesiæ optantibus soli Iesuitæ aduersantur.

Loiolæ insignes discipuli, nullam reformationem requiratis, sanctéque ac decenter totam Hierarchiam & religionem in Ecclesia Romana constitutam clamitetis. Quare omni spe pœnitentiæ vestræ nobis adempta, vos iudicio Dei relinquimus, & hunc solum vt discernat causam suam, & indubitatum veritati suæ præstet testimonium, vobis iudicem ferimus.

Verùm vt ad propositum redeam, cùm superius satis perspicuè demonstrasse videar, ita nos per fidem cum Christo coniungi, & per baptismum vniri, vt iustificationis & sanctificationis nostræ fructum ex eo in nobis habitante, & spiritu sancto suo vegetante semper percipiamus: nec tum demum corpori & sanguini illius communicemus, quando sacramenti Eucharistiæ participes efficimur, ipsum etiam audi Augustinum, qui totidem verbis eam tuetur sententiam. *Nulli est (inquit) aliquatenus ambigendum, tunc vnum quemque fidelium corporis, sanguinisque dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Chri-*

Augustinus ad infantes ad altare.

Christi constitus abscedat. Ostende obsecro, Petre, quomodo tua paradoxa cum hac Augustini sententia conciliabis: aut num etiam Augustinum pro te facere, & nobiscum pugnare clamitabis? Tu enim nimis temerè ac futiliter, in hanc erumpis vocem: Sine Eucharistiæ Sacramento nullo prorsus modo, verum & re præsens Christi corpus, quod illa tantum continet atque exhibet, à quoquam manducari posse. Atqui Augustinus diuersum docet, & omnes fideles in baptismo corporis & sanguinis Christi participes fieri asserit: Tuum ergo paradoxon tanquam absurdum reiicimus, & diuo Augustino cum scripturis sanctis consonanti credimus. Nec tu adeò diuersis & repugnātibus inter se sententiis vnum & eundem sensum vnquam affinges, nisi fortasis vnam in alteram, quæ vestra est audacia, transubstanties, & sic Augustinum pro te stare ostendas.

Scarga cū Augustino ex diametro pugnat.

At verò, siquid mentis haberes, nec paradoxis scholæ tuæ dementatus esses, vel ex hoc Augustini loco commodè discere poteras, quæ manducandi corporis Christi sit ratio, & quàm nihil attineat externa elementa in ipsum reale corpus & sanguinem permutari, vt sic demum oris instrumento corpus Christi percipiatur, & carnaliter cum corporibus nostris, secundum opinionem vestram permisceatur. Si enim omnes fideles etiā tum cùm baptizantur participes veri corporis & sanguinis Christi efficiuntur, cùm tamen nihil ore manducent, profectò mens sola & anima fidelis à Spiritu sancto regenita, corpori & sanguini Christi cōmunicat, & in ipsis etiam externis symbolis seipsam hoc cibo viuifico, non ventrem saginā. Procul igitur absit à mentibus piorum omnium carnalis hæc & crassa opinio, quæ non so-

In Baptismo nil ore percipimus, vere tamen corporis & sanguinis Christi participes reddimur 1. Cor. 12.

lum corpus Christi cum corporibus nostris corporaliter miscet, sed in elementa etiam corruptilia, aut accidentia terrenæ substantiæ visibili includit, vt non aliter percipi posse corpus Christi, nisi ore & sub visibilibus speciebus comprehensum iudicet. Neque enim Christus in panem descendit, neque corpus suum naturaliter cum corruptibilibus elementis conglutinat, omnis iam corruptionis expers, sed regnans in cælo nos ad se per sacramenta, tanquam per scalas euehit, & per fidem ac Spiritum sanctum suum se nobis participandum, ad eiusdem immortalis gloriæ & cælestis patriæ communionem tradit: Non sine ergo causa toties Augustinus fidem non ventrem requirit, & ad manducandum carnem Christi non dentes sed cor afferre iubet.

Nec est quod excipias illum de spirituali mãducatione corporis Christi loqui, quæ fidem requirit, non autem de sacramentali, quam diuersam à spirituali eum agnoscere dicis. Nam etsi duplicem manducationem corporis Christi statuit, quod neque nos diffitemur, ita tamen sacramentalem & externam oris manducationem vsurpandam docet, vt necessariò spiritualem copulandam cum illa ostendat. Sacramentalis enim manducatio in hunc finem à Domino est instituta, vt quàm verè symbola visibilia corporis instrumentis artinguntur, & ore in alimentum carnis percipiuntur, ita verè verum Christi corpus, verúmque eius sanguinem fide & spiritu in alimentum cælestis vitæ percipi ostendat. Nunquam ergo externa illa & sacramentalis signorum manducatio à fidelibus perficitur, quin intrinseca & spiritualis rei ipsius significatę semper coniungatur. Nuda autẽ & simplex symbolorum manducatio, quæ ab infidelibus

Externæ symbolorum participationi interna rei ipsius necessariò adiungenda.

delibus & Spiritu sancto carentibus vsurpatur, nunquã hoc efficit, vt corporis ipsius & sanguinis Christi participes faciat, cibúmque solis filiis Dei propriũ, impiis ac incredulis tribuat. Sicut ergo Sacramenti nomen non dupliciter à veteribus vsurpatur, vt aliquãdo pro solo externo signo accipiatur, & sic sacramentũ à re sacramenti discernatur, aliquando autẽ pro re terrena simul & cęlesti, prout Irenæus Sacramentũ ex duabus rebus constare dixit, ita nimirũ sacramentalẽ manducationẽ duplicẽ meritò dicimus, vnã quidẽ externam, qua sola signa ab incredulis percipiuntur. Alterã verò, qua simul cum signis & rerũ ipsarũ significatarũ soli fideles participes fiunt, & sic non vnã tãtum partẽ sed integrum sacramentũ percipiũt. Irenæus contra hęreses. lib. 4. cap. 34.

Inde verò non obscurè cognoscere licet, quo dicendi modo sæpè Augustinus ab incredulis etiã corpus Christi manducari perhibet, per Metonymiam scilicet sacramentalẽ, qua nimirũ corporis Christi sacramentũ, hoc est externũ signum, nomẽ ipsius rei accipit, & pro visibili elemento vsurpatur. Ita verò multoties à veteribus corpus Christi in terram cadere, à muribus arrodi & in cineres cõuerti dicitur, quod tamen non corpori Christi, sed externi scompetere symbolis omnes sani perspiciunt. Nam dum sacramentum pro vna tantum externa & visibili parte Augustinus vsurpat, propter similitudinem quandam, quam cum re ipsa signata habet, nomen illius accipere tradit, vt nimirum corpus Christi dicatur quòd sacramentum sit corporis & sanguinis, & fides quod sit sacramentum fidei. Quæ quidem Turrianus cum Scarga suo, quem tuendum susçepit, dum non perpendit, & incogitanter ac stolidè, quæ meritò distinguenda erant, confundit, transsubstan- Infideles quomodo corpore Christi vescãtur.

Ieſuiticũ dogma quàta ab ſurda gignat.

tiationémque ſuam perpetuò ſomniat, ſit vt cum ſumma corporis Chriſti contumelia, ipſum reuera & ab impiis, & à muribus manducari perhibeat. Atqui vt nihil ſe habere commune cum ipſa veritate, & diſſentire ab orthodoxa veterum ſententia oſtendant, aliter & ſacramentalem & ſpiritualem manducationem definiunt, ac diuiſionem ſpiritualis manducationis ridiculam ſtatuentes, ipſi ſibi prorſus ſatisfacere nequeunt. Nam quam nos duplicem ſacramentalem manducationem cum veteribus recognoſcimus, vt vnam infidelibus competentem, alteram ſolis fidelibus propriam & cum ſpirituali ſemper coniunctam profiteamur: Scarga vnam & ſimplicem eſſe aſſerit, eámque tam bonisquàm malis communem ſtatuit: in qua nimirum ſub accidentibus panis & vini ipſum reale corpus Chriſti ore manducandum vtrique ſuſcipiunt. Spiritualem verò manducationem, quam nos vnicam & ſimplicem ponimus, ille rurſus diſcerpit, & duas eius ſpecies, præter omnem rationẽ conſtituit. Vnam enim prorſus tropicam & figuratam agnoſcit, quæ ad Cœnæ Domini inſtitutum non ſpectat, nihilque cum Euchariſtia habet commune, per quam nimirum, vt loquitur ille, anima manducare & bibere, reficique dicitur, quãdo aliquo dono cæleſti ex Chriſti merito, corporéque & ſanguine promanante fruitur. Huic verò ſeruire illa ſaluatoris noſtri dicta affirmat, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina deuentre eius fluent aquæ viuæ. Et illud: qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet. Eodem & illud Auguſtini ſpectare docet: Qui credit in eũ, manducat eum. Alteram autem manducationem ſpiritualem Scarga perhibet eſſe, quæ licet extra ſacra-

Scarga etiam ab impiis Chriſtum manducari contendit.

Ioh. 7. 37.

ſacramentum ſit, tota tamen ad Euchariſtiam refertur, quando videlicet anima moribunda & famelica ad menſam ſibi à Domino propoſitam ardenti deſiderio accelerat, vt in Euchariſtia verum corpus Chriſti edat, & ſanguinem bibat, ſed neceſsitate aliqua vel caſu à ſacramenti vſu excluſa, fructum tamen ſacramentalis manducationis cõſequitur, quamuis non tam ampla dona percipit, qui ſe hoc ſpirituali vſu reficit, atque ille, qui ſacramentalem etiam & realem Chriſti corporis manducationem adiunxit. De qua quidem manducationis ſpecie Auguſtinum loquentem adducit: Quid paras, inquit, dentem & ventrem, crede & manducaſti. Sacramentalem porrò corporis Chriſti manducationem bonis ac malis communem, & à Chriſto in Euchariſtia inſtitutam, illa ſententia Auguſtini Scarga communit, & de hac illum dicere perhibet. Carnem Chriſti & ſanguinem, inquit, non edamus tantum in ſacramento, ſed vſque ad ſpiritus participationem.

Refutatio Ieſuiticæ hæreſeos.

Scargani ſtylus quàm ſit elegans.

Ego verò æquum lectorem vehementer obſecro ac obteſtor, vt in hæc omnia quæ à Scarga dicuntur, penitius animum intendat, & diligenter ſingula expendens, ac mutuo conferens, quomodo hæc inuicem conueniant, ſibique correſpondeant, examinet. Ita enim per miras ambages hic ſcriptor volutatur, & perplexè ac confuſè cuncta tradit, & inuicem pugnantia, ſibique contradicentia miſcet, vt cum ipſe ſibi non ſatisfecerit, ſaltem aures lectorum inani verborum ſtrepitu implere voluiſſe videatur. Nam quod ad primam illam ſpiritualis manducationis ſpeciem, quam poſuit, attinet, rectè quidem tropicam & figuratam agnoſcit, quando propriè & conſueto ac naturali edendi modo corpus Chriſti ſine ſacinore ac fla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitio, secundum Augustinum, manducari nequit. Quod autem nihil eam cum sacramento Eucharistiæ commune habere statuat, aut alio modo quam spiritualiter & per fidem corpus Christi manducari perhibeat, in eo turpiter fallitur, totóque cælo errat. Neque enim aliam vnquam aut diuersam de manducatione carnis suæ Christus corcionem habuit, præter hanc Iohannis, cap. 6. quam rectè Scarga spiritualem nobiscum recognoscit. Et quia hæc panis illius cælestis ac viuifici Christi, & vitæ æternæ, teste eodem Christo, nos participes facit, proinde nullam aliam requirimus, neque necessariam esse iudicamus. Ostendat ergo nobis Scarga, aut maiora quædam & augustiora cælestia dona, præter ipsius Christi & vitæ æternæ possessionem, aut si ostendere nequit, ne aliam nobis manducationem obtrudat, & spirituali perfectiorem frustra somniet. Nec verò Scarga tam hebes & incogitans fuit, quin necessariò ista consequi perspiceret: cautè ergo dissimulat, nec in apertum proferre, quæ meritò dicenda erant, audet: ac titubanter, vbi lubricum maximè vidit locum, progreditur. Pro Christo enim summo & incomparabili cælesti illo thesauro qui spiritualiter manducatur, & per fidem in sinum ac penetralia cordis recipitur, ille donum nescio quod cæleste ex Christi merito, corporéque & sanguine Christi promanans imaginatur, illóque vesci ac potari animam asserit. At quodnam istud obsecro donum est, quod ex corpore & sanguine Christi profluat, & quod animam manducet & bibat? Tu verò cùm taces, Christus ipse pro te loquitur, & apertè nos docet, dicens: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Donum

Spiritualis carnis Christi manducatio sola requirenda.

num ergo cæleste vita est æterna, & corpore & sanguine Christi profluens, quam nemo cõsequitur, nisi prius corpore & sanguine Christi vescatur, atque sic demum iusticiæ & sanctitati eius, quæ vitã æternam comitem habent, particeps efficiatur. Nõ donis igitur, vt tu falsò putas, ex corpore & sanguine Christi promanantis, sed corpore ipso & sanguine Christi anima fidelis vescitur, vt deinde donorum omnium cælestium compos efficiatur. Neque enim donis ac beneficiis spiritualibus absque ipso Christo quisquã afficitur, nec qui Christum possidet, & per fidem in se habitantem complectitur, omnibus donis cælestibus destituitur. Quare cùm spiritualiter & per fidem manducatus Christus, omnium simul donorum cælestium, vitæque æternæ nos participes faciat, ne Scarga excellentiorem aliam mãducationem frustra requirat, aut aliam quandam in sacramento diuinitus instituto nobis exhiberi, & non hanc vnicam ac spiritualem visibilibus symbolis obsignari comminiscatur. Nihil enim aliud sacra Domini Cæna est, quàm certa & cõspicua promissionis eius, quæ apud Iohannem habetur, testificatio, quòd nimirũ Christus sit panis vitæ, qui è cælo descendit, & qui corpus suum in mortem ita exposuit, vt nos quotidie in spiritualem animæ vitam illo vescamur, ac fide illius participes efficiamur: & quod externa signa nobis re præsentant, id verè intus Dominum complere per spiritum sanctum suum credamus.

Donum cæleste est vita æterna. Ioh. 9. 54.

Cœna Domini quid sit.

Ac proinde Augustinus hanc spiritualem corporis Christi manducationem, quam nobis Christus apud Iohannem commendauit, à fidelibus requirit, dum externo vtuntur sacramento, si modò vitæ participes esse velint: tãtùm abest, vt nihil illa cum sacra Domini Cæna, quod nimis imprudẽ-

ter & in cogitanter effutit,Scarga, commune habere debeat.Sic enim de verbis Apostoli, sermone 2.inter cætera loquitur: *Manduca vitam, bibe vitam,habebis vitam,integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa virtute spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audiuimus enim Dominum dicentem: Spiritus est qui viuificat,caro non prodest quicquam. Verba quæ loquutus sum spiritus & vita sunt.* Audísne Scarga putida tua commenta Augustinum apertè refellentem; & non diuersas manducationes corporis Christi ac dignitate se inuicem superantes: sed saltem vnicam,quæ spiritu constat, manifestè statuentem? Quę ergo Augustini testimonia abs te citata sunt ad triplicem manducationem demonstrandam,hęc ad spiritualem omnia referuntur,& de vna eademque re cuncta ab Augustino proferuntur. Vide enim obsecro,ac teipsum sincerum iudicem adhibe, vtrum hæc Augustini dicta sint diuersa,ac non potius vnum eundemque sensum habentia.Primus à te producitur locus in Iohannem,tractatu 25. *Qui credit in eum*,inquit, *manducat eum*.Hanc verò tu sententiam producis, vt ostendas Augustinum de spirituali manducatione loqui,quæ prorsus sit tropica & figurata. Alteram autem citas sententiam eiusdem Augustini: *Quid paras*, inquit, *dentem ventrem,crede & manducasti*, vt scilicet illam alteram manducationem statuas qua homo feruenti quidem desiderio manducandi corporis Christi in sacramento tangitur,sed facultate fruendi priuatur. At verò qui vel micam sanæ mentis habet, non de rebus diuersis, sed de re prorsus eadem Augustinum verba facere iudicabit.Vtrobique enim fidem requirit,& quod mã ducatio

Augustini sententia Scarganæ contraria.

Scarga vnam & eandem Christi corporis manducationem in tres discerpit.

ducatio hæc non naturalibus ad cibum capiendũ perficiatur instrumentis, sed fide & spiritu peragatur,clarissimè demonstrat. Illud verò quod affers,manifesta contradictione & repugnantia nõ vacat,cùm dicis eum, qui se spirituali esu in voto & desiderio sacramenti refecit,fructum realis mãducationis acquirere, nõ tamẽ tã ampla dona cõsequi, atque illum, qui sacramentalem etiam & realem Christi corporis mãducationem adiunxit. Nam quis alius fructus manducationis corporis Christi est,nisi gratuita iustitiæ eius imputatio ac sanctificatio,& certa vitæ æternæ hæreditas? Qui ergo ista consequutus est, nullum amplius donum desiderat, quando ne maius quidem vllum esse queat.Ita verò alia quæuis, quam tu quidem fingis,præter vnicam spiritualem manducatio,vt nihil maius & sublimius affert, sic neque necessaria esse deprehenditur.Si enim hæc sacramẽtalis,quæ ore ac dente perficitur, amplioribus quibusdam donis ac beneficiis hominem afficeret, non vtique Augustinus à parando ventre & dente deterreret, sed tanto magis ad acuendos dentes hominem adhortaretur. Sed quia sacramentalis mãducatio,quæ fit ore,ita demum efficax est, si spiritus & fides participet corpori & sanguini Christi, ideo ne ventrem & dentem præparemus, quæ sola percipiunt signa & externa elementa, sed vt os fidei aperiamus,quo solo apprehenditur Christus panis ille viuificus,sedulo admonet.Quare & tertia Augustini quam citasti sententia eodem spectat,nec diuersam à spirituali manducationem requirit, sed sacramentalem semper cum ea, vt pote à qua omnem habet efficaciam, coniungendam docet. *Carnem*, inquit, *Christi & sanguinem non edamus tantùm in sacramento, sed*

Sacramẽtalis Christi mandu catio quo modo efficax.

vsque ad spiritus participationem. Nihil enim aliud his verbis Augustinus docet, quàm ne in solo externi signi esu defixi hæreamus, qui malis etiam communis est, sed vt spiritualiter rei ipsi significatæ participemus, si vitam & non mortem consequi cupiamus. Mali enim dum solius externi signi, quod impropriè ac metonymicè & sacramentum & corpus Christi vocatur, participes fiunt, non reuera corpus Christi percipiunt, sed solo signo in exitium fruuntur. At verò boni & fideles, integri sacramenti, hoc est & signi & rei signatæ compotes facti, vitam æternam ac immortalem ex corpore & sanguine Christi consequuntur.

Piorum & impiorum sacramenti vsus quomodo differat.

Obserua ergo, Petre, quoties ab Augustino & à reliquis vetustis illis patribus mali dicuntur sacramento & corpore Christi vesci, figurata ac metonymica dicendi ratione hæc vocabula ab ipsis vsurpari, vt sacramento pro vna tantùm parte, hoc est pro visibili elemento vtantur, ipsumque corporis nomen externo tribuant signo. Hoc enim & superius ex iisdem patribus à me demonstratum est, & tu in priore ad me perscripto libello eadem tradidisti. Quæ ne forsan confingere tibi aliquid videar, & ne deinceps diuersum sentias, integra tibi ex tuo libro propono. Porro sacramẽti, inquis, nomen vsurpatur, plerunque à Diuo Augustino in Eucharistia impropriè & metonymicè, totum sci-licet pro parte, & continens pro contento. Nam species visibiles tantum in Eucharistia sacramentum vocantur figuratè, non quod ipsæ tantùm sint sacramentum integrum, cùm non tantùm ex speciebus visibilibus, sed corpore etiam & sanguine Christi sacramentum Eucharistiæ constare sit ostensum, sed sicut humanum corpus homo dicitur, cùm homo ex anima etiam constet, ita visibiles species

Regula ex Patribus, de impiorum manducatione

species sacramentum dicuntur in Eucharistia, cùm ipsa etiam ex Christi corpore constent, eodem sci licet tropo & figura. Exempla sunt plurima apud Augustinum, præter illud quod paulò ante retulimus: illud etiam afferri potest ex epistola 23. ad Bonifacium: Sicut secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & sacramẽtũ sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramentũ fidei, fides est. Hic visibiles species Eucharistiæ nomine sacraméti vocat, eodem, quo diximus, improprio modo. Nec enim visibiles species corpus sunt Christi, sed secundum quendam modũ dicũtur esse Christi corpus, metonymicũ sci licet, eo quod cõtineant corpus Christi, vt si scrinium, in quo est aurum, voces aurum: Et propter similitudinem denique, vt infra dicemus, cùm ad hunc locum, quem inter obscuros numeramus, respondendum erit. Nunc satis sit commonefacere, frequens esse Augustino, vt species sacramentales in Eucharistia nomine sacramenti vocet. Postquã autem, Petre, ad hunc quem promittis, veniſti locum, sic deinde scribis. Videnda sunt imprimis illa, quæ de impropria nominis sacramenti acceptione in regulis retulimus: Hoc enim cognito, in eo loco Diuus Augustinus, species sacramentales impropriè vocare corpus Christi, metonymice sci licet, nulla est difficultas. Sicut enim scrinium, in quo est aurum, nomine quis auri vocet, ita species externas, sub quibus est corpus Christi, cùm nomine corporis Christi vocamus, eundem sequimur tropum. Non enim hæ quas videmus species, corpus Christi sunt, dicimus tamẽ nos videre corpus Christi, cùm species sacramentales, sub quibus illud est, videmus, figuratè certè: quia continent verum corpus Christi.

Hæc quidem tua sunt, Petre, verba, ac integrè sicuti vides à me recitata: In quibus multa quidè sermonis vitia reprehendere possem, si tui ac Fráciſci Turriani similis esse vellem: qui aucupia syllabarum sectamini, & vel minimum sermonis erratum in me acriter taxatis. Sed cùm mentem tuã nô verba inspicio, hoc te saltem, quod & ego sentio, velle animaduerto. Agnoscis nimirum duplicem & sacramenti, & corporis ipsius Christi esse significationem: quando de his apud Augustinum & reliquos patres verba fiunt. Ac sicut sacramentũ aliquãdo figuratè pro vna parte, hoc est externo signo, aliquando propriè pro integro sacraméto, hoc est signo & re signata vsurpatur. Ita & corpus Christi aliquando propriè & sine omni figura dicitur, aliquando autem pro ipso externo & visibili signo, vna scilicet sacramenti parte metonymicè ac figuratè accipitur. Ac propterea sicut verè à te dicitur quando nos videre corpus Christi profitemur, id nimirum per figuratum & metonymicum sermonis vsum, soli externo competere signo, cùm hoc solum & non ipsum videatur corpus: sic velim, Petre, statuas, quando itidem corpus Christi dicitur frangi, manducari, dẽtibus atteri, aut à malis percipi, non ad ipsum hoc pertinere corpus, sed ad solum externum ac visibile elementum, secundum eandẽ figuratam ac impropriam dicendi formam. Inde verò id quod volumus necessario ostenditur, non carnaliter aut sensualiter corpus Christi in sacramento manducari, aut ipsa visibilia elementa in ipsum reale corpus Christi cõuerti, sed ipsa signa videri, tangi, comedi, corpus verò Christi solo mentis intuitu conspici, soloque spiritu ac fide percipi. Rectè ergo Augustinus, quando Dominus carnem suam manducare & sanguinem bibere præcipit, figuratum esse sermonem ostendit, id nimirum velle Dominum demonstrãs, vt passioni suæ communicemus, & vtiliter recondamus in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa sit & vulnerata. Manducationem enim naturalem ac consuetã corporis Domini si imaginaremur, facinus id & flagitium fore Augustinus denunciat, ac propterea non in propria vocum significatione, sed in figura sermonem Domini accipiendum esse docet. Proindéque cùm ad fidem hæc ego cuncta retulerim, & communicare passioni Christi nihil aliud esse intellexerim, quàm corpus Domini sic apprehendere fide, pro ut illud in mortem traditum est pro redemptione nostra, tu, Petre, tragicè exclamitas, & sine omni pudore, me ea comminiſci, quæ nec sensit nec dixit Augustinus, vociferaris. Vbi enim, inquis, dicit Augustinus in hoc loco, idem esse corpus Christi manducare, quod in Christum credere? Atqui tu ipse Petre paulò post, istas sententias ex Augustino protulisti, quas iam superius recitaui: *Qui credit in eũ, manducat eũ*: Et: *Quid paras dentem & vẽtrem, crede & manducasti*? Ergo aut tu Petre nimis obliuiosus es, aut vehementer incogitans, qui nec quid dicas attendas, & qui tam apertè tecum ipse dissentias. Cùm enim quid sit manducare carnem Christi, & bibere sanguinem eius, tam multis in locis apertè Augustinus explicet, atque hoc corpus non ventri nec dentibus, sed spiritui ac fidei tribuat, quod & ipse fateri cogeris: vt quid ergo tumultuaris, & fingere me aliquid contra mentẽ Augustini contendis, si & in eo loco idem velle, idemque dicere Augustinum demonstro?

Scarga cũ suo hypaspiste Turriano, Volano sit Caro, ubi Suffenus.

Corpus Christi quomodo frangatur, aut dentibus arrodatur.

Scarga secum ipse confligit.

At enim diuersum quiddam Augustinus tibi dicere videtur, idque sic tu interpretaris. Nam sic „ scribis: Ex his autem verbis dicimus, Capharnaitis & similis ingenij Caluinistis, tibique etiam eorum discipulo, qui flagitium & scelus esse putas „ ore corpus Christus manducari, verba illa Domini, quibus manducare suum corpus præcipit, non „ modo figuram, sed etiam stulticiam esse. Cruento „ enim, inquis, modo cum ipsius Christi vulnere & „ iniuria, suique corporis consumptione, hanc esse manducationem, sicut Capharnaitæ imaginamini, cùm dicitis, iampridem consumptum Christi corpus esse oporteret, si in ipsa rei veritate manducaretur. Carnales, inquis, & sine intellectu, fide vacui, diuinam omnipotentiam non spectatis. Nos verò, quia cum Diuo Augustino, vti postea audies, „ sine occisione Christi & sine vlla corporis eius sanctissimi iactura, illud ipsum corpus in mysterio, & „ sub aliena specie manducamus, nullum facinus timemus, ideo nec vlla figura ad excusanda eius salutaria præcepta indigemus. Imò illis astricti, fidei & obedientiæ præmia in manducando consequimur. Hæc quidem tua sunt, Petre, verba, & tam cõcinna dictorum Augustini interpretatio, quibus non modo Augustini mentem non assequeris, sed nec quid dicas omnino intelligere mihi videris. Non enim ad Capharnaitas hunc sermonem Augustinus instituit, aut non intelligentibus veram carnis Christi manducationem figuram & stulticiam verba Domini fuisse illis perhibet: sed fidelibus scribit, & rationem sacræ scripturæ interpretandæ docet: vt quando nimirum scriptura aliquod flagicium patrare iubet, id semper non propriè sed figuratè accipiendum esse fideles norint. Ac propterea cùm Dominus carnem suam manducare & sanguinem bibere præcepit, figuratè id intelligendum esse tradit, vt non manducationem ciborum consuetam imaginemur, sed mẽtis, fidei, & memoriæ ventriculum afferamus, in quem passionẽ & mortem Christi pro nobis peractam vtiliter reponamus. Nam si quis propriè, prout verba sonant, manducari corpus Christi putaret, nec figuram hic vllam admittere vellet, iste demum scelere se obstringeret, aut cum Capharnaitis, sermonem Christi tanquam durum auersatus, à Christo refugeret. Qua ergo fronte nos Capharnaitis, tu Petre, similes ac homines carnales, & fide vacuos dicere audes, qui figuratè dicta Christi cum Augustino intelligimus, & spiritualiter non carnaliter manducandam Christi carnem esse nouimus? Imò quomodo te ipsum flagitij expertem & non infidelem Capharnaitam dicere poteris, qui te nulla hîc figura indigere dicis, & realiter corpus Christi manducare te profiteris?

Capernaitarum Scarga ipse Capernaites pijsimpingit.

Scarga nec seipsũ nec Augustinum intelligit.

Sed ais nullũ te facinus timere, quia sine occisione Christi, & sine vlla corporis eius iactura in mysterio, & sub aliena specie te manducare perhibes. At verò non de occisione Christi, aut iniuria corporis eius inter nos controuertitur, sed de manducatione ipsa, vtrum hęc naturaliter ac propriè, an verò figuratè sit intelligenda. Nam & nos olera ac legumina, omnesque arborum fructus incruento modo & sine vlla occisione manducamus, verè tamen ac propriè nos manducare dicimus. Nec verò Ionas in ventre ceti vllam corporis sui iacturam persensit, propriè tamen & crudeliter à ceto deuoratus fuit. Quocunque ergo modo, ac quibuscunque colorum fucis istam manducationem exornabitis, dum tamen propriè & sine vlla figura ipsóque o ris instrumento vos cor-

Status cõtrouersiæ inter Papistas & Euangelicos de cæna Domini quis sit.

pus Christi manducare dicatis, nunquam crudelitatis & iniuriæ in corpus Christi admissæ notam effugere poteritis. Nec est quod fructum aliquem ex eiusmodi manducatione vos consecuturos spe

Caro Christi carnaliter mãducata nihil prodest. Ioh. 6. 63.

retis, quando, Christo ipso teste, caro isto scilicet manducata modo, nihil prosit, spiritus est qui viuificet. Nam quod spiritu ac fide nõ vllis corporis humani instrumentis caro Christi sit manducanda, toties Augustinus in scriptis suis docet, vt verba hęc explicans Christi, quibus non carnem prodesse, sed spiritum viuificare asserit, inter cætera sic loquatur: *Spiritualiter, inquit, intelligite, quod locutus sum: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commẽdaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen illud inuisibiliter intelligi.* Tractatu autem super Ioannem 26. *Hic est ergo*, inquit, *panis qui de cælo descendit, vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur, sed qui pertinet ad virtutem sacramenti, non qui pertinet ad visibile sacramentum, qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, nõ qui premit dente.* Et in verba Euangelij Lucæ, sermone 33. Quid est, inquit, panis de regno Dei, nisi qui dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descẽdi? nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista cæna. Ecce credimus in Christum, cum fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus, modicum accipimus, & in corde saginamur: Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit. Hę verò omnes tam claræ ac manifestæ Augustini sententiæ satis apertè docent, non aliam corporis Christi manducandi esse rationem, quàm fidem, vt si quis dentes & fauces pro fide ac

Hæc eadẽ verba habentur, super Psalmum 89.

corde afferat, nullum vitæ alimentum, sed certum animę exitium reportaturum denunciet. Tantam autem veræ fidei efficaciam esse ostendit Augustinus, vt cuiuscunque cor illa occupauerit, semper Christũ præsentẽ sistat, & fruendũ animæ offerat.

Nec verò diuersum Chrysostomus in his, quas producis, sententiis tradit, nec coniunctionem illam firmam nostri cum carne Christi sine fide efficere ostendit. *Vnum*, inquit, *corpus sumus & membra ex carne & ossibus eius: sequamur autem initiati quæ dicuntur, vt non tantum per charitatem hoc simus, verum & ipsa re in illam misceamur carnem: hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volẽs ostendere desiderium, quod erga nos habet.* Et alibi: *Non satis fuit, homo fieri, colaphis cædi & iugulari, verùm & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantũ, verum & ipsa re nos suum efficit corpus.* Hæc verò Chrysostomi dicta non fidem excludunt, aut alium quendam modum, quo sine fide coniungamur Christo, & in vnam cum eo misceamur carnem, nobis designant: sed hoc saltem admonent, vt ne quis per fidem imaginationem aliquam nudam concipiat: & non reuera nos corpori Christi inseri, vnumque cum ipso effici statuat. Verè enim coniungimur cum Christo, veréque corpori eius adglutinamur sancto, vt beneficiis eius omnibus, quæ morte sua nobis peperit, afficiamur: Sed tanti boni participes non nisi per fidem nos fieri posse credimus. Hic autem stupendam & ineffabilem Spiritus sancti virtutem meritò celebramus, qui & fidem ipse in nobis efficit, & in terra positos, proculque peregrinantes à Domino, nihilominus cũ ipso cõsociat, & in cęlo collocat, vitamque ex corpore eius sancto in nos tanquam in membra eius deriuat.

Chrysostomus Capernaitis cõtrarius.

Ac vellet Deus Optimus Maximus, vt intra istos terminos à Domino positos temeritas ingenij humani sese contineret, & non aliam coniunctionē cum Christo, præter hanc vnicam, qua nulla augustior, nulla sublimior cogitari potest, & quam iuste magnum vocat arcanum Apostolus, stolidè requireret. Hæc enim corporalis, quam volunt isti substantiarum copulatio, variorum certaminum, & pernicioſarum dissensionum vberem segetem inter fratres profudit: hæc multas sophistarū spinosas & inutiles, in Christúmque filium Dei contumelioſas quęstiones produxit: hęc salutari Cęnę Domini vsu populum Christi defraudauit: hæc turpem sacrorum nundinationem in Ecclesiam inuexit: hæc horrendam idolatriam, subuerso legitimo cultu Dei, & tota pene pietate prostrata, constituit. Desinite ergo aliquando Iesuitæ, Aten istam vestram ornare, & magno malo Ecclesiæ iamdiu in orbe volantem, ne alis instruite, vt exarmata tandem in præceps ruat, neque amplius calamitatibus populū Dei inuoluat. Memētote apostasiam quandam horribilem in Ecclesiā Dei futurā ab Apostolo fuisse prædictā, & filiū perditionis ac peccati, longe, latéque fuisse cuncta vastaturum: vt non leuibus artibus nec exiguis viribus ad tātam rem perficiendam subnixum esse oportuerit. Quare quo plus ingenij, & doctrinæ ad stabiliendum Pontificis Romani imperium affertis, eo verendum vobis magis est, ne vos illi sitis, qui vestram operam filio illi perdito nauetis, & tyrannidem potentia veritatis diuinæ labefactatam ruere non sinatis. Scio quidem speciosum Ecclesiæ titulum vos prętendere: Scio multa rationi humanę plausibilia proponere, & in omnes partes versare ingenium, vt verissima quæ persuadere cupitis, non hebetibus etiam omnia esse videantur: sed quo plus artificij ad eam rē illustrandā adhibetis, & à simplicitate scripturę sanctę discedetis, tātò magis argutam disputandi subtilitatem suspectam apud vos habere debetis. Nam quod tu, Turriane, quasi simplicitati nostræ insultans, nihil nos noui producere affirmas: vos autem Catholicos semper alia & alia & infinita in nos proferre gloriaris, & semper nouis nos astringere vinculis: id quidem magnam mendacij suspicionem tibi mouere debebat, quando meminisse debebas, simplicem sermonem veritatis esse, mendacium autem multiforme. Ac propterea non raro fit, vt in variis opinionibus & sententiis, quas vndique conquiris, non modo à patribus antiquis in interpretandis scripturis dissentias, sed ne cum ipso quidem Scarga tuo vbique conuenias. Nos verò qua cepimus via simplicem tueri veritatē, ita reliquū prosequemur cursum, vt semper idē filū, quod à Domino & Apostolis nobis traditum est, firmiter retineamus: Vos interim, quando libet, per varios ambitus & ambages istas aranearum texite telas, & leuibus saltem muscis subtiles struite insidias.

Verùm quia Scarga in monstroso transubstantiationis opere fingendo, ipsa in primis autoritate diuina nos oppugnat, ipsumque Christū tam exquisitæ structuræ ostendere nititur esse architectum: age dispiciamus, quibus id ille euincat argumentis aut quam firma sint quæ huic ædificio iacit ille fundamenta. Accepto, inquit, pane Christus, dixit: hoc est corpus meum, apertissimè inculcans, panem quē demonstrabat, eius diuina iussione & voluntate in corpus suum esse cōuersum. Quę conuersio cùm non sit accidentiū, quæ integra manent, sed substantiæ panis, quæ mutatur

Corporalis carnis Christi in sacramento imaginata præsetia quāta incommoda attulerit.

Apostrophe ad Iesuitas, parænetica.

2. Thessal. 2.

Veritatis simplex oratio: cōtrà ad stabiliēdum vnum mēdacium septem mēdaciis opus est.

Iesuiti "cum pro "Transub "stantia "tione ar "gumen "tum pri "mum.

" in corporis Christi substantiam, iure optimo trā-
" substantiatio dicitur. Huius autem tam solidi ar-
" gumenti Scarga petit probationem à multis & va-
" riis diuinæ Christi potentiæ exemplis, qui efficā-
" ciam verbi sui multoties declarauit, & statim ad
" mandata eius subsecuto effectu, non inanes sonos
" & virtute efficiendi destitutos se in aerem spar-
" gere comprobauit. Dixit enim cæco, Respice, &
" hoc sermone visum illi restituit, & puellæ at-
" que adolescenti surge, & Lazaro veni foras dixit,
" & vitam illis dicendo contulit, mortuósque susci-
Iesuiticū argumentum 2. tauit Huic autem probationi adiungit & aliam à
" verbo benedictionis: Nam cùm Christus diuinam
" suam benedictionem pani & vino contulerit, &
" ea in manus accepta benedixerit, absurdum esse
" dicit & Domini potentia indignum, nihil creatu-
" ras susceptæ Dei benedictione diuinum in se de-
" riuare, & non in id quod ipse vult, commutari.
" Quinque panibus, inquit, & exiguis piscibus in
" deserto benedixit Dominus, & illi mox in innu-
" meram excrescunt multitudinem, qua quinque
" millia hominum explent famem, & in pane Eu-
" charistico, qui tanta autoritate benedicitur, nihil
" diuinum & admirabile agnoscemus?

Respõsio Ista quidem tua sunt, Petre, argumenta, quibus verbi Christi potentia panem in ipsum Christi corpus trāsubstantiatū esse ostendere niteris: At vero vehementer falleris, qui omnium verborum Christi vnā & eandem vim esse putas, nec discrimē aliquod inter præceptiuas & indicatiuas locutiones agnosci, neque in sermone indicatiuo, ea quę propriè ab his quę dicūtur mysticè vel tropicè discernis. Nā quę Christus aliquādo mandauit, vt contra cursum naturæ fierent, & facta sunt, in

Scargæ stoliditas nescientis indicationem ab imperando discernere.

in hoc potentiam diuinitatis suæ declarare voluit. Quæ verò de se ipso aut de rebus aliis simpliciter & per sermonem indicatorium pronunciauit, non vt miracula fierent, sed quæ aut natura sua aut significatione essent, exposuit. Itaque si nullum discrimen inter hæc verba Christi agnoscis, Puella, tibi dico surge. Et, ego sum lux mundi, Ego sum ostium, insignem quandam temeritatem tuam, vel potius stuporem non ferendum omnibus patefacis. Sed quia vel talpæ vident, maximum inter hęc dicta Christi discrimen esse, quæ tu similia esse existimasti, ac propterea nihil ad probationē attulisti, restat vt in verbis Christi quæ enūtiatiuè & per modū indicādi proferūtur, dispiciamus, sempérne eodé sensu, an verò alias propriè, alias tropicè sint accipienda. Sed neque hic longa inquisitione opus est: quando vnum vel alterum exemplum ex scripturis productum, non vno neque eodem sensu intelligenda, Christi verba docet. Dicit enim Christus se filium Dei, dicit se filium hominis, dicit idem se esse panem, dicit se vitem, & discipulos palmites, vt infinita alia exempla omittā, quæ Christus tam sibi quàm aliis aliquando propriè & significatione sola attribuit.

Mar. 5. 41. Ioh. 8. 12. Ibid. 10. 7

Christus vitis, Ioh. 15. 1.

Porrò quæ propriè aut impropriè sint accipienda, id ex subiecta rei materia, de qua dicitur, & quæ in sensus humanos incurrit, aut ex mente & consilio Christi, ipsáque fidei analogia petendum esse, nemo sanus dubitauerit. Hæc autem singula ritè expensa & examinata, non propriè ac simpliciter verba Christi sacramentum corporis sui instituentis, sed metonymicè ac figuratè esse intelligenda, perspicuè demonstrant. Nam quod Christus in vltima cœna sua panem in manus acceptū & in frusta confractum discipulis suis dederit mā-

Discipuli Christi mysteriũ cœnæ ipsius probè intellexerunt

ducandum, dicens eum suum esse corpus, id quidem omnes sensus eorum indicabant, aliud esse quod ex manibus Christi acciperent, & alium esse Christum, qui istud traderet: vt subitò mysterium & in actione ipsa Christi, & in verbis subesse intelligerent. Neque enim erant tam excordes Apostoli, vt Christum, quem integrum mensæ assidentem, & de morte sua differentem conspicerent, ipsum à pane quem manducauerũt, non discernerent, vnóque & eodem modo, sicut porrectum panem, ita & corpus Christi se manducare crederent. Acceperunt ergo panem, & dentibus comminutũ verè comedetunt: vt Christum interim & natura sua à pane diuersum, & loco ab ipso disitum, solo mentis & fidei intellectu non ore nec dentibus edendum iudicarent. Naturaliter enim & localiter ad mensam Christus discubuit, idémque semper & ante porrectum & post consumptum panem ab Apostolis conspectus fuit, & verè tamen, sed spirituali modo, se illis manducandum exhibuit.

Nec verò attinebat substantiam panis in corpus suum permutari, vt pro ipso pane in alimentum corporis per ipsa naturæ instrumenta perciperetur, quando audientibus iisdem Apostolis, Capernaitas olim naturalem corporis eius esum stultè somniantes confutaret, & verba sua spiritualiter intelligenda esse doceret. Alium enim se esse panem non illum qui perit, & ad breue tẽpus vitam sustentat, sed qui permanet in vitam æternam, testatus est: vt qui dentes ad illum mãducandum afferre cupiat, & escam corporis non animæ cogitet, pro certo vitæ alimento venenum ille sit percepturus. Ac propterea de suo in cælum ascensu commemorauit, vt nihil illi terrenum de illo

Capernaitarum error Apostolos errare nõ permittebat.

illo cogitarent, & à cibo qui pascit ventrem auersi, ad cibum illum cælestem, qui in vitam æternam pascit animas, perpetuò aspirarent. Et adeò conuersationem suam nobiscum secundum carnem nihil profuturam pronunciauit, vt nisi ad patrem abiret, ne Spiritum quidem sanctum ad nos fuisse mittendum apertè denuntiaret. Regnat ergo Christus in cælis, nec ante extremum illud iudicium de cælo corporaliter descendet, & interim tamen per Spiritum sanctum suum mentes fidelium reficit, eiúsque virtute se in cibum salutarem & viuificum omnibus credentibus communicat. Neque in alium finem sacratissimi corporis sui sacramentum instituit, nisi vt carnis eius in mortem pro nobis traditæ memores, perpetuò beneficium illius recolamus, & nunc corpore absentis aduentum ipsius cum summa auiditate præstolemur. Vitam enim quam corpore suo nobis conciliauit, tum demum integram & numeris omnibus absolutam efficiet, & cælesti, æternáque gloria, qua nunc circumfluit ipse, perpetuò ditabit. Ioh. 16.7.

Cœna Dominica in quem finem à Christo fuerit instituta.

Miror autem, Petre, cùm tu sacramentum à Domino in extrema Cœna institutum diffiteri non possis, sic te tamen ineptè & monstrosè de illo loqui, vt totam sacramenti naturam euertas: & in alium quendam habitum vanis tuis speculationibus transformes. Quid enim obsecro, teste Augustino, aliud est sacramentum, quàm sacræ rei visibile signum, aut inuisibilis gratiæ visibilis forma? At verò si panis in ipsum permutatur corpus, & vinum in sanguinem, nulla amplius restabunt signa, ac proinde nulla poterunt esse sacramenta. Hanc verò sacramenti descriptionem à veteribus vsurpatam cùm tu negare non posses, cauillo sal-

tem eludere voluisti, & argutulus quidem veterator latius extendi definitionem definito perhibens, non omnia sacræ rei signa sacramenta esse dixisti. An verò, Petre, qui hominem dicit esse animal, non rectè ideo tibi istud dicere videtur, quia non omne animal est homo? Non quæritur enim vtrum definitio in hac descriptione non sufficientis hominis sit amplior suo definito, sed an rectè de homine dicatur animal. Tu ergo non potes negare omne sacramentum esse signum, quia non omne signum sit sacramentum. Sed postquam pueriliter nugatus es, & in re nullius momenti acumen quoddam ostentare voluisti, fateris tãdem hoc sacramentũ esse sacræ rei signũ, sed quod non modo signet, sed rem etiã ipsam, corpus scilicet Christi & sanguinem contineat, modo ab aliis sacramentis diuerso: vt meritò à discipulo Apostoli Pauli sacramentum sacramentorum illud appellari dicas. At verò quid sacramentum Eucharistiæ contineat, aut quomodo contineat, alius erit de hoc dicendi locus: quod autem illud sacræ rei signum agnoscere cogaris, id nimirum quod ego volo, fateris, vt ab generali sacramentorum descriptione, quæ sacræ rei dicuntur esse signa, illud excludere nequeas.

Dionysiũ qui vulgo (licet falso) Areopagites dicitur, intelligit.

Vt quid ergo illud Epiphonema tuum ridiculæ
» iactantiæ plenum occinis? & te magistrum nescio
» quem, cum nihil docueris, mihi profiteris? *Dis-
» ce, ergo, inquis, Volane, antequam docere cœpe-
» ris, non quodlibet signum rei sacræ sacramentum esse: Ego verò si dicam, Scargam hominem esse ineptum & sine causa insolentius se efferentem, ac stolidè iactantẽ, nũ propterea mentitus cuiquã videbor, quod non omnis homo arrogans & insolens Scarga sit? Rectè itaque vel ipso Scarga teste

Asini Cumani vocemnota, at risum contine.

teste, omne sacramentum diuinitus institutum dixi esse rei sacræ signum, quamuis non omne signum sit sacramentũ. Sed ne flaccidas istas ineptias tuas diutius persequar, qui de rebus nullis argutissimè toties disputare tibi videris, postquam illud mihi concedis, vt sacramentum cœnæ Domini sacræ rei signum esse non diffitearis, illud quoque profectò concedas oportet, quod res ipsa sacra à signo suo sit diuersa, nec signum substantiã suam amittat, vt substantia rei signatæ sola remaneat. Nam Augustinus de sacramentis siue signis diuinitus institutis differens, semper ea à rebus ipsis diuersa esse docet, vt si quis signa pro rebus ipsis accipiat, & supra corpoream creaturam oculos mentis ad hauriendum cæleste lumen non attollat, carnali animæ seruitute illum detineri dicat. Ostende ergo, Petre, quomodo aut signum ab ipsa re discernis, qui totam corpoream creaturam in hoc sacramento aboleri prædicas, aut quomodo sacramentum esse potest, quod nullum amplius signum habet? In has verò redactus angustias, volens nolens signum ab ipsa re diuersum agnoscis, & signum in hoc sacramento, species nimirum manentes panis & vini, abolita ipsorum substantia, constituis. At verò si species & accidentia panis ac vini manent, vt sacramentum illud sit ex duabus rebus constans, quomodo sine figura id à Domino dictũ expedies, qui res diuersas, hoc est signi & rei signatæ vno saltem nomine solius rei nimirum signatæ appellauit? Neque enim Christus dixit, inhis aut sub his accidentibus panis corpus est meum, sed simpliciter quod in manus acceperat, corpus suum esse enunciauit. Tu verò vi veritatis victus, id profiteri coactus es, quod scilicet visibiles species corpus Christi

Scarga quod maximè negat, fatetur tamẽ coactus.

non sunt,sed secundum quendam modum dicuntur esse Christi corpus,metonymicum nempe,eo quod contineant corpus Christi,vt si scrinium,in quo est aurum,voces aurum.

Hæc autem cum dicis, Petre, nos iudicio tuo absoluis imprudens, quos antea vehementer accusaueras, & figuratum in verbis Christi agnoscentes sermonem omnibus diris deuoueras. Ergo si posthac eo nomine in nos iniquus esse voles,eodem crimine te condemnes oportet, aut turpem palinodiam canas necesse est. Turrianus enim hyperaspistes tuus minimè hoc admittit,& quod metonymiam admiseris,indigne fert: mihíque fenestram abs te patefactam succenset. Vt malos mi nimè corporis Christi participes rectè asseuerare possim,tametsi sacramento,ipsique corpori Christi participare dicantur, quando sacramentum & corpus Christi metonymicè ab Augustino pro sola visibili specie multoties accipi confessus fueris. Si ergo tibi constare & in proposito tuo perseuerare volueris, bellum Turriano tuo indicas oportet, & pro defensore aduersarium tibi constituas:qui plurimum à te discrepat, & in quo totius rei consistit cardo,penitus dissentit: Ita verò vanam opinionem & falsissimum transsubstantiationis commentum vtrique sequentes, non mirum si ipsi à vobis dissentitis, & in mendacio minimè concordes esse potestis. Verum quamcunque tandem posthac sententiam tu sis sequuturus, aut quomodo diuersam opinionem cum Turriano conciliaturus,nihil moror, illud tamen nunquam obtinebit Turrianus, vt apud Augustinum & alios antiquos scriptores,semper corpus Christi & sacramentum propriè dici & non pro vna saltem ac visibili parte probare possit. Adeò enim clarè ac perspi-

Omnium fortissima veritas.3.Ez.

ac perspicuè sensum suum aperit Augustinus, vt nulla quantumuis obscura caligine tantam lucem Turrianus contegere queat. Ipsa enim sacramenti definitio ex Augustino superius à nobis recitata, qua definit sacramentum inuisibilis gratiæ visibile esse signum,ita sacramentum ab eo vsurpatum ostendit,vt solam externam & visibilem symbolorum speciem nomine sacramenti vocet. Illud verò quod ex sententiis Prosperi ab eo dicitur, sacrificium Ecclesiæ constare ex visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, & sacramento & re sacramenti,clarissimè demonstrat,nomine sacramẽti ipsa sola externa elementa ab ipso accipi,vt quæ ab ipsa re sacramenti,hoc est à corpore Christi discernit.

Sacramẽtum quid nam vocet Augustinus.

Turrianus autem mirum hic figmentum & hominis parum sobrij deliramentum comminiscitur:vt nomine sacramenti species sensibiles,sacramentales, & corpus ipsum Christi accipi ab Augustino perhibeat:rem verò sacramenti,non corpus Christi,sed ipsum vocari Christũ profiteatur. Ita verò nouus hic noui dogmatis autor duplicẽ nobis quendam statuit Christum, vt cum quidam corpus eius in sacramento verè percipiant,ipsius tamen Christi compotes & participes esse nequeant. In hoc autem stolido inuento tantopere sibi placet,vt metum propria ignorãtia præpeditum, tũ Caluinianæ disciplinæ errore excæcatum esse clamitet,qui idem esse existimem participem Christi fieri,& sumere corpus Christi. Ac proinde hic miles glorio sus, & stultè in vanissimo commento iactabundus,in hæc prorumpit verba:Disce igitur Volane quod ignoras: qui indignè mysteria Christi tractantes,membra fiunt sathanæ,&

Turriani delirium.

Iesuitica iactantiæ nota.

„ si corpus Christi ore acceperunt, quia tamen spi-
„ ritum gratiæ, ideſt ſpiritum Chriſti non habent,
„ carnem quidem ſumunt, at ſpiritus eorum, id eſt
„ mens, ſpiritui Chriſti non adhæret, fiunt, inquam,
„ vna carō, non vnus ſpiritus, ſicut Apoſtolus ait:
„ qui autem adhęret Domino vnus ſpiritus eſt: vnio
„ autem carnis tantum, ſine vnione ſpiritus nihil
„ prodeſt: non itaque efficiuntur participes Chriſti,
„ qui tanquam membra mortua per peccatum, cū
„ diuinis, vt ait Donyſius, & viuificis membris Chri
„ ſti vniri non poſſunt.

Egóne Turriane putida hæc & monſtroſa malè ſani capitis tui ſomnia diſcam? qui nec quid loquaris cogites, & nonmodo cum Chriſto & Apoſtolica doctrina, ac omnibus antiquis patribus, ſed cum Scarga etiam tuo ex diametro pugnes? Vbi enim quæſo Chriſtus ſeipſum à corpore ſuo diſiunxit, & aliud ipſius Chriſti, aliud corporis eius participem eſſe declarauit? An non enim Chriſtus ſe panem viuum, qui de cælo deſcendit, clariſsimè teſtatus eſt: vt qui ex hoc pane manducauerit, viuat in æternum, & panem quem daturus eſſet pro mundi vita carnem ſuam eſſe diceret? Hrone tu Turriane inter Chriſtum & corpus eius diſcrimen aliquod deprehendes, qui panem illum cæleſtem, nunc ſeipſum, nunc carnem ſuam nominet? Qui autem tot verbis ac multoties repetitis vitam æternam promittit, carnem ſuam manducantibus & ſanguinem bibentibus, non profectō ſpiritum ſuum à carne ſua ſeparat, ſed ſemper viuificam ac ſalutarem carnis ſuæ manducationem fidelibus, vt per quam firmiſsimè coniunguntur Chriſto apertè profitetur. Noli ergo poſthac, Turriane, inter ſacramentum & rem ſacramenti nouū neſcio quod diſcrimē ſtatuere, vt per

Turrianus quam ſcite Chriſtum ab ipſius corpore ſecernat.

per rem ſacramenti quiduis aliud quàm ipſum corpus & ſanguinem Chriſti tibi comminiſci libeat. Clarius enim Auguſtinus in loco ex ſententiis proſperi ſuperius citato ſententiam ſuam aperuit, quam vt abs te aliquo falluci figmento obſcurari poſsit: Nam qui dixit ſacrificium Eccleſiæ cōſtare ex viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, & ſacramento, & re ſacramenti, ſatis dilucide docuit, quòd nomine ſacramenti multoties ſola externa ſigna ſint intelligēda, & nomine rei, ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus ſit accipiendū.

Hæc tam perſpicua dicta Auguſtini cum tu corrumpere & in diuerſum torquere ſenſum tentaſſes, iudicia forſan hominū reueritus, ne te omnem exuiſſe pudorem meritò dicerent, teipſum tandē reflectis, & multa præter rem nugatus, hæc tandē verba ſubiicis. Deinde, eſto, inquis, concedatur „
in hac ſententia Proſperi vſurpatio iſta ſacramen- „
ti pro parte, at in loco quem Volanus ex Auguſti- „
no citat tractatu in Iohannē 26. vt auctoritate eius „
probet malos, ſiue infideles non ſumere corpus „
Chriſti in ſacramento, ſed ſolum, vt ipſe ait, ſym- „
bola viſibilia, in eo, inquam, loco non po- „
teſt accipi ab Auguſtino pro parte. Sic enim ait
Volanus: Hoc verò alio in loco clariſsimis verbis „
ediſſerit idem Auguſtinus: Sacramentum ſumitur „
inquit, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitiū, „
res verò ipſa cuius eſt ſacramentū, omni homini „
ad vitā, nulli ad exitiū, quicunque eius particeps „
fuerit. Reſpondeat ergo Volanus, cùm Auguſti- „
nus dicit ſacramētum ſumitur quibuſdam ad vitā, „
quomodo accipitur hîc ab Auguſtino ſacramen- „
tū? non negabit Volanus, quin pro toto ſacramē- „
to accipiatur, ſola enim ſpecies viſibilis nulli ſu- „

„ mitur ad vitam. Si ita est, quomodo clarissimis
„ verbis iudice Volano edisserit Augustinus, si cum
„ continuò subiungit, quibusdam ad exitium sumi-
„ tur scilicet sacramentum, hoc enim repetendum
„ est, iam non pro toto, vt in altero membro eiusdē
„ orationis, sed pro parte accipitur? An hoc erat
„ bene Latine loqui, & clarissimis verbis edisseré-
„ re? Si te Volane putas bene Latine loqui, cur
„ Augustinum facis indisertum, & tam inopem ver-
„ bis, vt vno & eodem verbo in eodem loco diuer-
„ sè vsus sit, idque vt hæresim tuam auctoritate Au-
„ gustini probes?

Ego verò Turriane, nullius hæreseos mihi cō-scius sum, neque verba Augustini ad meam sententiam comprobandam violenter torqueo, sed candidè ac sincerè recito, vt quæ fuerit mens & doctrina de hoc sacramento antiquorum patrum omnes cognoscant, neque de transsubstantiatione vestra quicquam eos somniasse animaduertāt. Quod si tibi propositum non fuisset nodū in scyrpo quærere, & vltro teipsum mentis oculis priuare, vel vnus hic Augustini locus te satis docere poterat, quid verè de hoc sacramento sentire debueris, vt ne te tanquam Proteus in diuersas formas subinde mutares, nulláque in parte, semel affirmans semel negans, tibi constares. Quod enim in plurimis aliis locis, ita & hic Augustinus inter sacramentum seu visibile signum, & ipsam rem sacramenti, quam superius corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse dixit, hoc discrimen constituit, vt non omnes quicunque sacramento communicent, corporis ipsius & sanguinis Christi participes effici asseueret. Sacramenta enim siue externa signa tam bonis quam malis cōmunia sunt, & ideo vel vitam vel exitium afferūt res

Turrianus mault cæcutire, quàm veritati herbam porrigere.

res autem ipsa sacramenti nemini affert exitium, sed omnibus eam accipientibus vitam, vt à nemine etiam nisi à bono & fideli percipi queat. Sed tibi homini disertissimo non videtur Augustinus benè Latinè loqui, si vno & eodem sacramenti verbo, in eodem loco diuersè vtatur, & nunc pro parte, nunc pro toto illud vsurpare videatur. Atqui Augustinus in vna & eadem significatione vocabulum sacramenti in eo loco vsurpat: & pro sola visibili & externa parte discernens eam à re ipsa sacramenti, accipit.

Verum tu inquis solam speciem visibilē à nullo sumi ad vitam: ergo sacramenti vocem pro sola externa specie accipi non posse contendis. Rectè quidem dicis solam visibilem & externam speciē nemini conferre vitam, quando percepta, impiis etiam tribueret vitam: sed in eo plurimum falleris, qui solam & externam speciem à fidelibus māducari existimas, aut quia manducata confert vitam, id illi assignandum, & non corpori ipsi Christi, quod semper à fidelibus percipitur cum signo, imprudenter arbitreris. Nam quod sacramentum ab Augustino dicitur aliis cedere in vitam aliis in mortem, id quidem externa symbola non habent à natura sua, sed quia fidelibus simul etiam corpus Christi manducandum spiritualiter exhibent, illos vitæ participes reddere: qui verò à corporis sancti communione propter incredulitatem excidunt, illos exitio deuouere dicuntur. Rectè ergò concludit Augustinus, cum rem ipsam sacramenti à sacramento discreuisset: Hoc est ergo, inquit, manducare illam escam & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec man-

Augustinus constanter sacramenti voce visibile symbolum vocat.

ducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinẽ, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit nisi qui mundus est, de quibus dicitur. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Matt. 5. 8. Ex his verò verbis discere poteras, Turriane, non ab omnibus, qui sacramenta siue externa symbola manducant, carnaliter, simul etiam corpus sanguinem Domini manducare spiritualiter, quando res sacramenti solo spiritu & fide percipiatur: sacramenti verò esus dentibus & ore, vt malis etiam communiesse possit, perficiatur: Nec diuersum ab his docet idem Augustinus de Ciuitate Dei lib. 2. cap. 25. Denique ipse dicens, inquit, qui mãducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, ostendit quid sit non sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere.

Sed tu, Turriane, hunc quoque locum more tuo corrumpis, & falsa interpretatione veram Augustini sententiã adulteras: dicis enim, reuera corpus Christi manducari, ideſt, solum corporaliter ac sensibiliter, vt nihilominus corpus Christi non tantum spiritualiter, sed corporaliter etiam manducari asseueres. At verò falsissimam & impudentem interpretationem tuam esse sequentia verba Augustini coarguunt. Subiicit enim: *Hoc est enim*, inquit, *in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret. Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinẽ meũ. Nõ itaque manet in Christo, qui nõ sunt membra*

membra eius: non sunt autem membra Christi qui se faciunt membra meretricis. Ita verò expressè & manifestè docet Augustinus, neminem corporis & sanguinis Christi participem esse, qui non est membrum eius, quamuis ille visibile sacramentum ore percipiat. Tu tamen adeò lucida ac manifesta peruertere non erubescis, & contrariũ sensum verbis Augustini impudens falsarius attribuis. Non dixit, inquis, Augustinus, qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non manducat corpus meum, neque bibit sanguinem meum, mãducat enim sacramento tenus corpus: sed dixit, nõ se dicat aut existimet manducare corpus meũ: quia scilicet sic manducando corpus Christi, non vnitur cum eo secundum spiritum eius, sed secundũ carnem tantùm, quæ nihil prodest ex se, quin potius diuina natura vnita cũ carne Christi, per carnem tribuit vitã dignè manducanti. Tu verò, Turriane, vel solem in meridie lucere nega, & quæ cãdida sunt, vocato nigra, quando ita tibi decretum est, vt malis vel omnium iudicio in manifesto deprehendi mendacio, quàm aperte veritati cedere.

Turrianus manifestus Augustini corruptor

Sed importunitate tua nunquam efficies, vt qui non omnino sunt stupidi, aliter verba Augustini, nisi prout clare sonant, accipienda putent. Clarius enim & apertius definit Augustinus, quid sit manducare corpus Christi & bibere sanguinem eius, hoc est in Christo manere, & illum manentem in se habere, quàm vt contrariã tam apertis dictis vel versutissimus cauillator sententiã affingere possit. Ac propterea, qui non man[illegible] Christo, & in quo non manet Christus, ille sicut non manducat carnem Christi, nec bibit sanguinẽ eius, ita nec dicat neque existimet, tam salutarem se percipere cibũ & potum. Nã qui re ipsa cum visibilibus elementis

Sententia Augustini perspicua.

perciperet,ſicut tu Turriane fingis, neque tamen vllum inde perciperet fructum,nulla omnino ſubeſſet cauſa,quo minus ſe rei ipſius participem, tametſi nullum conſequeretur fructum, dicere poſſet. Niſi tu forſan,Turriane,adeò ineptus eſſe velis,vt qui atrophia laborant, neque vires ex cibo percepto reſici, corpuſculúmq; ſuũ magis ac magis attenuari ſentiunt,eos tu prorſus ab omni opinione cibi in ventriculũ hauſti remoueas,aut inſanos,qui reuera ſe mãducare dicãt,iudices. Reuera enim cibum percipiunt, ac propterea non modò exiſtimare,ſed certò quod manducent aſſeuerare poſſunt. Porrò cùm mali ſecundum Auguſtinum ſacramentis participantes, reuera corpus Chriſti non manducent,ita iudice eodem Auguſtino,fruſtra ſe manducare dicerent, aut ſtolide exiſtimarent. Quæ quidem tam perſpicuè ac lucidè cùm dicta ſint ab Auguſtino, vt prorſus impudentem & refractarium eſſe oporteat qui verba eius in diuerſum velit torquere ſenſum: ſequitur neceſſariò,nullum in ſacramento reali & corporali manducationi relinqui locum,neque externa ſymbola ſecũdum mutationẽ ſubſtantialem in ipſum Chriſti corpus & ſanguinem permutari.

Scargæ cũ ſuo hyperaſpite minime conuenit.

Sed neque illud diſſimulandum eſt, ita Turrianum à Scarga ſuo in interpretatione verborum Auguſtini diſſidere, vt cùm in obterenda veritate mutuas ſibi tradant operas, minime tamen in ipſo mendacio congruant. Nam Scarga quidẽ in priore ſuo libello explicans hunc Auguſtini locũ,quid ſit reuera manducare corpus Chriſti,idem eſſe dicit,quod verè manducare: vt malos quidem manducare corpus Chriſti perhibeat, ſed non reuera, id eſt non verè. Turrianus autẽ à malis etiam verè corpus Chriſti manducari affirmat, ſed non reuera,id

ra,id eſt non ſpiritualiter. Nam corpus Chriſti, inquit, manducatur,ſiue verè, vt Catholici dicunt, ſiue in ſpiritu tantum, vt hæretici. Hæc verò tanta inter bellos hoſce Auguſtini interpretes diſſonãtia, non mentem eos Auguſtini explicare, ſed de induſtria veram deprauare ſententiam manifeſte coarguit. Niſi enim iſtis propoſitum eſſe propriè ac ſimpliciter dicta adulterare,ne voculam quidẽ hanc ab Auguſtino in propria & vſitata vocis ſignificatione vſurpatam corrumperent, neque contra autoris ſententiã in diuerſum omnino ſenſum transformarent. Quid enim ſecundum perpetuum ſermonis Latini vſum hæc vocula, reuera, aliud ſibi vult, niſi quod ferè eadem voce dicimus Reipſa? Atqui Scarga reipſa à malis manducari in Euchariſtia reale & ſubſtantiale corpus Chriſti confidenter aſſerit, idem autem non manducari reuera,vt conſentiat cum Auguſtino,perhibet. Ita vetò fraus vbique ſe ipſam conſtringit, ſuiſque laqueis ſe ſemper implicat.

Scarga à ſeipſo diſſentit.

Quod autem in nectendis dolis non vnam eãdémque Cretenſes iſti ſequuntur formam, vt vehementer etiam à ſe diſſentiant, tanto euidentius mendacium ſuum omnibus patefaciunt. Nam ne illud quidem manifeſta caret repugnantia, quod Turrianus carnalem corporis Chriſti manducationem ſine vnione ſpiritus nihil prodeſſe dicit, neque participes Chriſti effici docet, quæ tanquã membra mortua per peccatum cum Chriſto vniri non poſſunt. Scarga autem non tam ampla dona conſequi illũ contendit, qui ſe ſpirituali eſu Chriſti corpore, in voto & deſiderio ſacramenti reficit atque ille qui ſacramentalẽ etiam & realem Chriſti corporis manducationẽ adiunxit. Idem tamen Scarga paulò poſt iſtã corporalem & ſacramentalẽ

Turrianus cum eo quem defendũ recepit, pugnat.

mãducationẽ non sufficere, imò officere perhibet, si fides viuida virtutibus sanctisque desideriis adornata, defuerit. Ita verò belli isti & graues Theologi instar Euripi sursum ac deorsum iactãtur, nec verò quo progrediantur aut vbi consistant, quicquã certi habẽt & explorati. Ipsa tamen veritas vel inuitis hoc extorquet, quod carnalis corporis Christi manducatio, quam stolidè finxerũt isti Anthropophagi, nihil omnino prosit, imò plurimum officiat, nisi spiritualis manducatio nos cum Christo coniungat, & in societatem ac communionem bonorum omnium, quæ ex corpore sancto Christi vbertim profluunt, quasi manu ducat.

Carnalem corporis Dominici manducationem ipsi Iesuitæ reprobãt.

At verò si sola spiritualis manducatio nos cum Christo consociat, & in possessionem æternæ felicitatis vitæque immortalis inducit: vt quid ergo Iesuitæ, carnalem corporis Christi esum tantopere vrgetis? & quod nullum per se affert emolumẽtum, imò si solum absque spirituali esu vsurpetur, certum affert exitiũ, tanta contentione introducitis? Sed quod verè, vel vobis iudicibus, nihil prodest, nec animas fidelium sensu peccatorũ & mortuas reficit, vt quæ non carnaliter, sed spiritualiter & per fidem carne & sanguine Christi saginãtur: id verò, vobis carnalibus maximum affert fructum, & dum ociosos ventres abunde pascit ista vos lasciuia & insolentia, qua tanquam effrænes exultatis equi, magno orbis malo instruit. Tollatur enim fallax hoc & commenticium transubstantiationis figmentum, & subito tanta sacrificorum turba cum omnibus opibus malè conciliatis & subdolè ac versutè quæsitis corruet. Quam quidem transubstantiationem labascentem & ruinam minantem frustra vos omnes ingenij intendentes vires, fulcire studetis: quando omnibus argumentorum &

Transubstantiatio Papæ an ruinam minatur.

rum & sophismatum vestrorum compagibus solutis, rimam nihilominus agit, & fragili superstructa fundamento, diu salua persistere nequit. Nam & si Turrianus varia subinde infarcit, & ingenium in omnes versat partes, vt istas rimas expleat; iniquitate tamen operis victus, & ingrato labore defatigatus aliquando succumbit, & tantum non manibus admotis, quod diutius retinere nequit, ruentem male compactam molem impellit. Postquam enim frustra ostendere conatus est, nusquam sacramenti nomen pro sola visibilis elementi parte vsurpari, vltrò id tandem fatetur, sed non sine exprobatione inscitiæ nostræ, qui pro synecdoche metonymiam vsurpemus, & rudes nos grammaticos confundentes figurarum nomina probemus. Synecdochen enim ille ait esse non metonymiam, quando pars pro toto, totumque pro parte ponitur, vt quando visibile sacramentum apud Augustinum pro solo externo symbolo vsurpatum esse concedit, & à Paulo Apostolo panem dici communionem corporis Christi synecdochicè non metonymicè, ex parte nimirum totum sacramentum. Nos verò Turriano id libenter damus, & in explicandis figurarum proprietatibus grammaticum vel Cypriano superiorem agnoscimus, dum modo id, concedente eo, quod requirimus obtineamus. Quancunque enim hic tandem agnoscat ille sermonis formam, aut quencunque statuat tropum, hoc pro confesso tamen relinquit, non semper visibile sacramentum pro toto vsurpari, vt nimirum nobis cõcludere liceat, non esse necesse omnes ex æquo ipsius rei participes esse, quicunque externo participant signo. Ita verò transubstantiationis commentum vel ipso Turriano iudice deperit, & permutatio signorum

Quomodo in verbis Cænæ sit Metonymia, vide Petrũ Martyrẽ in Tractatione de Eucharistia pag. 132.

Quam merito Turrianus Martyrē & Bezam reprehendat, hoc est, sus Minerua.

in res ipsas falsissima esse deprehenditur. Sed ne tamen Turrianus Petrũ Martyrem vel Theodorum Bezam adeò rudes existimet esse grammaticos, ex quorum disciplina me non rectè metonymiam pro synecdoche vsurpasse contendit: debebat animaduertere, non ita superstitioſè à grammaticis discerni figuras, vt non sæpe alia pro alia vsurpetur, maximè cũ metonymia, iudicio grammaticorum, tam vicina sit synecdoche, vt nõ magno ab ea distet discrimine. Nec verò attinebat nouam figuræ inducere formam in vna eademque materia, vt quando corpus Christi multoties per metonymiam pro ipso vsurpatur sacramento, hoc est pro solo visibili & externo symbolo, hoc est pro vna sacramenti parte secundum eundem metonymię tropum vsurpari rectè dicatur. Non ergo inscitia grammatices tanti viri lapsi sunt, vel ego, sicut existimas, sequens eosdem, sed quia in tanta istorum troporum cognatione non attinebat duplicem notare tropum, quando per vnum tota res cõmodè potuerit expediri. Sed Turrianus si quid de laude clarissimorum doctissimorumque & omni posteritatis memoria dignissimorum virorum delibasset, id ad nominis sui existimationem accessurum stolidè putauit: non dissimilis tyroni in scholis literario, qui quod aliquando regulam aliquam grammaticam exactius maximo quouis Theologo vel Philosopho nouit, se superiorem doctrina satis imperitè opinetur. Sed rana hæc Æsopica quãtumuis intumescat, corpusque suum distendat, nunquam bobus istis, vel si rumpatur media, similem sese præstabit. Nec verò minorem in eo vanitatem suam prodit, quod toties Martyrem in controuersia sacramentaria à Gardinero Episcopo Vintonienſis victum iactat: quando di-

Turriani impudẽs mentiendi libido.

uinum

uinum illud & excellens Martyris de sacramento opus, clarissimæ victoriæ de omnibus veritatis hostibus certum exhibeat documentum. Quicquid enim ab omnibus sophisticis ingeniis depromi potui fallaciarum, id in vnum à Gardinero cõgestum cumulum diuina quadam Martyris virtute disiectum, & gladio verbi Dei confossum omnes pij perspiciũt. Si verò Turrianus tantam scriptis Gardineri tribuit autoritatem, vt victorem nihilominus, in hac causa agnoscat, ne fidem illi in his quoque habere recusẽt, quæ contra doctrinam pontificiam ille scripsit, & summis viribus falsa dogmata religionis Papisticæ impugnauit. Atqui tam leuia & ventosa ingenia nullam apud omnes bonos merentur fidem, quæ se cuiuis religioni quauis de causa accommodant, nec gloriam Christi, sed quæstum suum, in omnes tanquã Protei sese vertentes formas, quæritant.

Steph. Gardinerus in religione incõstans

Verùm postquam primum & præcipuum Scarganæ demonstrationis, qua transubstantiationem panis & vini in ipsum corpus & sanguinem Christi probare voluit, fundamentum subrutum est, nunc ad secundum illud, minus etiam firmum ac stabile, veniendum erit. Hoc enim Scarga à coniecturis petit, quæ in grauibus & solidis rerum probationibus nullum habent locum. Scribit enim Christum diuinam suam benedictionem pani & vino contulisse, & ea in manus accepta benedixisse: ac proinde absurdum fore existimat, si nihil creaturæ susceptæ Dei benedictione diuinũ in se deriuarent, & non in id, quod vult diuina potentia commutarentur. Nam si quinque panes & exigui pisces, tum dicente Domino, in immensum excrescunt, quid ni Eucharistico pani, qui tanta autoritate benedicitur, aliquid diuinum & admi-

Scargæ nullius momenti argumentum.

rabile accederet ? verum si Scarga coniecturam hanc suam aliquod pondus habere voluit, debebat saltem vel vnicum demonstrare exemplum, vbi noua aliqua rerum in diuersas formas mutatio, quibus aliquando Christus benedixit, subsequuta sit. Nam & panes illos quinque, quibus tanta hominum turba à Christo satiata fuit, panes reuera esse oportuit, quamuis diuina virtute Christi fuerint multiplicati, vt cibum corporalem vescẽtibus præberent, & famem debellarent. Nec verò apud Iohannem verbum εὐλογήσας sed εὐχαριστήσας vsurpatum legimus, vt nec panes illos à Christo benedictos fuisse, sicut Scarga somniat, textus ipse Euangelij coarguat: Ita enim textus habet: Accepit autem panes Iesus, & cum gratias egisset distribuit discipulis, discipuli autem discumbentibus. Vanissimum ergo tuum est, Petre, argumentum, ac temerè, nulloque iudicio prolatum. Nec de pane mystico in manus à Christo accepto scribentes Euangelistæ omnes verbo benedicendi vtuntur, sed quod Mattheus & Marcus dixit εὐλογήσας, pro eo Lucas & Apostolus Paulus vsurpant εὐχαριστήσας, vt de populo accepto commemorantes, omnes ex æquo gratiarum actionis non benedictionis mentionem fecerint. Ita verò non ambiguo sensu declarant omnes verbo benedictionis, gratiarum actionem designari, quam pro salute & redemptione generis humani Christus Deo Patri peregit, eiusque sacrosanctum mysterium in illa Cæna nobis instituit. Sed quia Scarga cum tota sua cohorte benedictionem signo crucis semper exprimit, nimisque suauiter in vano commẽto delirat, hoc quasi exorcismo se transubstantiationem nobis approbaturum stultè putauit. Ego autem sanis omnibus lectoribus iudicandum relinquo,

Ioan. 6. 11.

Benedictio idem notat quod gratiarum actio.

Benedictio, Iesuitis quid sit.

linquo, an vel minimum aliquod signum ex sacris scripturis, nedum solidum aliquod & firmum argumentum attulerit, quo rem istam & re & nomine vanam, & à religione Christi omníque pietate alienam, approbauerit.

Itaque cum ista nihil profeciſſet ratione, se in aliam conuertit partem, & cum omni diuino se destitutum sentit præsidio, humanam tandem implorat opem, pro Spiritúsque sancti oraculis ad hominum nos chartas reuocat. Ostendere enim nititur omnibus ab exortu Euangelij ætatibus istã viguisse doctrinã, omnésque in Ecclesia antiquissimos scriptores mutationem substantialem panis & vini in ipsum reale corpus & sanguinem Christi docuisse, ac fidem transubstantiationis in Eucharistia professos esse. Nos verò & si doctrinam Propheticam & Apostolicam Ecclesiæ à Deo traditam agnoscimus, vt ex ea sola, quæ ad cognitionem veram Dei & voluntatis eius spectant, discẽda nobis esse credamus, non tamen autoritatem excellentiũ in Ecclesia scriptorum repudiandam nobis esse ducimus, vt in scripturis interpretandis sanctis, & ductum eorum libenter sequamur, & sanctam eorum operam in profligandis variis Ecclesię pestibus, quas subinde excitauit Sathan, grata voluntate exosculemur. Magnis enim ac infinitis penè laboribus & vigiliis istud consecuti sunt, vt scripturas sanctas & fideliter ediscerent, summóque conatu hostes veritatis oppugnantes sensum earum aperirent. Totam ergo autoritatem in tradenda vera religione Christi scriptura sancta illis cõciliauit, & admirandos omnibus reddidit. Nam si quid diuersum ab oraculis sanctis traderent, nec certis & euidentibus testimoniis omnia sua confirmarent, adeò nihil eorum apud nos va-

Scarga vorbi diuini ope destitutus ad suffragia humana confugit.

Patribus quatenus fides adhibenda.

leret autoritas, vt sine vlla dubitatione reiiciendam nobis putaremus. Hanc enim scriptores ipsi Ecclesiastici, quod supra prolixè demonstraui, legem tulerunt, vt quæcunque ab excellentissimis etiam autoribus citra autoritatem scripturarum proferrentur, ea fugiamus: contra vero consona Dei verbo ab iisdem non aliter recipiamus, quam si ex ipsis veritatis diuinæ fontibus hausta esse perspiciamus. Augustinus enim, vt ad reliqua eius testimonia superius recitata, vel hoc vnicum adiiciam: *Si quis*, inquit, *siue de Christo siue de eius Ecclesia, siue de quacunque aliare, quæ pertinet ad fidem, vitámque nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adiecit, si Angelus de cælo annunciauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Hieronymus autem ad Mimerium & Alexandrum. *Nec*, inquit, *iuxta Pythagoræ discipulos, præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat: Quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco? sciat me illud Apostoli libenter audire. omnia probate, quod bonum est, tenete, & saluatoris verba dicentis, Estote probati nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.*

Augustinus contra Petil. lib. 3. ca. 6.

Diuorum inuocatio ob Augustini autoritatē nequaquam recipiēda. Similiter & alij errores.

Quare quod, Petre, interrogas, cur autoritatem Augustini de sacramento Eucharistiæ scribentis contra te opponam, in aliis verò quæ illum apertissimè docere scribis, vt sacrificium missæ & sanctorum inuocationē, illam prorsus repudiem? Hieronymus his proximis verbis pro me tibi respondet: quia nummum adulterinum video, nec Christi

sti faciem claro lumine mihi exhibentem, ideo eū in cordis mei marsupium recondere nolo. Nam omnis hæc impietas & fœda idololatria, non modo aliquod scripturæ sanctæ testimonium, sēd ne apicem quidem vllum, quo approbari possit, habere clarissime euincitur. Et quod tu tantæ impietatis Augustinum fautorem facis, quanta hodie in Romana conspicitur Ecclesia, a rocem te sancto viro facere iniuriam, si mihi hoc argumentū seorsim tractandum esset, facilè demonstrare possem. Semper enim vos in scriptis sanctorum patrum pro melle venena tanquam araneæ legitis, & quędam parum commodè dicta ad mentem & sententiam eorum, quam clarissimè multis in locis parefaciunt, non accommodatis. At verò si quis cum aliquo fructu scripta veterum patrum legere velit, & ne eorum sequens dogmata à recto veritatis tramite deflectat, ille semper obscurius dicta cum dilucidis & apertis conferre debet: nec verò sensum suum obscuris aut incognitis inducere, sed ipsos scriptores suarum sententiarum interpreres facere. Nam & Augustinus in libro de doctrina Christiana eā scripturę explicandę ratione tradit, vt vbi apertius ponūtur res, ibi discendū esse præcipiat, quomodo in locis obscuris intelligantur. Ac profecto in hoc vno Eucharistiæ negocio si nō quæuis verba & sententias ex Augustino arriperetis, sed ipsam mentem & genuinam autoris sententiā amplecti studeretis, totā subito controuersiam inter nos compositam cerneretis, omnemque imaginationem de carnali corporis Christi esu, & reali ipsius cū symbolis coalitione abiiceretis. Nam quod mutationis & conuersionis elemētorum in res ipsas sacras mētionem aliquoties facit, id nullam veræ intelligentiæ pareret difficultatem, si

Mutationis nomine quid Augustin. intelligat.

tot in locis cur panis dicatur corpus, & vinũ ſanguis, & cur ſymbola rerum ipſarum accipiant nomina, modum ab eo diligentiſſime perſcriptũ attendere velletis. Primum enim & pręcipuũ huius controuerſiæ caput eſt, vt quo ſenſu verba Chriſti ſint accipienda, intelligatur, & quęcunque poſtea de mutatione ſignorũ à ſcriptoribus antiquis dicuntur, non dubiã & perplexã cuiuſuis mentem, quin facilè hunc nodum diſſoluat, amplius tenebunt. Vos autem præpoſtero ordine cuncta facitis vt ſententias veterum, in quibus mutationis aut conuerſionis meminerũt, primo loco ponatis, & tranſubſtantiationẽ perpetuo ſomniantes, veram verborum Chriſti ſententiam, quam clariſſimè illi explicãt, aut obſcurare, aut eludere ſtudeatis. Hoc verò eſt, non ex fumo dare lucem, ſed ex luce fumum. Quare quæcunque veterum abs te citabuntur ſententiæ, vbi de mutatione & conuerſione ſymbolorum verba faciunt, ſemper eas ad hanc lucem reuocabo, vt quem dicẽdi modũ in verbis Chriſti agnoſcant, aut quo ſenſu illa explicent, commonefaciam, nec verò ſubſtantialem mutationem, quam phyſici tradunt, ſed ſacramentalem, quam ſacræ literæ docent, veteres agnoſcere patres oſtendam.

Ac primus quidem ex Auguſtino producitur abs te locus, quem pro tranſubſtantiatione nihil omnino facere in priori reſponſione mea ſatis dilucide me demonſtraſſe confido: iterumque ipſo Auguſtino verborum ſuorum interprete adhibito, demonſtrabo. *Nos autem*, inquit, *in ſpecie panis & vini quam videmus res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem honoramus, nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante cõſecrationem comprehendebamus, cùm fideliter fatea-*

Locus ex Auguſtino à Scarga citatus. 1.

mur, ante cõſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit, poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit. Hunc verò locũ ita tu, Petre, interpretaris, vt quia non in pane ſed in ſpecie panis corpus Chriſti ſe honorare Auguſtinus dicit, panis ergo ſubſtantiã in corpus Chriſti verè eſſe permutatum, ſola viſibili ſpecie panis manente, ab eo doceri contendas. Ego verò ipſum Auguſtinum ſententiæ ſuæ interpretem tibi fero, & quod per ſpeciem panis ipſum intelligat panem, ex aliis clarioribus illius ſententiis apertè oſtendo. In ſermone enim ad infantes ſic loquitur, *Quod vidiſtis panis eſt & calix quod etiam vobis oculi veſtri renunciant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix eſt ſanguis.* Audiſne, Petre, ſpeciem panis, & panem ab Auguſtino promiſcuè vſurpari, vt quod ſacramentum corporis fidelibus offertur, reipſa panis ſubſtantiam non ſolas nudas ſpecies vel accidẽtia panis exhiberi doceat? Deinde cùm panem dicat eſſe corpus Chriſti & calicem illius ſanguinem, an non ex ſubiecto & prædicato illam conſtituit propoſitionem, quam tu fortiſſime pernegas, & non de pane corpus Chriſti dici, ſed ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam ſub ſpeciebus panis occultatã exhiberi pertinaciter vrges? Veriſſimè ergo & ſecundum Auguſtini mentem illam abs te productam illius explicaueram ſententiam, quòd nimirum ante conſecrationem panis ſit & vinum, poſt conſecrationẽ autem, caro Chriſti ſit & ſanguis, panis nimirum & vinum, vt hæc ſint loco ſubiecti, illa loco prædicati ad conſtituẽdam integram propoſitionem, & cognoſcendam non identicam, ſed ſacramentalem & figuratam dicendi formam. Aut enim tu negato dicere

Ieſuitica Auguſtini verborum interpretatio.

Panis ipſe & ſpecies panis idẽ ſunt Auguſtino.

Augustinum, panem esse corpus Christi, & calicem sanguinem, aut si negare non potes, quomodo panis corpus Christi propriè & sine figura dici queat, nobis explica. Nam quod tu disparatorũ in hac propositione negas esse prædicationem, alioqui modo dici Christum esse petram, quàm panem Christi esse corpus, & calicem sanguinem in eo contradicere Augustino omnino videris. Augustinus enim similem prædicationem in his scripturæ locis agnoscit, vt sicut sanguis dicitur anima, & petra Christus, ita panis dicatur esse corpus, non propriè sed significatiuè.

Scarga Augustino contrarius.

Cùm ergo nihil haberes, quod ad tam perspicuum ac luce ipsa clarius testimonium Augustini responderes, illud alto præteristi silentio, & quia te illo iugulari sensisti, prorsus intactũ reliquisti. At verò si veritatem inquirere, & veram Augustini sententiam cognoscere propositum tibi fuisset, hos maximè locos notare debebas, in quibus sensum verborum Christi ille aperit: & quomodo de pane dicatur corpus perspicuè exponit. Res enim hæc probè intellecta expeditam viam tradit, vt quicquid deinde de mutatione vel conuersione signorum vel sacramentorum in res ipsas ab Augustino dicitur, id mutationi sacramẽtali non substantiali competere intelligatur. Nam si constat panem reuera esse, qui secundum Augustinum & reliquos scriptores antiquos sit nihilominus Christi corpus, ipsa quidem fides corpus Christi in pane honorat, illúdque solum agnoscit, & propositum recipit, tametsi omnes sensus nullam mutationem panis esse factam iudicent. Hoc enim discrimen inter substantialem & sacramentalem mutationem perpetuò obseruandum est, vt nunquam illa fiat, quin iudicio sensuum comprobetur.

Scarga dissimulator locorum, qui cõtra se faciunt.

Mutationum duæ contrariæ species.

betur. hæc verò repugnantibus omnibus sensibus sola fide intelligatur. Mutatur ergo panis in corpus Christi, transitque vinum in sanguinem, sicut dicit Augustinus: non quod vlla substantialis rerum mutatio facta sit, quãdo id omnes sensus pernegant, sed quia fides à sensibus auersa, non panẽ sed corpus ipsum Christi contemplatur. Rectè ergo quod superius citauimus, Augustinus nullam substãtialem mutationem factam asserit, quãdo & panem & calicem esse ipsorum sensuum iudicio perhibet, sed sacramentalẽ propterea docet, quia fides non panem neque calicem, sed ipsum corpus Christi & sanguinẽ in externis symbolis, attẽdit.

Hanc verò tam planam & genuinam Augustini sententiã, si tu, Petre, Turrianúsque tuus expendere velletis, & quæ obscurius ab eo aliquando dicuntur, cùm tam dilucida & aperta sententia conferretis, nullam posthac nobis litem de mutatione substantiali intenderetis, sed solam sacramentalem nobiscum agnoscentes, certum quietis portum attingeretis. Verùm adeò tibi ista à me proposita de obscurioribus patrum dictis per notiora explicandis regula displicet, vt tu homo facetus regulas istas mulierculis peccatis oneratis, quibus me sapientem videri perhibes, & quarum rationem Deum à me requisiturum dicis, proponendas esse clamites. Ego verò me non esse Iesuitã ex instituto Ignatij Loiolæ vestrum sociũ probe mihi sum conscius, neque ex alio quouis ordine monachum, vt cum mulierculis familiarius mihi viuendum esse putem, aut sapientiam apud eas ostentem, cum quibus nullum habeo commercium. In te & in tuos socios istud potius competit, qui mulierc ularum sensum optimè calletis, & quarum flagitiorum ac scelerum omnium per

Iesuita quã aptè locu Pauli in Volanum torqueat.

auricularem confessionem conscij, vobis obnoxias, magísque obsequentiores, quàm maritis earum expediat, habere soletis. Itaque vestram illis sapientiam vos venditatote, & quam rationem pro animabus earum Deo sitis reddituri, quarum & publicè & priuatim doctores estis, diligenter dispicite. Ad me autem nulla rerum earum pertinet cura, vt quarum nec me magistrum professus vnquam fuerim, nec vllam aliquando cum alienis mulieribus, sancto matrimonij alligatus vinculo, familiaritatem coluerim. Nec verò quæ ad te, tuósque socios, Petre, scripsi, ad mulieres pertinuisse credidi, nisi tu propter arctã societatem & amicitiam, quæ vobis cum illis intercedit, idem esse putes, scribere mulierculis, quod Iesuitis. Sed video quid scriptorem tuum fefellerit, qui sub nomine tuo hunc librum scripsit, téque eius authorem falsò insimulauit. Alicubi enim in Italia latens, aut in alio quouis extra Lituaniam angulo, istam tibi spermologiam consarcinauit, vt conditionis meæ ignarus, ministrúmque vel concionatorem cum Turriano putans, me mulierc ularum doctorem per ludibrium vocare voluerit. Nam tu si omnia hæc scripsisses, proculdubiò tantum errorem, me vitámque meam bene perspectam habés, non admisisses, nisi forsan nimium intempestiuè falsus videri voluisses.

Auricularis confessio quam necessaria Papæ cæli batum amplectentibus.

Autor libri Scarg ani tanquã sorex suo se indicio prodidit.

Verùm quicunque tandem autor scripti huius existat, nihil moror: illud vnum, vt ad propositum redeam, te considerare volo, numquam te tantam Augustini lucem, qua panem corpus Christi figuratè dici tradit, quibusuis tuis nebulis obscuraturum, aut planam eius sententiam, quo minus sit perspicua, ex oculis hominum erepturum. Nã quo sensu in scripturis sanguis dicitur anima, &pe-

& petra dicitur Christus, ita panem appellari perhibet corpus, non quod reuera panis sit corpus, sed quia est corporis Christi signum. Apertissimè enim hæc dicuntur ab Augustino contra Adimãtum cap. 2. *Non dubitauit*, inquit, *Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.* Tu autem quàm appositè ad hunc responderis locum, aut quàm fideliter mentem Augustini explicaueris, id vel crassissimo cuique iudicandum relinquo. Ita enim respondes: Aliquid, inquis, ad tuum confirmandum errorem occasionis & scandali tulisses, si vnicam vocem addidisset Diuus Augustinus: tantum scilicet, sed non dixit signum tãtum corporis Christum discipulis dedisse, sed rem sub signo, in quam panis substantiam, remanentibus speciebus, mutatam esse alio loco docuit. At qui Petre non fuit Augustino propositum hoc in loco tradere, vtrum solum à Christo fidelibus offeratur signum, an verò vna cum signo res exhibeatur ipsa. Sed hoc vnicum docere voluit, quo nimirum sensu de pane dicatur corpus, eámque non propriam, de quo mihi tecum controuersia est, sed tropicam ostendit dicendi esse formam. Tu verò cùm non haberes quod responderes, extra oleas diuagari voluisti, petétique mihi falcem, ligonem obtulisti. Verum si tu ipse tam hebes es, vt quauis nebula oculos tibi offundi facilè patiaris, ne existimes reliquos tam stupidos futuros, vt nõ diligenter in causam inquirant, & aliena ab instituto afferentem meritò repudient. Manet ergo hoc certum, fixúmque & ex Augustino lucidissimè probatũ, quod panis qui est signum corporis Christi, corporis ipsius Christi nõ propriè sed tropicè nomen accipiat: vt tuum, Petre, tuæque scholæ putidum de substantiali panis in corpus

Augustinus panẽ cœnæ Domini signum appellat.

Scarga nihil ad rẽ respõdet.

Christi mutatione commentum, non posit nisi maliciosè & impudenter Augustino attribui.

Quod autem Turrianus, defensor tuus, optimè hunc Augustini locum à te explicatum dicit, tantáque vi contrà me contortum, vt eum omnino refellere nesciuerim, videtur hic se tibi præstare facetum quendam Gnathonem, pulchrè in primis ac sapienter à te dictum affirmãs, & quo me iugulaueris ac mutum reddideris, cum auditoribus summa in dictis tuis appareat vanitas, neque vlla apta reíque præsenti conueniens reddita mihi responsio. Scribit enim rectè hunc Augustini locum te exponere, qui signum pro specie accipias, vt species nimirum & non substantia panis corpus Christi vocetur, eò quod sapore & odore & aliis proprietatibus sensibilibus, diuinam proprietatem carnis Christi significet & figuret. At verò si secundum Turrianum species externa, siue apparentia panis, abolitâ ipsa substãtia, de corpore Christi dicitur, propterea quod proprietatem carnis significat, figuratam ergo Christi orationem esse oportet, quando color panis & sapor significatiuè & nõ identicè corpus Christi esse dicatur. Quod quidem tu, Petre, adeò non dissimulas, vt sicut in priore scripto tuo figuram esse cõcessisti, ita & inhoc secũdo idẽ repetere vólueris. Scribis enim: Si species panis, quæ videntur in Eucharistia, Christi vocentur corpus, figuratè hoc dici concedi potest, ideo quod illud contineant, & significent, sicut vsurpatur continens pro contento, & scrinium in quo est aurum, auri ipsius nomine vocatur: Ita species panis, quæ carnem Christi continent, per figuram caro Christi appellantur. Si ergo Petre, te ipso iudice in verbis Christi sacrosanctam suam cœnam instituentis, figurata oratio

Turrianus Scargæ non modo defensor, sed etiam Gnatho.

Si continens pro contento Methonymia vtique est, quod tamen supe rius Scarga negat.

oratio agnoscenda est, vt toties tui oblitus, tibíque non constans odiosè in me debaccharis? & figuratorem, ac ventos & nebulas figuratum spargentem, ac cuniculos tropicos fodientem, figurator ipse toties criminaris? Sed hàbet hoc fallax rerum omnium, quæ sub certam scientiam non cadunt, opinio, vt cum multa dixerint homines vanitatis alicuius assertores, ipsi sibi multoties repugnent, & in mendacio deprehensi turpiter hæreant. Ego verò scommata & conuicia tua non amplius morabor; quæ tu in figuratores impudenter effundis, quando hoc veritas vel repugnãti tibi, Turrianóque tuo extorsit, vt figuram, quã exosam habetis, vltro ipsi agnoscere cogámini. Quod autem Turrianus responso tuo comprobato, aliud se tamen aduersus me cumulare dicit, itaque respondet, accepisse hic Augustinum signũ pro sacramento, perindéque esse, vt si diceret, non dubitauit dicere, hoc est corpus meum, cum sacramentum corporis sui daret, adeò nihil ad cumulum apposuit, vt plurimum etiam de pondere causæ confessione sua detraxerit. Nam si vel ipso Turriano teste signi & testamenti vocabulis promiscuè multoties vtitur Augustinus, pro vna nimirũ sacramenti externa & visibili parte hoc vocabulum vsurpare eum ostendit, vt quando signum vel sacramentum, hoc est panis ipse, sicut nos asserimus, vel species panis, sicut vos fingitis, dicitur esse corpus, id figuratè & significatiuè, vobis etiã concedentibus, dici intelligatur.

Memineris ergo, Petre, nullam iam mihi tecum restare pugnã de figurato verborum Christi sensu, quãdo id te vltro concessisse mihi video, sed de hoc vno inter nos controuerti: Vtrũ de pane an verò de ipsa specie panis corpus Christi prædicetur.

Scarga figuram ad mitrens, figuras insectatur.

Augustino signũ & sacramentum idem pol lent, vel Iesuitis iudicibus

Iesuitæ tropum in verbis Christi quem impugnarũt agnoscũt.

Quod tu probandum suscipis, & non panem sed solam apparentiam vel speciē panis corpus Christi dici asseris, illam Augustini sententiam producis: *Si sacramenta similitudinem quandam earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam nomina ipsarum rerum percipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: ita sacramentum fidei, fides est.* In hoc verò loco, Petre, tu sacramentum ab Augustino pro solis speciebus visibilibus accipi dicis, de quibus quodam modo non propriè corpus Christi quandóque prædicari perhibeas. Atqui magna tua est incogitantia, & in expendendis patrum sententiis supina quædam oscitantia, qui de vno Eucharistiæ sacramento, & non de altero Baptismi Augustinum verba facere putas. Non de vno enim sed de vtroque, quando nec plura sint à Domino instituta, sicut idem testatur Augustinus in libro de doctrina Christiana, generalem in eo loco doctrinā tradit, cum nimirum sacramenta siue externa signa, rerum ipsarum quas significant nomina accipiant. Docet autem ille similitudinem quandam, quam habent signa cum rebus ipsis hoc efficere, vt signa nominibus rerum nuncupentur, & Baptismus dicatur esse fides, qui reuera tamen non est fides, sed fidei signum, sic panis dicatur esse corpus, qui tamen propriè non est corpus, sed signum corporis.

Scarga sē tētiæ Augustini obscurator industrius.

Scarganā Augustini verborum interpretationem quale absurdum consequatur.

Expende ergo, Petre, si sacramentorum nomine solas visibiles species abolita ipsarum substantia, sicuti tu somnias, Augustinus intelligit, iam non solum panem & vinum in sacramento Eucharistiæ, sed aquam quoque in sacramento Baptismi transsubstantiari, & sicut illic sola accidentia sine subiecto

subiecto remanere dicuntur, ita & in Baptismo sola accidentia aquæ reliqua esse oportere. Sed quēadmodum hoc falsum, sic neque illud esse verum perspicuè demonstratur. Sicut enim integra substantia aquæ manet in Baptismo, ita integra substantia panis manet in Eucharistia. Non ergo Augustinus nomine sacramenti inanes rerum intelligit formas, sed ipsas substantias, vt panis dicatur corpus, quia est signum corporis, & vinum dicatur sanguis, quia est signum siue sacramentum sanguinis. Neque enim Christus accidentia panis & vini in manus accepit, sed panem quem fractum ac discipulis traditum corpus suum esse dixit, & vinum calice comprehensum, quod sanguinem suum nuncupauit. Rectè itaque loquitur Augustinus in sermone illo ad infantes superius à me citato: panis est, inquit, corpus Christi, calix est sanguis, vt quo ad substantiam, reuera panem & vinum sacramenta corporis & sanguinis Christi fidelibus distribui ostendat. Sed, inquis, tu cū Turriano, multis in locis tamen Augustinum & reliquos vetustos scriptores cum de sacramentis loquuntur, speciei panis & vini meminisse, vt sola illarum rerum accidentia intelligere videantur. Illi verò pani non formam lapidis, sed formam panis attribuere coguntur, vt ex specie vniuscuiusque rei propria ipsa substantia intelligatur. Nisi forsan tu tam ineptus es, vt quia ex forma & specie homines cognoscimus, nec substantiam eorū conspicimus, non hominum, sed pecudum substantiam sub illa externa hominis forma illos gerere arbitrari debeamus. Mirum enim quantopere hic vobis placeatis, & magnum nescio quid vos reperisse existimetis, quod ex Aristotele didice-

Iesuitæ quàm sibi ex male intellecto Aristotele placeant.

ritis, substantias non videri, sed earum species, siue accidentia.

Itaque me Turrianus, quē nunquā hæc didicisse dicit, ad Aristotelē ablegat, vt quæ de sensibilibus per se & per accidens in libro De anima ab eo dicuntur, cognoscā, panisque substantiam non videri per se, sed accidētia sola ediscā. Ego verò panis accidentia video, & quia reliqui omnes sensus omnes proprietates esse panis mihi renunciāt, panis ergo substantiam non lapidis sub illa forma delitescere contendo. Disce ergo tu vicissim, Turriane, ex Philosophis, & ex commentatore Aristotelico socio tuo Toleto, qui quod sensus substantiam per se cognoscere non possunt, singulis tamē naturis accidentia sensibilia illis propria Deū dedisse dicit, quædam communia, quædam minus communia, secundum naturas ipsas, per quæ accidentia homo substantias distingueret. Si ergo, Turriane, persuadere mihi vis, vt panem non esse credam, quem omnia panis accidentia illi propria reuera panem esse non aliam substantiam renunciant, eadem ratione omnibus hominibus persuadeas oportet, te sub hac hominis quam contemplantur forma & specie, non hominis sed asini circumferre substantiam. Mihi cer cè nunquam persuadebis, vt te asinum esse credam, qui tantam doctrinam & sapientiam assequutus es, tantúmque in Peripateticorum schola profecisti, vt te solum præcepta Aristotelica scire, nobis verò illa ignota nimis confidenter profitearis. Rogamus tamen, quod pace fiat tua, vt ne nobis aditum ad libros Aristotelis obstruas, & fac vt nobis istæ fores pateant, si quidē tu Parmeno ad ostium huius Thaidis custos relictus es, vt nemini introire liceat, nisi quem tu intromiseris. Verum vt vt

Toletus suis Iesuitis contrarius.

Turrianus Aristotelicæ philosophiæ princeps scilicet & oracularius.

arcem

arcem tu istam obtineas, & quàm maxima ac singulari doctrinæ Aristotelicæ laude excellas, nihil tamen ex Aristotele protulisti, quod causæ tuæ vel minimum patrocinetur. Neque enim hoc probandum tibi fuerat quod vltro cōcedimus, rerum scilicet substantias non videri nisi per accidētia, sed demonstrare debueras, sola accidentia, alicubi in aēre pendula, sine omni basi ac fulcro suo consistere, vt similiter accidentia panis in altari posita, abolita vel euanescente ipsius substantia, concludere posses. Quod cùm non facias, frustra Aristotelem patronum causæ tuæ producis, & destitutus eius subsidio, aliis armis & viribus aciem tuā instruas oportet.

Aristoteles ficulū Iesuitis auxilium.

Nec minorem illud quoque redolet vanitatem, quod ex eodem Philosopho ostēdere nititur Turrianus, in pane nimirum Eucharistico non accidētalem aliquam, sed substantialem mutationem necessariò agnoscendam esse. Nam cùm Aristoteles mutationem accidentalem tripliciter fieri ostendat, aut secundum quantitatem, aut secundum locum, aut secūdum qualitatem, nullo autem ex istis modo Turriani iudicio mutatio panis Eucharistici fiat, necessariò sequi contendit, vt mutatio substantialis fieri statuatur. Ego verò Turrianum interrogo, in quo ordine aut in qua mutationū specie sacramentalem mutationem reponat. Non puto enim tam stupidum fore vt sub classem mutationis substantialis illam reponat. Ergo si mutatio sacramentalis nullum habet locum in triplici mutationis accidentalis ordine, age, Turrianus Aristotelem nobis ab orco reuocet, & ex homine Ethnico Christianum efficiat, de mutationéque sacramentali ipsum edoceat, vt quartam speciem mutationis accidentalis ad illam triplicem adiun-

Papana panis & vini mutatio etiam Aristoteli cōtraria.

gat. Sin verò omnes sani locum sacramentali mutationi fieri posse in qualitate agnoscunt, non est cur Turrianus eam ex hoc ordine excludat, & in alienam classem ab eiusdem natura diuersam violenter coniiciat.

Sed enim Turrianus mutationem sacramentalem, quam nos fieri secundum qualitatem dignitatis dicimus, ἀλλοίωσιν esse, dicique à philosophis perhibet, quæ cùm neque μεταστοιχείωσις neque μεταποίησις dici queat, vt ab antiquis Patribus dicta est, nullo ergo modo mutationem illam secundū qualitatem dignitatis fieri posse contendit. At verò ridiculum est ex verbis quibusdam veterum hyperbolicis, in quibus patres plerunque liberrimi sunt, de rebus ipsis facere iudicium, ac non potius rebus ipsis, quarum certa est & indubia cognitio, vocabula ipsa subiicere. An nō enim aliqui ex scriptoribus antiquis nos quoque in Christum transelementari dicunt? neque tamen abolere substantiam nostram, solamque manere speciem & accidentia sentiunt. Porrò μεταποίησις apud scriptores Græcos non semper pro mutatione substātiali, sed pro correctione & mutatione rei in melius multoties vsurpatur. Sed Logodędalus iste in vocabulis ipsis insidias vbique struit, & cùm solidis destituatur argumentis, nos inanibus territat vmbris. Quare quod subsannans interrogat, Si ego in Polonia ad Decanatum, aut ad aliam dignitatem vocatus & electus essem, an transmutatus vel transelementatus dici possem? Nihil aliud, (vt in re vana mihi obiecta) respondeo: Me hominem in matrimonio honeste & cum pura conscientia viuentē, omnésque spurcas libidines & fędos cōcubitus toto pectore detestātem, nullo modo ad aliquā sacerdotij papistici dignitatē aspirare posse: prohibent

Chrysostomum forte intelligit Hom. 28. in Matthæ. & Theophilactum in Ioh. c. 6.

bent enim istud pontificiæ leges, ne cuiquam cōiugato ad honores sacerdotales pateat aditus, quē tamen impurissimo scortatori minimè intercludunt.

Non dissimilem autem habet & illud vanitatis rationem, in quo se Thraso iste plurimum extollit, & tanquam supremum doctrinæ assequutus fastigium, nihil in libro meo nisi insciti am, & animi obstinationem sese olfacere prædicat, qui ad Scargam scribēs, nefandam papistarum metamorphosin, siue transubstantiationem sim detestatus. Magnum enim bellus iste Grammaticus & sedulus syllabarum auceps discrimen inter transubstantiationem & Metamorphosin statuit, vt cùm ista vocabula confundam, & eandem significationem illis attribuam, magnam hoc nomine insciti æ notā sustineam. At verò vehementer fallitur insignis iste Grammaticus, qui huius particulæ aduersatiuæ vnam & eandem vim, ac significationem esse putat, quando illa simpliciter aliquando pro vel ponitur, aliquando vim explanandi habet, aliquādo rerum diuersitatem denotat, vt si quis dicat, Siue tu sis miles, siue agricola, ad me nihil attinet. Quid igitur? an Turrianus idem putabit esse militem & agricolam, eo quod per particulā siue agricola militi coniungatur. Non vnam ergo Turriane significationem istis ego vocabulis attribui, sed quod stolidè ad negocium sacramenti accommodentur, vtraque tanquam absurda repudiaui. Neque tamen vehemēter à scopo aberrarem, quāuis in vno & eodem significato hæc vocabula vsurparem. Nam liber Metamophoseōn Ouidij trā subsłantiationem magna ex parte tradit, qui tamē quem titulum per tot secula sine offensione Grammaticorum retineat, expendere debebas, ne mihi adeò iniquus censor esses. Tu verò

Turriani Iesuitica arrogantia

Turrianꝰ Grammaticæ rudis

Metamorphoses Ouidianæ nil aliud quam trā substantiationes sūs

mi Turriane errorem tot seculorum non ferendũ corrige, ac vt tandem vero suo transubstantiationis titulo liber ille insigniatur elabora, facilius enim istis, quos tu hæreticos vocas, persuadebis, vt in nugacibus illis Ouidij fabulis, nugax quoque vocabulum locum obtineat, quam vt ad sacratissima mysteria & infallibila salutis nostræ instrumẽta illud admitti posse existimes.

Cœna Domini Turriano ne quaquam Sacramentum.

Hoc verò cùm effeceris, aliam negocij molem tibi instare puta, vt symbola corporis & sanguinis Domini non esse sacramenta omnes edoceas, vt quam mutationem sacramentalem à substantiali diuersam omnes pij agnoscunt, illam in symbolo corporis & sanguinis Domini locum habere non posse te iudice statuant. Concedis enim tandem & tu sacramentalem mutationem, sed cæteris eam conuenire sacramentis perhibes, vnum verò corporis & sanguinis sacramentum ab hac mutationis lege exemptum, vt quod non sacramentali sed substantiali mutationi subiectum esse fortiter, imò temerè asseris. At vero probandum tibi erit, non esse sacramentum, in quod communis sacramentorum lex & proprietas non cadit, aut si negare non potes esse sacramentum, quæ te ratio cogit, vt quæ mutatio elementorum in reliquis agnoscitur elementis, non eadẽ in elemento panis & vini agnoscatur? Hic verò tu insigne eius rei argumentum te habere putas, dum magno quodam interuallo sacramentum corporis Christi à sacramento Baptismi discernis, vt pote cùm illud sit sacramentum sacramentorum, nec de elemento aquæ sicut de illo dictum sit. Hoc est corpus meum: quo mirum verbo accedente ad elementum, non mutatio efficitur sacramentalis, quæ est in Baptismo, sed substãtialis, quæ soli huic competit sacramẽto.

Eucharistia Turriano maius quiddam præ sacramentis.

Esoau-

Ego autem Sophistarum non Theologorum istud esse duco, verba violenter ad institutum suum torquere, & non sensum ex vniuersa scriptura sacra, ipsáque fidei analogia, quem verba postulant, eruere. Porrò cùm plurimis & clarissimis iam à me comprobatum sit argumentis, verba illa Christi, sanctosanctam suam Cœnam instituentis, non propriè sed figuratè esse accipienda, tamque luculentis & manifestis veterum testimoniis nullam substantialem in hoc sacramento, sed solam sacramentalem fieri mutationem, sit demonstratum, nunquam efficies, Turriane, vel millies illa crepãs verba, ad ranimque clamitans, vt in peregrino & à Sophisticis ingeniis inuecto sensu, ab his qui veritatẽ amant, & spiritui sancto sese regẽdos tradũt, recipiãtur.

Sacramẽtorum propriũ quod sit.

Deinde qualecunque tu discrimen inter Eucharistiam & Baptismum statuas, hunc rectè vnicum illa habent propositum scopum, vt nos in Christũ inserant, & Christo per fidem coniunctos iustitia & sanctitate eius perfundant, vitæque immortalis & æternæ participes efficiant. Nega enim tu si potes, omnes baptizatos spem æternæ vitæ consequi, qui sacramento corporis & sanguinis Domini nõdum participarunt, aut si id citra impietatem negare non potes, quæ te malum ratio cogit, vt quã æternæ vitæ tesseram per ablutionem aquæ non transubstantiatæ, sed sacramentaliter mutatæ fideles recipere non neges, eam in pane & vino non transubstantiatis sed sacramentaliter mutatis, apprehendere illos non posse affirmes? Nam quæ cum Scarga tuo toties iactatis, nihil in hoc sacramento omnino stupendum & sublime futurum, tantaque laude & præconiis dignum, quibus ab omnibus scriptoribus sanctis hoc sacramentum celebratur, si non externa ipsa elementa in corpus

& sanguinem Christi transubstantientur: ipsa Baptismi dignitas, nullâque in parte altero sacramẽto inferior sublimitas, inanes vestras esse querelas redarguit, quæ splendore suo dignitatis excellentia adeò se ab omni contemptu vindicat, vt nulla transubstantiatione ad commendandam amplitudinem suam indigeat. Quod si commentitio chrisma vestro, non diuinitus instituto, sed preculis & exorcismis vestris consecrato, neque in Christũ transubstantiato, omnes diuinos honores exhibere soletis, sacramentum corporis & sanguinis Domini ab ipso Christo institutum, diuinâque eius virtute & omnipotentia verbi consecratum, dignitatem suam scilicet tueri non poterit, nisi à trãsubstantiatione omnem honorem mutuetur?

Acclamãt enim inter consecrandum adorantes Aue sanctũ chrisma.

Nos verò in hoc sacramento omnes diuinæ bonitatis opes, & incomparabiles gratiæ eius, tanquã in lucidissimo speculo, contemplamur diuitias, Christum enim verè hìc præsentem non carnis oculis, sed solo fidei intuitu conspicimus, & quod externa symbola in alenda & nutrienda carne nostra efficiunt, id ipsum in recreandis & reficiendis animabus nostris operari firmiter credimus. Nam sicut omnes vires corporis concidere necesse esset nisi suis debitis alimentis subinde corroborarentur, ita animas nostras sensu iræ Dei contabescere, & ab omni spe vitæ excidere oporteret, nisi quotidie ex corpore & sanguine Christi reuiuiscere-mus, ac toties peccatis enecti, sola iustitia Christi refocillaremur. Non ergo sola in hoc sacramento symbola nuda percipimus, neque solo pane aut figura corporis Christi hic vescimur, quod nobis sine omni pudore toties obiectatis, sed in ipsa intima cordis nostri penetralia, Apostolo teste, nos recipere ipsum Christum confitemur. Et adeò nó ociosa

Piis ne quaquam nuda sunt signa diuina symbola.

ociosa visibilia hæc elementa esse experimur, vt quo frequentius in sacris cætibus ex instituto Christi illis vescimur, tanto maiore studio pietatis & innocentiæ pectora nostra inflammari sentiamus.

Porrò quem fructum transubstantiatio vobis pepererit, quã ingens desiderium ad percipienda diuina hæc sacramenta in vobis excitauerit, id vel perpetua testatur experientiá, quando non nisi semel in anno vniuersa Ecclesiæ Romanæ plebs se ad istas sacras accingit epulas, idque magis vsu & consuetudine, & excommunicationis pontificiæ metu, quàm ardenti aliquo pietatis affectu. Tota verò propemodum sacerdotum cohors ex crebro & ferè quotidiano sacramenti vsu, tãtùm capit sanctimoniæ & puritatis incrementum, vt totos dies in cauponis sacrifici desidentes, & grandibus poculis decertantes, ac omnibus nequitiæ ac libidinum sordibus sese inquinantes, omnium hominũ deploratissimos nebulones se esse profiteantur. Nec mirum, quando sanctissimũ adulterantes Domini & saluatoris nostri institutum, & spiritui sancto contumeliam irrogantes, nullum integritatis & innocentiæ fructum exhibere possunt. At verò prisca & temporibus Apostolorum vicina tẽpora, non Missarum spectacula populo Dei præbebant contemplanda, sed ferente ita Domini instituto, omnibus ouibus Christi sacratissimas istas proponebant dapes, & mutuo omnes fraternitatis colligantes nexu, ad omnem pietatem informabant. At quantopere postrema hæc à Pontifice Romano fascinata ętas, à prisca illa & sancta simplicitate degenerauerit, vel diuus ille testatur Chrysostomus, qui frustra ministros Christi ad mensam Domini

Transelemẽtatio Papanæ fructus nocta.

Veteris Ecclesiæ circa sacramento rum administrationem ritus

astare, frustráque oblationem sacram facere contendit, nisi sint qui communicent, indignósque sacrarum precum communione iudicat, qui se indignos participatione corporis & sanguinis Christi à mensa abstinentes Dominica statuunt.

Papistæ veteris Ecclesiæ Ministris contrarij.

Nostri verò isti purpurati ardeliones, vltro se à reliquo segregant populo, nec ad mensam Domini astant, vt quibus Christi sacrum exhibeant epulũ, sed vt ex placentula, sicuti impiè iactitant, causam causarum generent: hoc est, vt Deum totius naturæ opificem ex pusillo efficiant crusto, quem miseræ plebeculæ adorandũ prostituant. Qua quidem tam atroci ac execrãda blasphemia, an quicquam sceleratius & in Deum ipsum contumeliosius à sathana excogitari potuerit, omnes qui vel exiguam habent pietatis scintillam, iudicent. Ego quidem miserãdam populi Christiani sortem mecum reputans, qui triste ac sæuum sub imperio fædissimæ, Turcarum gentis iugum seruitutis hodie tolerant, tantæ ruinæ ac cladis eorum non aliam causam apud animum meũ statuere possum, quàm inauditam hanc & horrendam in populo Dei blasphemiam, ac fœdissimam tanti sacramenti profanationem. Nec verò ira Domini cessabit, quæ iam extremum vniuerso orbi Christiano minatur exitium, nisi populus Dei ab hac abominanda sese auerterit idololatria, & in legitimo ac puro vnius viuentis Dei cultu conquieuerit. Quo circa pestilentissimi huius erroris & execrandæ idolatriæ acerrimi hoc nostro seculo defensores meritò sunt deplorandi, qui ne solito suo defraudentur ocio, & ne tam splendidas, quas iniquè possident, amittant opes, extremam quandam orbi Christiano vastitatem inferre, & cuncta quæ immenso Dei beneficio stant adhuc erecta, opprimere ruina minime

Turcica tyrannis & victoriæ vnde sint.

minimè reformidant. Omnes enim ingenij intendunt vires, omnes suas in hoc conferunt vigilias, omnes fallaciarum & sophismatum laqueos nectunt, vt panem reuera esse Deum & omni pietatis cultu adorandum populo persuadeant.

Papanorũ studia & vigiliæ quo confe rantur.

Et quia omni autoritate diuinæ vocis ac comprobandam summam hanc impietatem se destitui vident, Philosophos etiam ethnicos in subsidium accersunt, Aristotelémque nobis magistrum, vnde transubstantiationem in sacramento Cœnę Domini discamus, proponere non erubescunt. Ac dum sublimem Dei sapientiam, nullóque humano ingenio peruestigabilem, vilem & exosam sibi reddiderint, eam in scholas Peripateticorum deduxerunt, vt quicquid illa reconditi habet sensus, non aliter explicari rectè posse, nisi per præcepta à Philosophis petita existiment. Quod quidem adeò isti non dissimulant, vt quidam eorum recẽs scriptor Sixtus Senensis originẽ scholasticæ Theologiæ commemorans, eam ex Theologia sacra & Philosophia Peripatetica conflatam profiteatur, istóque consilio inuentam, vt quia præ studiis legum sub Lothario secundo Imperatore floreſcentibus, sacræ scripturæ cognitio frigescere, & contemni cœpisset, monachi quidam & clerici ad commendandum studium theologicum hanc rationem philosophicam tractandarum scripturarum inuenerint, qua commendabilem Theologiam scholis redderent. At verò illa ad splendorem sacrarum literarum & cuiuis subtilitati doctrinæ humanæ anteferendarum adeò nihil attulit, vt potius omnem earum dignitatem obscurauerit, & pro mentibus hominum pietate informandis, importuna loquacitate & impotenti quadam rixandi cupiditate omnes instruxerit. Quæ pestis etiamnum in scholis istorum viget, vt mu-

Scholastica Theologia curà monachia adinuẽta.

lierum ritu graues isti Theologi linguis certantes,& in factiones Thomistarum ac Scotistarum distracti,virulenta inuicem odia exerceant,& carnificum instar,alter alterum de possessione sua depellere summo conatu studeant. Hoc autem virus magno Ecclesiæ Dei malo & infelici enatum seculo præstantissimi quique viri deplorauerunt, & à temporibus Petri Lombardi argutiis sophisticis,& curiosis quæstionibus doctrinam euangelicam miserabiliter non modo obrutam, sed fermè extinctam conquesti sunt.

In admonitione de Tertullia ni dogmatis.

Beatus quidem Rhenanus,vir eximia doctrina & pietate,alicubi rabulas istos vehementer reprehendit,qui totam Aristotelis philosophiam indoctè versam in suam Theologiam deriuarunt,& vocabula monstrosa rerum inuenientes,sanctis illis & doctissimis Ecclesię scriptoribus antiquis se dissimiles reddiderunt.Et quamuis acumen istis non adimit, veterum tamen doctrinam minimè illis concedit, ac vehementer ætati suæ gratulatur, quod Theologi,qui antea in contentiosis scriptoribus istis scholasticis versabantur,iam veteres autores euoluere incipiant, vnde magnum emolumentum in vniuersum orbem merito ille prædicit. Nec Volaterranus ab eo dissentit,qui in conciliabulis & disputationibus istorum religiosorum,hunc maximè prouehi conqueritur,qui cæteris clamosior & arrogantior videtur,& tum maximè sapere, si portentosis nominibus à cæno commentariorum depromptis, quàm minimè ab aliis intelligatur. Omitto alios plurimos doctrina & autoritate non inferiores, qui pestilentem hanc Theologiam sunt detestati,& professores eius indignos Theologorum nomine, sophistas potius vocandos censuerunt. Turrianus tamen nos subinde

inde ad has fæces reuocat, & posthabito clarissimo veritatis diuinæ fonte,ex turbidis istis lacunis lutulenta sua sophismata multoties in nos depromit,

Turrianus suum crimen in pios reiicit.

Ridiculum autem imprimis est,vt quo vitio ille cum vniuersa sua schola imprimis laboret, in nos crimen huius culpæ veteratoriè transferre nitatur. Quasi enim nos hi essemus qui dogmata Christianæ religionis cum philosophia misceamus,nec fidem oraculis diuinis adhibeamus, nisi quæ mentis humanæ iudicio comprobentur, illud diui Pauli aduersum nos citat: videte, inquit, ne quis vos decipiat per philosophiam,& inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi,& non secundum Christum. Atqui diuinam istam Pauli sententiam vestris scholis occinere debebas,quæ totam Theologiam, non negantibus istud vestris scriptoribus, in philosophiam transformarunt, & potissima fidei nostræ capita, non secundum traditionem Apostolicam,sed secundum philosophorum placita definiunt. Quare quam ex Tertulliano citasti sententiam, philosophos patriarchas hæreticorum esse,illa verò acres debebat adhibere tibi stimulos, vt detestandarum hæresium seminaria in Ecclesia Romana pullulantia,scholasticæ imputares Theologiæ,quæ dum plus Peripateticorum admiratur in extollendis humanis viribus sapientiam,quàm scripturarum sanctarum in deprimenda carnis humanæ infirmitate autoritatem, nefandum quendam Pelagianismum in Ecclesiam introduxit, totámque maiestatem potentiæ Chrsti in saluandis peccatoribus labefactauit, Nos verò dicente Deo, omne carnis humanæ iudicium suspendimus,plúsque Deo omnipotenti accusan-

Colos. 2.8

Tertullianus aduersus Hermogen.

ti iniustitiam nostram,quàm innatę philautię,quę omnium titillat mentes,& admiratione sui excæcat,credimus. Ac quod in vna re libenter præstamus,ita in reliquis aliis omnibus omnes sensus carnis nostræ,loquente Deo,sapientiæ eius promptè subiicimus.

Quod si,tu Turriane,non ex Aristotele, sed ex scriptura sancta Christum voluisse panem in corpus suum substantialiter permutari ostenderis,aut id requirere fidem nostram, vt illud credamus,adeò non repugnabimus, vt contra omnes sensus nostros id cupidissimè tecum simus crediturí. At quod nec facere voluerit,nec vnquam fecerit,noli nos cogere, vt sine causa iudicio omnium sensuum renunciemus, ac, quod tu facere videris, cum ratione ipsa insaniamus. Quamuis ne tu quidem sensibus ipsis repugnas, & quam conditionem credendi inuitis nobis proponis, ab eadem ipse nimis callidè refugis. Scribis enim tu Scargáque tuus,contra omnes sensus dicenti Christo vos credere, vt quia ille panem acceptum dixit corpus suum esse, nullum omnino panem sed ipsissimum corpus Christi vos agnoscere perhibeatis:quia tamen sensus vestri testes sint post consecrationem odoris, saporis, coloris, & si quæ aliæ qualitates sensibiles sunt,consequens esse necessariò colligatis,vt accidentia ista sine subiecta substantia panis & vini maneant. Itáne verò Turriane verba Christi ludus, iocúsque tibi esse videntur, vt quo sensus tui non pertingunt, ad substantiam ipsam,nimirum panis, quam tu inuisibilem ex disciplina Aristotelica statuis, propterea panẽ esse neges?quod autem sensus tibi renunciant,nimirum odorem, saporem,colorem, integrámque manere iudices? Hócne est verbo Christi auto-

Iesuitæ aliud dicũt aliud credunt.

ritatem

ritatem tribuere?an non potiús illi dicenti, quia diuersum tibi sensus renunciant,apertè contradicere? Nam si autoritas dictorum Christi te moueret,vt dicenti omnino credendum esse putares, profectò nec à sensibus illudi tibi patereris,ac saltem accidentia panis illa apparere,sed reuera minimè existere substantiali nimirum mutatione facta,crederes: Quod dum non facis,non Christo, quamuis id præ te fers,sed sensibus fidem te habere profiteris,panisetiam substantiam integram manere crediturus,si à sensu tuo percipi posset, & nisi Aristoteles illam omnino esse inuisibilem te docuisset. Vide ergo Turriane, vide & tu Scarga, qui toties omnipotentiæ Christi nos plurimum detrahere dicitis, quam non longo à vobis distamus discrimine, & quod meritò nos accusare minimè potestis, qui propter iudicium sensuum panis substantiam in Sacramento adesse confitemur, cùm vos eisdem permoti sensibus, accidentia integra permanere credatis. Neque sanè discrimen vllum hic deprehendere possumus, cur maiorem reuerentiam verbis Christi vos habere iactetis, quando perinde in pane verum Christi corpus nos percipere credamus, prout in accidentibus panis idem consequi vos statuitis. Sola enim autoritas Aristotelis hoc obtinuit apud vos,vt panem ideo esse negetis, quia sensus substantiam panis non apprehendit, non autem autoritas Christi, cuius dictis propter sensuum repugnantiam omnino credere recusatis.

Iesuitæ plus sensibus suis quã Christo tribuunt.

Verùm quia tantum pondus Aristoteles apud vos obtinet, vt manifesta Spiritus sancti oracula institutis eius postponatis,nec diuo Paulo panem reuera esse, qui ad commemorationem mortis Christi mãducatur,perhibenti credatis,age quan-

tum Aristoteles causſæ vestræ patrocinetur, dispiciamus,& num substantialis mutatio in hoc Sacramento ex placitis Aristotelicis agnoscenda sit, consideremus. Ac substantialem quidem mutationem fieri constat, quæ fit circa subiectum, vel substantiam,quando nimirum illa corrumpitur,vt nouam induat formam. Quæro ergo, Turriane, si quando panis Sacramentalis ab igne combustus redigitur in cineres, sicut ætate Cypriani id factum fuisse constat, aut si diu asseruatus conuertitur in vermes, & vinum in acetum, quam ne tu hic mutationem fieri putas? Profectò mutationem substantialem factam esse negare nō potes. Quando enim corrupta prima substantia noua succedit forma,non sanè accidentaliter sed substantialiter mutationem fieri res ipsa coarguit, Ostende ergo,Turriane Peripatetice, ex qua substantia cineres aut vermes fieri existimas? vtrum ex panis an corporis Christi substantia? Verùm quia hæc sine summo scelere & impietate dicere non potes, ex substantia ergo panis mutationem factam fatearis oportet. Ita verò tuus te constringit Aristoteles, contra nos productus, laqueum tuo iniicit collo, quo te strangulet. Non ergo nos post hac istis inanibus philosophorum territare vmbris, & quando lubet,te ista Lombardica oblecta sapientia:cui cum sacrarum scripturarum maiestate tantum congruit, quantum graculo cum fidibus. Nec verò cum hæc dico philosophiam contemno, quam singulare Dei donum esse agnosco, sed ministram non dominam Theologiæ instituo, cui vos tamen cum magna religionis pernicie, principatum in schola Christi concessistis, & de possessione hæreditaria Christum depellentes, regnum Aristoteli tradidistis.

Papanam transsubstantiationem quanta absurda subsequantur.

Papistę ex ancilla theologiæ inique Principē Philosophiam cōstituunt.

Huius

Huius verò obstreperæ & litigiosæ disciplinæ Magistros, Scarga æquare summis illis doctoribus, Augustino, Chrisostomo, Ambrosio, Nazianzeno, &quibusuis aliis doctrina & vitæ sanctimonia excellentibus non dubitat, magnóque Dei beneficio excitatos his postremis seculis,qui omnes hæreticorum insultus reprimerent, & qui ex hac secta nunc Vilnæ sunt in schola Iesuitarum fortes leonum catuli,lupos à grege Domini repellerent. Atqui grauissimorum hominū testimoniis, quos superius citaui, vanitas Scargæ redarguitur, qui parem doctrinam in recentibus istis Theologis minimè agnoscunt,& in tradenda pietatis doctrina adeò dissimiles veteribus statuunt,vt totam fere Euangelicam veritatem ab illis extinctam, vehementer conquerantur.

Sed quid in re nota,omniúmque oculis exposita testibus opus est, quando istorum scholasticorum quæcunque nunc extant commentationes, tot sordibus & blasphemiis in Deum & in Christum scateant, vt pius quiuis homo sine summo mentis horrore magnóque animi dolore legere spurcissima illorum scripta nequeat? Porrò quæstionum infinitarū immensum illud pelagus, quarum plurimas nec Scarga ipse diffitetur esse curiosas,tantam mentibus hominum intulit pestem,vt cùm per omnem vitam hoc fluctuum iactarentur æstu,semper miseri oberrarent, nec vllum quietis portum reperirent. Nam quæ ex transsubstantiationis commento non modo curiosæ, sed impiæ quoque emanarunt quæstiones, cùm à me saltem paucæ essent enumeratæ, ipsas Scarga dissimulauit,nec recensere voluit, vt ne in hoc vlcere tanquam vnguis existeret, ac cicatricem purulentia sua omnibus odiosam futuram refricaret. Hoc ve-

Scholastiorum theologastrorum qualia scripta.

„ rò vno contentus reſponſo fuit, iſtas nimirũ quæ-
„ ſtiones, ab inſignibus iſtis theologis fuiſſe propo-
„ ſitas, vt error fugeretur, ipſaq; perfidia expugna-
„ retur, & prudens fidelibus cautio adhiberetur.
Ego verò prudentibus lectoribus expendendum relinquo, an quæ ab iſtis ſophiſtis proponuntur quæſtiones, vel fidem hominum inſtruant, vel veritati Euangelicæ aliqua in parte patrocinentur.

Quæſtiones ex tranſſubſtãtiatione natæ.

Quærere enim, (vt ex infinitis pauca commemorem) vtrum mus rodens ſacramentũ, corpus Chriſti rodere dicatur? Et, vtrum poſt receptum ſacramentum, ſi quem vomere contingat, in ipſo vomitu corpus Chriſti contineatur? non modo ad fidei ædificationem aut perfidiæ alicuius expugnationem nihil facit, vt ex impuro corde impias & blaſphemas exhalare voces potius coarguat: & quàm fœda tranſſubſtantiationis ſit ſentina, quæ tantas profundit ſordes, manifeſtè oſtendat. Hanc ergo ſuam theologiam Scarga ſummis laudibus in cælum vehat, eámque veterum ſanctitati & doctrinæ comparet, vt inter ſterquilinium & aurum nullum omnino extare diſcrimen hominibus perſuadeat.

Thomæ Mori, licet Papæ addictus fuerit, de Papiſticis theologis iudicium

At quantò prudentius doctiſsimus ille vir & magnum vniuerſæ Angliæ ornamentum Thomas Morus iudicat, qui ſcholaſticos iſtos doctores, neglectis antiquorum omnium literis, poſthabitis etiam ipſis, quorum ſe doctores profitentur, Euangeliis, nihil omninò præter quæſtiunculas didiciſſe affirmat, eóſque tam ridiculas proponere de Deo, vt potes ridere, tam blaſphemas, vt cenſeas irridere. Contra verò fidem tam gnauiter eos obiicere, tam ſegniter obiecta diſſoluere, vt prævaricatores agere, & fidem ioco tueri, ſeriò oppugnare videantur. Qui ergo in diſcendis iſtis quæſtionibus

nibus ætatem conſumit, illum quidem ad cætera omnia inutilem eſſe perhibet, vt ſi extra illa ſepta producatur longius, ignota rerum omnium facies tenebras ac vertiginem illi offundat: ſi quid verò illi ex his ſubtilibus magis quàm ſolidis proponatur diſputationibus, iam domi ſuæ illum eſſe iocans aſſerit, iam criſtas velut gallum erigere, & in ſuo ſterquilinio ſuperbire. Hunc autem ridiculum gallum nobis ſeſe Scarga etiam exhibet, qui in ſuo ſcholæ Vilnenſis ſterquilinio, tanquam in amplisſimo totius orbis theatro ſe cum ſuis Loiolitis conſtitutum putat, vt nimirum fortiſſimos iſtos leones circa gregem Chriſti excubantes, nobis iudices ferat, & quod in aſpectum eorum prodire vereamur, certam victoriæ laudem illis attribuat. At verò nouum & omnibus ſeculis hactenus fuit inauditum, cuſtodiæ ouium leones præfici, & qui imbecillo huic gregi non niſi certã machinantur perniciem, illos ſalutis eorum cuſtodes deſignari: ſed quia Caiphas aliquãdo vaticinatur, hoc quoque Scargæ verbum imprudenti excidit, vt quales ſortitę ſint paſtores miſerę Chriſti oues, vel confeſsione ipſius omnibus innoteſcat. Nos verò aſpectum veſtrum minimè exhorreſcimus, vt quos ex cornibus boues non leones eſſe agnoſcimus, ſed in conciliabulis impiorum conſiſtere nefas eſſe ducimus, & omne iudicium eorum, quos Chriſti profeſſos hoſtes eſſe ſcimus, meritò refugimus. Nec verò totius orbis conſenſu iudicium ad paucos ſcholæ Vilnenſis monachos delatum nouimus, vt quicquid garrulo iſti ſtrepitu declamitauerint, aut ex elencho Ariſtotelis aliqua captiuncula ſimplicem Chriſtianum irretierint, id ſubitò ab omnibus Chriſti fidelibus credi oporteat.

Scarga, Ieſuitas leones & leonum catulos eſſe fatetur.

Maxima nunc & præstantissima orbis Christiani pars, celeberrimæ totius Europæ vrbes & scholæ, confessioni Ecclesiarum Helueticarũ subscripserũt, & profligata omni scholasticæ Theologiæ peste, sacras scripturas, & interpretandarum earũ rationem, ad normam antiquorum Patrum in scholas introduxerunt. Si ergo tanta vestra sapientia est, Vilnenses Iesuitæ, cur non in scholas eorum conceditis? & cur non istam ferociam leoninam, quam nobis terrificam esse iactatis, in præstantissimos istos Helueticarum Ecclesiarum doctores, qui pyratæ à Scarga vocantur, depromitis? Sed benè facitis qui inter nos idiotas, rerúmque diuinarum imperitos, quemadmodum à vobis dicimur, hanc horrendam speciem ostentatis, & simplici popello vos leones esse persuadetis, quando acuti & perspicaces illi Heluetij, subito vos detracta pelle leonina Cumanos esse asinos commonstrarent. Tanta enim in illis ingenij vis, tanta præstantissimarum omnium artium & linguarum cognitio, tam exacta scripturarum sanctarum scientia, tam diues & opulenta eloquentia, vt atri isti scarabei non impunè sublimes has prouocarent aquilas. Ac miror ego tam stupidũ esse Scargam, vt obscuram & nunc primum enatam Vilnẽsem scholam victricem tantorum virorum fore speret, quibus in toto orbe celeberrima illa Parisiensium Sorbona non obstitit, & omnibus suis exarmata telis succubuit. Verùm ne in referendis ego istorum ineptiis bonas horas malè perdam, ad secundum Augustini testimonium ab his productum accedam, vt quantum putido transsubstantiationis seruiat commento, excutiam.

Cõfessio Heluetiorum à tota ferè Europa recepta.

Iesuitæ inter idiotas sapiẽtiam simulant, à doctis sibi cauentes.

Parisiorũ scola celeberrima Heluetiis cedit.

Corpus, inquit, Christi, & veritas est, & figura, veritas, dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus

ritus sancti in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur, figura est, quod exterius sentitur. Hunc verò locum ego ita explicaueram, vt quia Augustino familiare est, externum symbolum siue signum nomine ipsius rei signatæ nuncupare, secundum generalem doctrinam de sacramentis ab eo traditam, qua sacramenta rerum ipsarum dicit accipere nomina, corpus ipsum Christi vocet, quod solo externo & visibili competit elemento, vt nimirum panis ille mysticus, sit simul figura & veritas. Ac veritas quidem, quia sub visibili elemento rem ipsam, nempe corpus Domini nostri Iesu Christi in mortem traditum & à fidelibus verè manducandum repræsentat: figura autem, quia similitudine quadam, id quod inuisibile est, oculis & sensibus subiicit. Quod autem nomen corporis pro externo & visibili elemento ab Augustino vsurpetur, vel inde perspicitur, quod simul & veritas & figura sui corpus Christi esse nequeat. At verò Scarga corpus Christi propriè acceptũ, figurã etiã fieri posse contendit, quando nimirum ipse saluator corpus suum templum vocauerit. Soluite, inquiens, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, & Apostolus ad Col. 1. illud esse figuram Ecclesiæ declarauerit. Sed vehementer errat, qui ex verbis illis Christi corpus eius figurã templi fuisse putat, quando allegorico & figurato dicendi modo, dum indignos Iudeos aperto respõso iudicat, hoc solum fuit propositum Christo, vt ex resurrectionis suæ gloriæ diuinam suam virtutem testatam illis efficeret. Nec Paulus corpus Christi figuram Ecclesiæ vocat, sed corpus Christi mysticũ, quod est à substãtia veri corporis Christi diuersum, Ecclesiam esse perhibet.

Augustini locus explicatur.

Scarga quàm apertè scriptu ram tractet.

Col. 1. 24.

Verùm vt cõcedatur Scargæ corpus Christi ali-

cubi in scripturis pro figura poni, quid tamẽ hæc ad rẽ à me propositã momẽti habere debeant, ego sane non video. De corpore enim vero Christi dicitur, prout in sacramento nobis participandum exhibetur, quod profectò si propriè in illo loco ab Augustino acciperetur, nullo modo simul & veritas & figura esse posset. Nam quæ reipsa & per se existunt, hæc nullam sui figuram circumferunt, quando figura in hoc solũ adhibetur, vt rem quæ sub aspectum non cadit, similitudine aliqua repræsentet. Atque vt veram hanc interpretationem fuisse meam, nec sensui Augustini repugnantem omnibus constet, adducam & aliud simile huic exemplum, quod ex Hilario citatur in decretis Gratiani, de consecratione, distinctione secunda, cap. corpus. *Corpus*, inquit, *Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videntur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.* Audisne Scarga corpus Christi, quod de altari sumitur, dici ab Hilario figuram, vt nimirum impropriè panem & vinũ nomine corporis vocet, quæ reipsa corpus Christi non sunt, sed nobis corpus & sanguinem Christi adumbrent? Veritatem autem ipsam, quæ figuræ respondet, dici accipi interius, hoc est corpus & sanguinem ipsum Christi, non ore corporis, sed fide & Spiritu. Vbi ergo nunc transsubstantiatio tua est, quando quod sensu oculorum percipitur, figuram esse perhibet, hoc est panem & vinum, quod verò fides interius apprehendit, id corpus & sanguinem Christi esse asserit? Verùm tu Augustini verba strictè vrges, qui sic ex panis substãtia corpus Christi effici eũ dicere contendis, vt quod exterius sentitur, solę sint species & accidẽtia, quod autẽ fidei intellectu percipitur, corpus Christi

Hilarij locus Augustini locũ illustrat.

Scarga Augustinum calumnia afficit.

Christi sit ex panis substantia factum. Atqui Hilarius commentum tuum repudiat, qui non species panis & vini, sed ipsum panem & vinum accipi dicit, eáque figuram corporis Christi esse perhibet, vt corpus Christi & sanguis ideo vocentur, quod illa figuram & imaginem eorum aspectui nostro & sensibus proponant. Augustinus autem seipsum explicat, qui in plurimis aliis locis, sicuti superius à nobis demonstratũ est, quæ de mutatione panis in corpus Christi tradit, non de vlla mutatione substantiali, sed sola sacramentali, qualis tum in vniuersa Ecclesia fuit credita, intelligit. Iniquum ergo est verba eius violenter torquere, & sensum lucidum, qui ex omnibus eius scriptis deprehenditur, non attendere. Nam si ille tam prauam de hoc sacramento doctrinam in Ecclesia exorituram præsciisset, proculdubio sibi à talibus verbis, quæ in malam partem rapi possunt à falsariis, temperasset.

Augustinus sui ipsius fidus interpres.

Sed benè habet, quod adeò scriptoris huius sententia de hoc sacramento obscura non est, vt qui in verbis eius parum commodè dictis insistũt, nec mentem & consiliũ autoris perpendunt, manifestos se deprauatores genuinæ eius sententiæ testentur. In sermone enim illo ad infantes superius à nobis citato, panem & vinum adeò integra sine vlla sui mutatione, quod ad substantiam eorum attinet, in hoc sacramento existere tradit, vt ad iudicium sensuum omnes remittat, & autoritate Apostoli Pauli istud confirmet, qui in pane mysterium corporis mystici rectè repræsentari docet. *Sicut enim*, inquit. *vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum conspergũtur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura sancta, Erat illis anima vna, & cor vnũ in Deũ: sic & de vino fra*

Augustinus trãssubstantiationẽ disertè negat. 1. Cor. 10. 16 17.

tres recolite, vnde fit vinũ: grana multa dependent ad botrũ, sed liquor granorũ in vnitatẽ confunditur. Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysteriũ pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit. Ecce, Petre, mysterium vnitatis & coniunctionis nostræ in Christo dicit Augustinus, secundũ mentem Apostoli, in pane & vino repræsentari, vt qui panem & vinũ ex hoc sacramento auferunt, mysteriũ quoque ipsum tollere videantur. Ac profectò illud in vniuersum à nobis sublatũ est, quando ab hac mutua vnitate & coniunctione totus ouium Christi grex indignè sit repulsus, & pro communicatione corporis Christi ad horrendã quandã idololatriã cõpulsus.

Quod autẽ in hoc sermone Augustinus de pane & vino verè in sacramento existentibus tradidit, idẽ & in Tractatu super Iohannẽ 26. iisdẽ penè verbis professus est: *Propterea*, inquit, *sicut etiam ante nos hoc intellexerũt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinẽ suũ in eis rebus cõmendauit, quæ ad vnũ aliquid rediguntur ex multis. Nãque aliud in vnum ex multis granis cõficitur & conflat, aliud in vinum ex multis acinis confluit.* Obsecro vos aperite tandẽ oculos, Iesuitæ, ac diligẽter perpendite, vtrũ secundum Augustinũ in accidentibus, an verò in substantia panis & vini Christus corpus & sanguinẽ suum cõmendauit, quando non accidẽtia ex multis granis & acinis, sed ipsa substantia panis & vini conficitur ac cõstat. Attendite verò quid Augustinus de omnibus sanctis Doctoribus ætate ipsum antecedentibus testetur, quia nimirum idem docuerunt, quod ipse sentit, in pane & vino scilicet ipsum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguinem nobis commendatum repræsentari atque exhiberi. Vanitate

Augustinus substantiam panis & vini è sacramento minimè tollit.

nitatẽ ergo ipsa vanius est, quod primæuam illam & Apostolicam ætatem tam crasso transsubstantiationis errori affinem fingitis: aut quod in Lateranensi Concilio decretum est, id perpetuæ in Ecclesia doctrinæ conforme esse statuitis. Quare quod toties professus sum, idem & nunc repeto, maliciosè & fraudulenter à vobis fieri, qui ex dictis Augustini mutationem panis in corpus, & vinum in sanguinem toties commemorantis, adeò peregrinum & à mente eius alienum sensum elicitis, vt mutationem panis substantialem in corpus reale Christi ipsum statuere confingatis. Mutatur enim panis in corpus, & vinũ mutatur aut transit in sanguinem, quod loquitur Augustinus, sed mutatione sacramẽtali, & mysteriis aliis à Domino institutis communi, vt nimirum ideo dicãtur sacramenta, secundum eundem Augustinum, *quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, & quod videtur habet speciem corporalem, quod autem intelligitur, habet fructum spiritualem.* Nihil ergo substantias rerum mutari attinet, quando oculum simul mentis & corporis concurrere sit necesse, vt quod oculus videt, mens ipsa non attendat, sed ab aspectu oculorum auersa in cœleste lumen aciem totam defigat.

Augustinus cuiusmodi mutationem elementorum asserat in cœna.

Vobis sanè, Iesuitæ, ac discipulis vestris mutationem substantialem necessariam omnino iudicamus, qui adeò inter sacramentum & rem sacramenti non discernitis, vt hoc solum quod videtis, tota mente & corpore prouoluti, ac crassa & carnali animæ seruitute vincti, adorandũ iudicetis. Itaque vt Turrianus ex signo & re signata vnã & eandem rem cõstitutã esse approbet, simile quodã, sed multum dissimile ac planè ridiculũ producit: regẽ nimirũ ita totũ tectũ ac opertũ, vt nõ vi-

Iesuitarũ crassa stolliditas.

Turriani simile multum dissimile

deatur foris regalis maiestas eius, est tamen indumentum quod totum tegit, insigne, quod rem significat ibi latere: Hic veritatem, inquit ille, esse, quatenus persona regis est, & signũ siue figuram, quæ extrinsecus videtur. Vestem enim qua tegitur totus, vnum effici cum ipso Rege affirmat, vt cùm vestis & Rex non duo sint, sed vna persona Regis operta, idem veritas & figura. Hoc verò pudo ac deliro commento ita se mentem Augustini explicasse Turrianus opinatur, vt facilius ad intelligendum & rationi conuenientius istud esse iactet, quàm quod à me fingitur, blaspemiæ, absurditatis, vt loquitur ille, & repugnantiæ ac deliramenti plenum.

Refutatur simile Turrianicum.

Ego verò æquum lectorem peto, vt vtramque sententiam expendat, & quæ magis veritati consonet, &, à mente & consilio Augustini non discrepet, iudicium integrum, omníque perturbatione vacuum interponat. Non enim similitudines aut exempla ficta ego in medium produco, sed collatione locorum ex eodem Augustino & reliquis scriptoribus antiquis, quæ sit vera Augustini sententia, fideliter demonstro. Turrianus autem absurda quæuis comminiscitur, & personatos nescio quos Reges ac laruas in scenam producit, vt theatri plausum excitet, & ridiculis quibusdam fabellis & se & spectatores suos delectet. Sed adeò nihil proficit iste histrio, vt dignus sit, qui cum sua larua ex scena protrudatur, & sibilis omnium, monstra nobis pro Regibus formans, explodatur. Nam qui Reges in scenam producunt, ita eos exornant, vt ex habitu externo statim homines Regis personã repręsentari cognoscãt. Turrianus autẽ Regẽ suum ita nobis operit & cõtegit, vt foris Regalẽ eius maiestatẽ conspici nolit, & tamen ex indu-

Turriani absurda commẽta

Turrianus quàm feliciter decorum seruet.

indumento, quo totus tegitur, Regẽ ibi latẽre cognosci ob omnibus cupiat. Quàm monstrosam enim hanc vestem esse oportet, quæ simul & Regẽ esse & non esse significet? Ita verò egregius hic scriptor, qui toties repugnantias in scriptis meis deprehendere se dicit, ipse secum pugnat, & tanquam in somnio nunc hanc, nunc illam in vna & eadem re formam agnoscere videtur. Verùm quocunque tandem indumẽto fictitium suum regem iste contegat, & nunc ex figura, nunc ex persona illum agnosci dicat, quid tamen hæc similitudo ad sacramentum corporis & sanguinis Domini facit? aut quid saltem habet, quo mysterio diuinitus instituto respondeat? Sacramenta enim rerum cœlestium ita sunt figuræ & signa, vt nunquam rem ipsam mutuo & locali contactu coniunctam habeant, sed spirituali & mystico modo, ac procul à sensibus hominis remoto cohæreant. Sicut enim vestimentum regale à sensu deprehenditur, ita & ipsam Regis personam, quocunque tandem cõtegatur modo, sensus aliquis subesse cognoscit, si modò in conspectum hominum exornatus procedat. At sacramẽta diuinitus instituta, nunquam in oculos ita incurrũt, vt quod sensus in eis agnoscit, ad rem ipsam quàm figurãt, aliquo modo pertingat. Nec fides ex sacramentis res ipsas diuinas ac cœlestes, tanquam ex marsupio & cista depromit, sed ex manu ipsius Dei, per ministerium Spiritus sancti arcano & ineffabili modo percipit. Nõ ergo pia mens sacra signa carnali animæ seruitute adorat, quod prohibet Augustinus, sed in cœlum erecta, ex illo diuino ac cœlesti sacrario perennem vitam ac salutem ad irrigandam animam in se deriuat. Faceſſat ergo Turrianus cum suo laruato Rege, & carnalis homo, figuram ac verita-

Non Sacramenta sed res ipsæ quarum sunt sacramenta adorãdæ.

tem in rebus carnalibus vno loci contactu venetur, nos verò externis symbolis ita vescamur, vt
Philip. 3. 20. conuersationem nostram esse in cælis, Apostolo docente, sciamus, illúcque totam mentem & fidem ad saluatorem nostrum Christum Iesum pascendam, illi offerentes animam nostram, attollamus.

Iesuitæ profana garrulitas.

Nam quod Scarga, homo profanus, garrulo verborum strepitu excellentiam sacramenti eleuat, & caseo ac pomis comparat, si non realiter in pane & vino, siue accidentibus eorum, realiter inclusum corpus & sanguinem Christi credamus, vna & eadem contumelia & sacramentum ipsum & autorem ipsius Christum afficit. Illud enim dehonestat, cùm maiorem dignitatem sordido oleo suo, vt ante dictum est, tribuit, omni cultu & veneratione illud persequens, tametsi transsubstantiationem in eo nullam agnoscat, quàm sacramẽto ab ipso Christo instituto, quod prophanum & nullo honore dignum iudicat, si non omnem amplitudinem suam à substantiali externorum symbolorum mutatione acquirat. In Christum autem ipsum quid contumeliosius dici potuit, quàm ex cælesti diuinæ maiestatis solio ipsum detrahere, & in corruptibilia elementa, ac in ipsum ventrem humanum cum reliquis cibis, quicunque ore sumuntur, eum includere? Atqui Augustinus ad mãducandum hunc cælestem cibum, non dentem & ventrem, sed fidem parari iubet. Et Cyprianus nõ ventris, sed mentis hunc cibum esse profitetur. Nec Hieronymus ab illis dissentit, qui Christum animæ non corporis escam, impinguantem mentem non ventrem pronunciat. Isti verò heluones Christum omnibus carnaliter sine discrimine vllo manducandum proponunt, vt ne sorices quidem

Iesuitæ quàm impie Christum contumelia afficiant.

dem & muscas à manducatione eius Turrianus excludat.

Locus Augustini explicatur.

Quod autem ad illum Augustini attinet locũ, qui citatur ex libro sententiarum Prosperi: *Caro*, inquit, *carnis & sanguis sacramentum est sanguinis, carne & sanguine vtroque inuisibili, spirituali, intelligibili signatur spirituale Domini nostri Iesu Christi corpus palpabile, plenum gratia, omnium virtutum, & diuina maiestate:* Scarga quidẽ vocabula carnis & sanguinis in propria earũ significatiõe vsurpari ab Augustino contendit, meque temeritatis accusat, qui externa symbola & elementa per illa significari dixerim. At verò sacramenta, secundum Augustinum, cum sint signa visibilia, ostẽdat quæso nobis Scarga, quomodo corpus Christi, quod inuisibile est, sacramentum esse queat, aut quomodo sacramentum à re sacramenti discernitur, si idem corpus Christi sit sui signum? Ita verò non modo panem, quem ipsi abolent, sed accidentia ipsa quæ retinent, & sacramẽti nomine vocant, interire omnino oporteret, si ipsum corpus Christi existeret sui ipsius signum vel sacramentum. Vnde necessariò ostenditur, hæc vocabula carnis & sanguinis pro vna parte sacramẽti siue externo & visibili signo ab Augustino vsurpari. Ac quod vera ista sit expositio nostra, Augustinus ipse nos docet, & mentem suam aliis apertioribus verbis explicat: *Sicut*, inquit, *cælestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est, vocatúrque ipsa immolatio carnis, sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio: sic sacramentum fidei, quod*

Iesuitæ etiam species elementorũ quas in sacramento Cœnæ relinquere videntur, tollunt.

Baptismu intelligitur, fides est. Adhúcne, Scarga, cũ tuo Turriano in tam aperta luce cæcutietis, & Saturnias istas lemmas tandem ex oculis vestris non excutietis? Nam quod Augustinus in illa ad Bonifacium epistola apertissime scripsit: *Sacramenta siue externa Symbola rerum ipsarum accipere nomina*, idem & in eo loco sine omni ambiguitate tradit, *quod* nimirum *visibilia elemẽta sint corpus Christi: non rei veritate, sed significatione: eo nimirum modo & ratione, qua sacerdotis actio dicitur Christi passio, mors & crucifixio, & quo modo Baptismus vocatur fides, cùm non reuera sit fides, sed fidei Sacramentum.*

Veterum Theologorum de cœna D. dicta, quo sensu accipienda.

Hęc verò est legitima ac debita interpretandorum veterum Patrum regula, ipsos scriptorum suorum interpretes facere, & non vana capitis sui sõnia contra sensum ac voluntatem eorum illis affingere. Quo quidem vitio cum Scarga vbique laboret, tamen me veteribus contradicere, & contrarios ac confictos sensus, eorum Catholicæ doctrinæ apponere, sine omni fronte clamitat. In quo autem ille hæret, nec verba & mentem Augustini rite expendens, me errare putat, ac magistrum se mihi profitetur, suam omnino inscitiam prodit, & doctoris titulum, vt sæpe aliàs ridiculè sibi vendicat. Existimat enim nomine carnis & sanguinis apud Augustinum, non ipsa denotari externa symbola, vt pote quæ sint visibilia, carnem verò & sanguinem ab Augustino dici inuisibilem, spiritualé & intelligibilem. Atqui sacramenta sunt ita visibilia, vt tamen res quas significant & quarum nomina accipiunt, sint semper inuisibiles, nec carnali aliquo aut sensibili, sed spirituali & intelligibili modo apprehendantur. Quare carne & sanguine Christi inuisibili ac spirituali, quorum visibilia

bilia symbola sunt signa, ita corpus ipsum Christi & sanguis significatur, quatenus illa in mortẽ pro nobis sunt tradita, aut quatenus corpus Christi palpabile & visibile diuina in cœlis exornatũ est maiestate: præteritæ tamen mortis suæ beneficio omnem afficiens ecclesiam. Quid hic, Petre, dursi, quid coactum animaduertis? aut quid causæ habes, cur me falsarium & iniquum Augustini interpretem voces? cum nihil vsquam afferam, nisi quod ipse loquitur Augustinus, & tam fideliter mentem suam vbique explicet?

Atque vt arctiori te constringam vinculo, ne quomodo elabi possis, ipsum quoque magistrum sententiarum iudicem tibi feram. Iste enim hæc Augustini explicans verba, sic loquitur: Attende his, inquit, diligenter, quia tropo quodam vtitur hic Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, & visibilis species vini nomine sanguinis. Inuisibilis verò & intelligibilis dicitur caro Christi, quia secundum illam speciem non videtur caro sed intelligitur, ita & sanguis. Caro ergo inuisibilis dicitur esse sacramentum carnis visibilis, quia species panis, secundum quam non videtur caro illa, est sacramentum carnis visibilis, quia in carne inuisibili, id est specie, secundum quam caro Christi nõ videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile & palpabile, vbi in sua forma apparet. Ita & de sanguine, accipi debet. Abi nunc Scarga, téque tanto magistro discipulum superiorem agnosce, vt vbi ille tropicè externas elementorum species carnis & sanguinis nomine ab Augustino dici demonstrat, falso hæc dixisse à te conuincatur. Tanta enim varietas &

Lombardus lib. 4. distin. 10.

sententiarum pugna inter vos conspicitur, vt non alio euidentiori argumento vanissimum hoc trã-

Transubstantiationis propugnatores inter se discordes.

substantiationis commentum esse comprobetur, quàm quod inter omnes illius propugnatores magna sit vbique opinionum dissensio ac discrepãtia.

Nec vero Petrus ipse Lombardus in astruendo isto dogmate satis sibi constat, vt quas ex veterib. recitat sententias, præuaricatorem agere, causamque suam magis oppugnare, quàm stabilire videatur. Nam vbi de conuersionis tradit modo, adeo nihil certi definire audet, vt in variis multorum sententiis quid potissimum ille sequatur, non facile cognosci possit. Atque vtinam in mentem Augustini, quem toties citat testem, penitius introspexisset, pluráque ac clariora eius testimonia ad demonstrandam veram sententiam in mediũ produxisset. Sed præiudicata transubstantiationis opinio, ita mentem hominis fascinauerat, vt quæ Augustini dicta ex diametro cum eo pugnent, hæc cũcta prætermiserit, aut violenter in comprobandam suam sententiam detorserit. Nam qualis hic symbolorum sit statuenda mutatio, vel vnicum illud Augustini dictum nos satis abunde docere potuerat. *Accedit*, inquit, *verbum ad elementũ & fit sacramentum. Vnde enim ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Docet enim in eo loco apertè Augustinus, quid de mutatione symbolorum sentire debeamus, postquam verbo Dei sãctificata, & à prophano ac communi vsu ad sacrum translata fuerint. Ac in Baptismo quidem aquæ substantia non mutatur, vt qua homo perfunditur vel abluitur, sed virtute verbi diuini nouam acquirit conditionem & dignitatem, vt

Augustinus qualẽ in Sacramentis statuat mutationem

quod nimirum exterius figurat, id Spiritum sanctum in cordibus purgandis, & à macula peccati abluendis efficere ostendat. Non ergo elementa mutantur in substantia, sed accedente verbo Dei mutantur in vsu ac dignitate, vt scilicet non amplius sint prophana elementa, sed Sacramenta, hoc est, singularia spiritus sancti instrumenta, per quæ fideles rerum diuinarum ac cœlestium compotes efficiantur, ac in ipsum vsque cœlum tanquam gradibus subuehantur. Hoc verò & Chrysostomus confirmat scribens in Psalmum 22. *Hæc aqua*, inquit, *primatum tenet in elementis. Sed cum istud elementum acceperit Spiritum sanctum, fit Sacramentum, & iam non erit aqua potationis. sed sanctificationis, non erit aqua communis, sed refectionis.* Audísne, Petre, quam Chrysostomus in Sacramento Baptismi statuat mutationem, & quàm procul absit à putido, quod tu tantopere adoras, transubstantiationis tuæ commento? Neque enim vllam in ipsa aquæ substantia mutationem agnoscit, sed totam in eius vsu, quatenus vim sanctificationis exhibet, constituit.

Chrysostomus idem cum Augustino sentit.

Sed adeo hæc omnia tibi videntur leuia, vt tu perpetuò carnes, caseum, & poma somnians, in eis te imaginari, significaréque tibi & Deum, & Christum, & corpus Christi, & quæcunque sacra ac diuina volueris, posse iactites. Nam si, inquis, in solo elementorum vsu, & non in ipsa substantia, verbo Dei accedente, mutatio consequatur, tum liberam relinqui tibi potestatem perhibes, vt quotiescunque carnibus, caseo, aut pomis vescaris, in ipsis te corpus Christi, vel Deum ipsum, sacráque ac diuina omnia percipere posse ipsa imaginatione affirmes. Sed stolida ista tua, vel impia potius imaginatio iam ante est à me confutata, quando

Iesuiticas blasphemiæ nota.

non in aliquo hominum arbitrio, sed in sola omnipotentis Dei voluntate & potestate consistat, vt donorum suorum cælestium & inuisibilis gratiæ suæ, visibiles imagines ante oculos nostros statuat, & ex communibus elementis sacramenta ordinet. Quotiescunque ergo carnibus & reliquis Dei donis vescimur, non profecto his tanquam sacramentis vtimur, sed prout ordinata sunt à Domino in alimentum corporis, cum gratiarum actione illa percipimus. Quod si vel hæc ipsa Dei munera ad caducam hanc & corporalem vitam sustentandam præparata, per verbum & orationē Apostolo teste sanctificantur, profectò quæ Deus ipse constituit, ac sancta sua voce consecrauit, diuinæque suæ beneuolentiæ erga genus humanum pignora esse voluit, nemo prophana, nisi prophanus & impius dicere vnquam audebit.

Communes etiam dapes per verbū Dei sanctificā tur. 1. Timot. 4. 5.

Illud ergo, tu Petre, mihi quantum voles, & sacramenta vulgaribus cibis, vel hæderæ pensili, ac vinum esse venale significanti, compara, ego tanquam sacratissima Dei instituta in summo semper pretio habebo, réque in eis propositas diuinas ac cælestes, pio cordis fideique affectu, implorato diuini spiritus auxilio, apprehendere omni tempore contendam. Imò si hædera, quod tu dicis, hominum instituto & more, sine vlla sui substantiali mutatione, pro certo venalis vini agnoscitur signo, nos Sacramētum ab ipso Christo institutum, cur vacuum reipsa significata dicamus, tametsi nullam substantialem signorum mutationem agnoscamus? Si enim hædera non vanum, sed rei præsentis, quæ tamē natura sua ab illa diuersa est, neque alia in aliam permutatur, ab hominibus cognoscitur signum, tanto certius veritatem corporis & sanguinis Christi mens pia in Sacramento ap-

to apprehendit, quanto omnibus hominum inuentis veraciorem Deum in omnibus suis promissis, & nunquam fallentibus signis considerat. Ita vero vel similitudines à rebus communibus sumptæ, quas aliquid pro te facere putas, magnopere etiam tuæ incommodare causæ videntur.

Quod autem ad illum Augustini attinet locum, quem citaui ex libro de Trinitate 3. cap. 4. quā nihil omnino pro transubstantiatione faciat, istud omnibus æquis lectoribus iudicandum relinquo. *Potuit*, inquit, *significando Apostolus prædicare Dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per Epistolam, aliter per Sacramentum corporis & sanguinis eius: Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus: Sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei.* Ex his verò Augustini verbis nihil aliud colligi potest, nisi quod cum in diuersis signis potuerit Apostolus significare Dominum nostrum Iesum Christum, non alia tamen signa corporis Christi nomine censeantur, nisi quæ in hunc finem à Domino sunt instituta, vt essent Sacramenta, corporis & sanguinis Dominici. Quia ergo in genere signorum ponitur ab Augustino Eucharistia, &

Locus Augustini de Trinitate lib. 3, ca. 4. explicatur.

Locum Augustini contra Scargam pugnare.

quia quod ex fructibus terræ accipitur, id Sacramentum vocatur, panem ideò & vinum integra manere oportet, vt corpus & sanguinem Christi nobis significent. Nam ex terra accidentia sine subiecto non generantur, sed materiam panis & vini terra producit, quæ per manus hominum ad visibilem deinde perducta formam, operante spiritu sancto sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum.

Tu verò, Petre, quid habes, quod ad transubstantiationem tuam approbandam ex hoc loco proferre possis? Dicis Augustinum sublimiorem quendam significandi modum in pane Eucharistico, quàm in prædicatione & scriptura agnoscere, quando neque illa literarum & sonorum signa corporis nomine appellentur, neque prece mystica consecrentur: sed panis Eucharisticus & consecretur, & corporis nomine vocetur. Nos verò libenter tibi damus, quod corporis Christi manducatio significantius ac luculentius in Sacramento, quàm in simplici verbo fidelibus proponatur, sed dissimilem ac diuersum in vtroque manducandi esse modum, id omnino pernegamus. Sacramenta enim cum, secundum Augustinum, verba sint visibilia, promissiones quidem ipsas Dei euidentius nobis proponunt, & tanquam in tabula depictas repræsentant, sed non alium tamen Christum, nec diuerso modo manducandum nobis statuunt. Idem enim Christus tam in ministerio verbi, quàm in Sacramentis offertur, & porro in salutem, vnico fidei instrumento manducandus, omnibus proponitur, Vnde verissime illud diuus scripsit Hieronymus in tertium caput Ecclesiastę *Hoc solùm*, inquit, *habemus, in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius, cruoréque potemur, non*

Sacramenta visibilia esse verba.

non solùm in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione. Quod si ergo vna eadémque ratio corporis Christi manducandi, sanguinisque eius bibendi, & in verbo & in Sacramento proponitur, non profectò sacramentalis manducatio vllam transubstantiationem, aut realem corporis Christi præsentiam requirit, quando nec manducatio illa, quæ verbo Dei audiendo constat, eandem desiderat. Quam igitur tu Petre Augustini sententiam transubstantiationi confirmandæ seruire putasti, illa sobriè expensa, rectéque intellecta, vanissimum hoc tuum commentum manifestè repudiat.

Hieronymi locus transubstantiationem Papisticam tollit.

Quod autem tu non magnum hoc fore Sacramentum, nec mannæ illi in deserto vllo gradu dignitatis comparandum prædicas, si nudis tantum significationibus commendetur, in eo nescio quæ tu capitis tui somnia sequaris, aut quos autores erroneæ huius sententiæ perstringas. Nos enim apertè profitemur, non nudam, neque vacuam significationem corporis Christi in sacra mensa nobis proponi, sed verè ac reipsa corpus ipsum Christi mentibus nostris percipiendum exhiberi, sicut verè symbola externa ac visibilia ore corporis percipiuntur. Nec verò virtutem Spiritus sancti in consecrandis elementis efficacem, vt tu putas, eleuamus, vt non aliunde vim illis viuificam attributam, & certam salutis fiduciam nobis obsignantem credamus, nisi quod à Spiritu sancto & illa sanctificari, & simul corda nostra illuminari, vt in eis Christum vera fide apprehendamus, firmiter statuimus. Vtrumque enim Spiritus sancti opus est, vt & prophana elementa ad dignitatem sacramentorum subuehat, & quæ sublimia in eis proponuntur dona, ad amplectanda & percipienda

Sacramenta nisi à Spiritu sancto & sanctificētur & administrentur nulla sunt.

ea animum hominis exuscitet. Et sicut nulla essent Sacramenta, si virtute Spiritus sancti non essent sanctificata, ita nisi cor ab eodem spiritu sanctificetur, vt salutari illa esca & spirituali, quem proponunt, potiatur cibo, ipsa quidem elementa externo ore percipi possunt, sed salutem spiritualem manducantibus minimè suppeditant. Si ergo Sacramenta cum fructu vitæ cœlestis percipere volumus, ab insigni Spiritus sancti virtute ac potentia istud effici postulemus, vt sicut verum Christi corpus sanguinémque eius oculis fidei spectanda in Sacramento nobis proponit, ita solus ipse & fidem in nobis informet, tantorúmque donorum nos participes efficiat. Hæc vero si tam leuia ac ludicra tibi esse videntur, vt indigna virtute Spiritus sancti esse reputes, nisi elementa in ipsum reale corpus Christi conuertat, te sanè ipsum à Spiritu sancto conuerti postulamus, & veram ac synceram mysteriorum Dei intelligētiam, quorum te omnino rudem ac ignarum demōstras, ab eo tibi donari petimus.

De antiqui fœderis Sacramentis cō fessio Euāgelica.

Quod autem tu in eo nos quoque errore versari arbitraris, vt nullum discrimen inter Sacramenta veteris & noui Testamenti statuamus, ita facilè crimen tuum refellemus, si sententiam nostram breuibus tibi aperiamus. Confitemur enim si vel rationem temporum, vel diuersitatem figurarum spectemus, omnia in nostris Sacramentis præstantiora & clariora existere, ipsásque res cœlestes, quibus significandis adhibentur, non obscuris quibusdam lineamentis adumbrare, sed viuis & natiuis coloribus ipsam faciem Christi expressam spectandam nobis proponere. Nam quem symbola veterum significabant aliquando venturum, & sanguine suo populi peccata expiaturum, nostra

nostra iam eum venisse, & purgatione delictorum omnium facta, in cælesti gloria, victorem mortis ac inferni consedisse, testantur. Quod autem ad typorum diuersitatem attinet, ita nostra veterum figuris præponderant, vt sicut loquitur Augustinus, non amplius signorum operatione graui onerati simus, sed pauca quædam pro multis, eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima ab ipso Domino & Apostolica disciplina tradita habeamus. Hæc verò ita pauca esse commemorat, quæ Christus & Apostolica tradidit doctrina, vt cum saltem duo, nimirum Baptismi Sacramentum, & celebrationem corporis & sanguinis Domini enumeret, reliqua illa quinque, quæ in Ecclesiam posthac irrepserūt, non ad authorem Deum referri ostendat.

Augustinus de doctrina Christ lib. 3. cap. 9.

Quod autem in eo Augustini loco imprimis est obseruādum, ita resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum libertatis nostræ indicium illuxisse affirmat, vt dum pauca hæc nouæ legis pro Sacramentis veterum multis percipimus quo illa referantur, imbuti agnoscamus, & ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneremur. Quaquidem Augustini sententia, haud scio ac quicquam illustrius ad vanissimum transubstantiationis dogma refellendum produci possit. Nam si Sacramenta ita sunt percipienda, vt alio referantur, nec vero ipsa carnali seruitute colantur, non profectò ipsa aut in ipsum corpus Christi & sanguinem permutantur, aut localiter hæc in se concluſa retinent. Quare cum vos Iesuitæ Sacramenta pro Deo ipso adoretis, omnémque carnalem seruitutem pani consecrato exhibeatis, & noui dogmatis in Ecclesia vos authores hoc facto testamini, & nefando sacrilegio,

Augustinus transubstātiationem subruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

transferentes legitimum Dei cultum ad creaturas, vos ipsos obstringitis. Sacramenta enim spirituali libertate, secundum Augustinum ita sunt veneranda, vt sensus quidem nostros in visibilia elementa defigamus, animam autem & Spiritum in cœlum vsque attollamus, ibique per fidem versantes, vitam perennem ex corpore & sanguine Christi hauriamus. Qui quidem solus & vnicus salutis cibus adeò veteribus omnibus sub Lege fuit propositus, vt quamuis obscurius & quasi per transennem ab illis spectaretur, vitæ tamen beatę & immortalis omnes ex æquo participes faceret. Nam si Manna manducauerunt & mortui sunt, non vitio aut infirmitate Sacramenti factum est, sed quia quod manducauerunt, sicut loquitur Augustinus non intellexerunt. Itaque non intelligentes cibum, nonnisi corporalem acceperunt. Nam Apostolus Patres nostros dicit, non patres infidelium, spiritualem cibum manducasse, & ideo eundem patres nostri, inquit, eundem cibum spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt Erant enim ibi, qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi, quibus plus Christus in corde, quam Manna in ore sapiebat.

Sacramenta quomodo veneranda.

Locus 1. Cor. 10. explicatur.

Ex his porrò Apostolicis verbis, ac fidelissima Augustini interpretatione, putidum illud Sophistarum commentum corruit, quo illi Sacramenta veteris legis saltem figurasse gratiam, nostra vero exhibere deblaterant. Sed tu, Petre, cum tuo Turriano, tantopere te addictum scholasticorum placitis declaras, vt præ illorum definitione cuncta vobis tam manifesta Spiritus sancti oracula sordeant, támque aperta doctissimorum & vetustissimorum patrum testimonia nullo precio digna

æstimentur. Turrianus enim nimis confidenter ac magistraliter vetus illud Manna signum tantum ac re ipsa vacuum obgannit, vt noui Testamenti sacramenta, quæ virtute spirituali nos illis facimus paria, nos quoque nuda & rebus ipsis vacua statuere euincat. Sed quia turpiter fallitur, & cæcos duces discipulus cæcus sequitur, nihil aliud hoc vano suo dogmate efficit, nisi vt se bellum apertum cum doctrina Apostolica & antiquis illis fidelissimis sanctarum scripturarum interpretibus gerere ostendat. Augustinus enim veterum sacramenta in signis fuisse diuersa tradit, in re, quæ significatur, paria: diuersa specie visibili, paria virtute spirituali, vt fide eadem manente, signa sint saltem variata: *Ibi*, inquit, *petra Christus, nobis Christus, quod in altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento biberunt aquam profluentem è petra, Nos quid bibamus, norunt fideles. Si visibilem speciem intendas, aliud est. Si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* Quid obsecro illustrius dictis hisce Augustini, Scarga ac Turriane, ad refellendam vanam & erroneam opinionem vestram afferri potuit? Sed falsissimum transubstantiationis commentum ita vos excæcauit, vt quamuis clarissima lux in oculos vestros se vndique infundat, vltro tamen eam repellatis, & per tot præcipitia ruere, quàm plana & aperta progredi via malitis. Si enim, quod veritas, vel inuitis extorquet, ingenuè profiteri velletis, eadem esca veteres cibatos, eodémque potu spirituali fuisse potatos, quo & nos post exortum Euangelij lumen reficimur, totam subito transubstantiationis molem ruere necessario oporteret. Nam si veterum sacramenta Christum realiter vel corporaliter minimè com-

Turrianus non modo Apostolis, sed & Patribus contrarius.

prehendebant, eundem tamen vere ac spiritualiter ad vitam æternam manducandum exhibebãt, profectò nec nostra sacramenta substantialiter in corpus & sanguinem Christi commutantur,& vere tamen hoc salutari cibo ac potu refici,saturarique animas nostras testantur.

Transubstantiatio Papana quam nihili ædificium.

Ita verò ruinosum hoc transubstantiationis ædificium ex omni parte labascit, & quibusuis fulcris à vobis sustentatum,certam ruinam nihilominus,vt diu incolume nequeat esse,minatur,sed tamen Scarga vnicum adhuc Augustini testimonium afferre se dicit, in quo perspicacissimam de transubstantiatione doctrinam contineri tam confidenter asserit, vt si pertinacia abesset,vel me ipsum idem decernere oporteret. Citantur autem hæc Augustini verba à Gratiano, De Consecrat. distinct.2. *Vtrum sub figura*, inquit, *an sub veritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat, veritas ait, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, alioquin quomodo magnum erit, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro? sed quia Christum fas vorari dentibus non est, voluit hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & sanguinem suum consecratione Spiritus sancti potentialiter creare, & quotidie pro mundi vita mysticè immolari, vt sicut de virgine per Spiritum sanctum vera caro sine coitu generatur, ita per eundem ex substantia panis & vini mysticè idem corpus Christi consecretur.* Hactenus quidem Augustini verba Petrus recitauit,sed quia statim ea consequuntur,quæ Augustini mentem explicant, & quæ superius ab eodem Petro contra me producta,ita sunt à me declarata, vt nihil

vt nihil pro transubstantiatione faciant, non magnopere laborandum mihi est,vt quæ eorum verborum sit sententia demonstrem. Subiicit enim Augustinus,*Corpus Christi & veritas & figura est. Veritas,dum corpus Christi & sanguis virtute Spiritus sancti,in virtute ipsius, ex panis & vini substantia efficitur. Figura verò est,id quod exterius sentitur.* Nihil enim aliud his verbis docet Augustinus, nisi quod sacramentum corporis Christi non sit sola & nuda figura,sed veram veri corporis Christi manducationem simul exhibeat. Sed quia Christum dentibus vorari fas non est, manducatur ergo mysticè,dum scilicet in mysterio panis & vini manducandus proponitur,vt dentibus quidem externa symbola, siue sacramenta, contingantur ac deglutiantur,Christus verò ipse sola fide & spiritu manducetur.

Corpus Christi & veritas & figura quo modo sit.

Ita verò Augustini sententia in vero ac legitimo sensu accepta,adeo transubstantiationi tuę mihi patrocinatur, vt si seriam aliquam veritatis inquirendæ cogitationem susciperes, teipsum erroris malè crediti subitò condemnares. Obsecro enim te per Deum immortalem, Petre, vt quomodo hæc Augustini sententia cum palinodia illa Berengariana conciliari possit,nos edoceas. Augustinus enim dentibus Christum vorari non esse fas docet,ac propterea carnem & sanguinem eius in mysterio manducari perhibet, vt spiritualẽ hanc non carnalem manducationem fieri ostendat. Berengarij autem confessio à Pontifice Nicolao & Synodo illi tradita sic habet, quod scilicet credat panem & vinum quæ in altari ponuntur,post consecrationem,non solum esse sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & sensualiter non solùm sacramen-

Berẽgarij palinodia Augustino contraria.

tum,sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi,fidelium dētibus atteri. Tanta enim sententiarum discrepantia & manifesta contradictio,satis apertè demonstrat veterem & orthodoxam de sacramento doctrinam, infelici illo iam tempore in Berengario fuisse condemnatam,& nouā quandam ac monstrosam, in filiúmque Dei contumeliosam fuisse introductam. Ac propterea in tanta confessionis huius Berengarianæ absurditate,mira quoque animorum vestrorum conspicitur fluctuatio,dum quidam vestrûm apertè illi contradicunt,alij interpretatione quadam duriciem illius emolliunt,alij tanquam in dubium Spiritus sancti oraculum,quod Papa pronunciauit,sine omni cōtradictione recipiunt. Nam tu quidem,Petre, in priore tuo ad me præscripto libello sic loqueris: Neque enim caro Christi, quæ est in Sacramento, & ex qua constare,tanquam ex parte integrali,Eucharistiæ Sacramentum docuimus, premi potest dentibus,non enim subest sensui, sed est impassibile & inuisibile. Species autem sacramentales premuntur & conteruntur. Ita verò tu ex diametro cum confessione Berengarij pugnas,totámque te authoritatem decreto Pontificio & synodali derogare præ te fers ,ac tanquam ineptum absurdúmque commentum meritò repudias.

Christiana fides in Berēgario damnata.

Nec Magister sententiarum à te dissentire videtur, qui ex confessione quidem illa Berēgarij multos id colligere affirmat, vt corpus Christi essentialiter frangi ac diuidi dicant,&tamen integrum & incorruptibile existere. Sed probabiliorem ille recitans sententiam, omnino fractionem & partitionem illam, non in substantia corporis, vt quod incorruptibile est, sed in ipsa forma panis sacramentalis fieri pronunciat. Et quia fractio

fractio & partes quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est in specie visibili, ideo illa Berengarij verba,ita distinguenda esse docet,vt sensualiter non modo in sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum,frangi verò & atteri dentibus, verè quidem, sed in sacramento tantùm. Ego verò vel te ipsum iudicem appello, Petre Scarga, an Magister tuus aliquid attulerit,quo tam discordes ac pugnantes inuicem sententias conciliauerit, ac non potius confessionem Berengarij,quam illi dictauit Papa & concilium Romanum, manifesta contradictione condemnauerit? Nam dum aliquid dicere voluit ad excusandam decreti pōtificij iniquitatem, eò tamen relapsus est, vt nullam in corpore, manifestè contradicens Pontifici, sed in sacramento tantum fractionem fieri asseueraverit. Sic nimirum omnipotens Deus iusto suo iudicio vestras confudit linguas, vt dum infaustam hanc & exosam Deo turrim Babel ædificatis, vos mutuo intelligere nequeatis. Nam illud imprimis est ridiculum,quod prædictus Magister vester,postquam in sola forma siue specie visibili panis,& non ipso pane, fractionem fieri tradit, non esse mirandum perhibet, aut insultandum, si accidentia videantur frangi,cum ibi sint sine subiecto,licet quidam asserant ea fundari in aëre. Hæc enim tam ridiculè,tam ambiguè ab isto dicuntur Magistro,vt quid neget,quidue affirmet,omnino miser ignorare videatur.

Lombardus fidem Papæ dānat inuitus.

Papistæ cæcitate à Deo per cussi,sese minimè intelligunt.

Illud verò magna obseruatione dignum est, quàm dextrè & appositè commenta sua testimonio sacrarum literarum confirmet. Est ibi,inquit, « vera fractio, & partitio, quæ fit in pane, id est, in « forma panis. Vnde Apostolus ait,panis quem fran «

„ gimus, quia forma panis ibi frangitur, & in partes
„ diuiditur. Hoc ne obsecro scripturas sanctas est interpretari, & non potius violenter torquere, & ad sensum suum pro libito reuocare? Diuus Apostolus panem reuera frangi & manducari, ad cōmemorationem mortis Domini, & testandam communionem nostram, quam habemus in corpore Christi, sine omni ambiguitate ac simpliciter pronunciat, Petrus autem Lombardus Spiritui sancto sese opponit, & non panem, sed saltem panis formam, hoc est accidentia sine subiecto, vel in aere fundata frangi perhibet. Cuinam, quæso, fidem habituri sumus, homininе vano & mendaci, & in magna opinionum varietate nunc hoc, nunc illud asseueranti, an verò Spiritui sancto veritatem simpliciter proferenti? Apage, Scarga, cum tuis magistris, & quando libet, in hoc cæno te cum eis voluta, nobis nunquam persuadebis, vt auersi à splendissimis veritatis diuinæ fluentis, in has mendaciorum sordes nos coniiciamus, & pro purissimo verbi diuini fonte, sordidas falsæ doctrinæ fæces hauriamus. Imò si quid mentis habes, & si te seria aliqua salutis tuæ cura tangit, ab hac impura sophistarum lacuna quamprimum pedem remoue, & cum summa auiditate liquidum cælestis doctrinæ laticem haurire contende. Hunc enim vbi degustaueris, & turbidam falsæ opinionis aquam ex stomacho tuo reieceris, adeo te tibi restitutum cognosces, vt sacris ac diuinis fidelium salubriter vescens epulis, non illas à brutis & immundis animalibus amplius contaminari sis permissurus, & ab hac indigna atrocique iniuria vindicaturus. Effecit enim hoc pestilens & venenata transsubstantiationis doctrina, vt inter multas opiniones ex ea promanantes impias à bestiis etiam

1. Cor 10. 16.

Lombardus Paulo Apostolo cōtrarius

corpus

corpus Christi percipi quidam docuerint, tametsi magister prædictus sententiarum, non quidem ab illis percipi, sed saltem videri affirmet. Ita tamē dubitanter de eo suam fert sententiam, vt dum interrogat, quid sumat mus aut quid manducet, id solius Dei cognitioni, nihil ipse certò definire audens, relinquat.

Lombardus sent. lib. 4. distinct. 13.

Verùm in quascunque tandem partes ingeniū verfetis, aut quicquid fingatis, à corporis Christi tamen esca, si trāssubstantiatio statuatur, ne pecudes quidem & quęuis animalia repellere potestis. Hoc verò Turrianus magis quàm tu confidens, & plus decretis Pontificum Romanorum quàm tu tribuens, apertè profitetur, à téque diuersam proferens sententiam, plurimum dissentit. Hic enim ex nescio quo Damasceni libello, quem se in Bibliotheca Cardinalis Sfortiæ vetustate magna ex parte consumptum reperisse testatur, audacter pronunciat, corpus Christi non modò eleuari in manibus sacerdotis in crucem, & frangi ac distribui, & in nobis sepeliri, sed sæpenumero etiam sceleratis manibus fædè tractari & proiici, & à muscis & soricibus consumi: non tamen corrumpi, neque interitum pati. Hunc ergo, tu Petre, sequaris oportet, si in placitis Romani Pontifi cis & confessione Berengarij acquiescere decreuisti, aut si tibi constare & in sentēria permanere volueris, cōdemnes illum necesse est. Tu enim corpus quidem frangi, sed figurata & metonymica dicendi ratione concedis, secundum quam nimirum externæ & visibiles species corporis nomine vocātur, ac propterea solæ sine vlla iniuria corporis franguntur: Turrianus autem nullam figuram admittit, & corpus ipsum Christi verè ac sensibiliter, frangi, mori, ac sepeliri, & à bestiis deuorari

Scarga cū Turriano per omnia concors, ab eodem dissider.

contendit, nullámque interpretationem confessioni Berengarianæ, quod infeliciter Lombardus tentauit, apponi concedit. Quam tanta quidem confidentia ille tuetur, vt me ad eandem cum Berengario inuitet, & nisi eam cum Gregorio tredecimo Pontifice Romano profitear, æternum interitum mihi denunciat.

Ego verò ab ipso Christo Domino & saluatore meo salutem quærere didici, vnicáque eius morte & non amplius repetenda pretium redemptionis meæ persolutum verè recognosco, & in sacratissima eius Cœna tanti beneficij magnitudinem grata mente recolo, vtque me solus ipse corporis sui pro me traditi, ac sanguinis pro me effusi potẽtia, virtutéq; Spiritus sui sancti participẽ efficiat, ardentibus votis exposco. Nam etsi verè credo secundum scripturas Dominum & saluatorem meum in cælos ascendisse, nec in carne sua ante extremum iudicij diem in hunc mundum rediturum, tantam tamen vim & virtutem Spiritus sancti esse confido, vt corpus ipsum Christi verè præsens fidei meæ statuat, & tam in sacramento quàm extra sacramentum verè manducandum spiritui animóque meo exhibeat. Si enim ratio ad sublimitatem tanti mysterij pertingere non potest, at fides in Christum ipsum respicit, & quod promisit, verè etiam præstare posse recognoscit. Quare crassam illam & impiam ab impio Pontifice dictatam Berengario confessionem, toto pectore detestor, & tanquam pestem extremámque Christianæ religionis labem ac perniciem abominor, vtque à tam sæuo pestilentis doctrinæ contagio ad extremum vsque spiritum me conseruet Dominus integrum, vehementer precor. Nulla enim atrocior contumelia Christo Domino imponi potuit,

Berengarij inuita confessio pro abominatione habenda.

tuit, quàm sic in terrena & corruptibilia mundi huius elementa sacratissimum eius corpus, & ab omni iam corruptione liberum includere, vt quicunque illa indignis modis tractauerit, pollutóque corde & ore perceperit, Christũ etiam ipsum pecepisse, & vna eadémque ignominia affecisse dicatur. Sacramenta enim non bestiis aut pecudibus, vel hominibus impiis sunt instituta, sed solis filiis Dei, qui gratiam per verbum sanctificationis in illis oblatam ita recipiunt, vt promissioni diuinæ puro corde assentiantur, ac proinde non solis externis symbolis, sed simul etiam rebus ipsis cælestibus fruantur. Vnde verissimè illud ab Augustino dicitur, ꝙ superius admonuimus, externa elementorum sacramẽta, ita à fidelibus percipi, vt propter verbum Dei, quod sacramentis est annexum, renouatio interioris hominis subsequatur: non quia dicitur, sed quia creditur.

Vos autem sine vllo fidei humanæ respectu, cui tamen soli verbum diuinum proponitur, ita symbola sanctificari verbo creditis, vt homines infideles & pecudes etiam rerum diuinarum ac cælestium participes effici stolidè & impiè iactetis. Hunc nimirum fructum peperit vobis commentitium & inconsideratum transsubstantiationis dogma, vt cum multa subterfugia cum magistro sententiarum quæratis, non tamen nisi in voces impias & in filium Dei contumelioſas erumpere possitis. Cuius quidem blasphemiæ socios cum vetustissimos illos & temporibus Apostolorum proximos Patres quæratis, vel vnus Augustinus vobis refragatur, & tam perspicuam de diuino hoc sacramento, durioraubique dicta planioribus explicans, doctrinam tradit, vt in societatem tanti erroris minimè vnquam pertrahi possit. Hunc

Carne Christi etiam pecudes iuxta Papistas vescuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo Petre, cum ex tota antiquitate certo pacto & conuento tecum inito ego delegerim, vt quæ veterum longo tempore de hoc mysterio fuisset sententia, tibi demonstrarem, méque ab omni falsa hæreseos suspicione tibi purgarem, minimè necessarium esse duco, vt in reliquorum vetustissimorum Patrum recensendis sententiis immorer, tibíque ad singula, quæ ordine longo producis testimonia, accurate respondeam. Ipsi enim veteres scriptores, non concisis aut truncatis eorum sententiis in medium productis, sed tota mente & voluntate eorum perspecta, certum vbique ferunt veritati patrocinium, & quod procul à monstrosa transsubstantiationis doctrina remoti fuerint, clarissimè testantur. Paucis ergo reliqua omnia, quæ tu prolixè recitas, perstringam, & obscurioribus vel minus propriè dictis, à téque dissimulatis, clariora apponam, vt non ex tuis, meísque commentis, sed ex sola eorum interpretatione, mens & consilium eorum omnibus veritatem amantibus innotescat.

Irenæi de Cœna Domini sententia aduersus hæres. lib. 5 cap. 1.

Prima ergo sententia, quæ ex Irenæo fuit à me producta, sic habet. *Quando*, inquit, *& mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia.* Quem quidem ego Irenæi locum nullam elementorum substantialem mutationem, sed solam sacramentalem statuere rectè colligo, eò quod symbola quæ percipiuntur, augmentum ac nutrimentum corporibus nostris suppeditare ab Irenæo dicuntur, quæ perfecto corpori & sanguini Christi cópetere nequeunt. Scarga autem verba Irenæi sic eludit, vt de augmento carnis nostræ ex pane & vino verba facere Irenæum dicat, sed nimirum ante conse-

consecrationem. Atqui Irenæus, non de pane simplici loquitur, sed de eo, qui percepto Dei verbo factus sit sacramentũ, quidque iste in alendis corporibus nostris efficiat, dum interim cœlesti etiã cibo, hoc est corpore vero Christi animam nostrã viuificet. Sed producit aliam ex Irenæo sententiã, quod nimirum ille corpora nostra percipere dicat Eucharistiam, ac propterea non esse corruptibilia, sed speciem resurrectionis habentia. Inde verò colligit Scarga, non aliter ali posse corpora nostra corpore Christi, nisi reipsa sit in Eucharistia, ipséque panis in illud transmutetur. Ego verò vellem diligentius expendere Scargam, quo sensu carnem nostram Irenæus multoties dicat carne & sanguine Christi nutriri, alimentúmque & augmẽtum ex ea percipere. Nihil enim naturaliter corpus nostrum nutrit, nisi quod per alterationem in carnem nostram & sanguinem conuertitur. Hoc verò cum de corpore & sanguine Christi citra impietatem dici nequeat, facile apparet, sacramenta siue symbola visibilia, quæ suo modo & sunt & dicuntur corpus & sanguis Christi, sola esse, quæ nõ permutata, sed in sua natura persistentia, verè corporibus nutrimentum & augmentum ita suppeditãt, vt interim propter res ipsas cælestes, quæ simul cum eis fide & animo suscipiuntur, corporibus nostris incorruptionem certámque resurrectionis spem tribuant. Nam qui mente & spiritu per fidem veram & efficacem corporis & sanguinis Christi participes fiunt, adeò in anima renouantur & sanctificantur, vt corpus etiam mortale, ex naturáque sua interitui obnoxium verè reparari, & in certam spem immortalitatis futuræ renouari sentiant.

Scarga Irenæi locum cauillo eludere nequiquam nititur.

Absurda quæ ex Ieuitica opinione sequũtur.

Hic verò est verus & genuinus Irenæi sensus,

qui adeò transubstantiationi non suffragatur, vt propter naturalem symbolorum in carnem nostram & sanguinem mutationem, de accidentibus sine subiecto permanentibus, nihil vnquam cogitasse certò deprehendatur. Quod autem post consecrationẽ panis verè maneat, sed tamen nõ cõmunis, verùm ad sacramentalẽ dignitatẽ euectus, verũ vt Christi nobis corpus & sanguinẽ repræsẽtet, toties in scriptis suis commemorat. Tale enim est, quod libro 4. cap. 34. scribit: *Panis*, inquit, *in quo gratiæ actæ sunt, corpus est Domini*: & cap. 33. *panem illum creaturam esse dicit secundum nos*. Cui vetustissimus scriptor Iustinus in Apologia 2. astipulatur. „ Ita enim panem & vinum sacramenta corporis & „ sanguinis effici testatur, vt tamen illum cibum & „ potum mutari in carnem & sanguinem nostrum, nutriréque corpora nostra profiteatur. Ineptissimũ ergo Turriani illud est commentum, quo prædicta Irenæi verba adulterare nititur, nescio quod hyperbaton in oratione eius comminiscens, vt obtineat, non de pane consecrato, sed adhuc cõmuni Irenæũ loqui, vt eo nimirum solo nutriri corpora nostra testetur. Nec minorem vanitatẽ hominis & illud redolet, quod si saltem spiritualiter & non etiam corporaliter homines corpore Christi vescãtur, omnem illis spem resurrectionis glorioſæ adimat, quando tot infantes ac pueri ante perceptionem corporis Christi sacramentalem ex hac excedentes vita, & verè tamen in æternam gloriam resurrecturi, absurdum hominis figmentum clarè refellant.

Panis sub stantiam manere sẽper in Eucharistia, veteres omnes affirmare.

Turriani ineptum commentum.

Sed veniamus ad Ambrosium, quem Scarga trã substantiationem ita apertè statuere affirmat, vt in vna eius sententia explicanda prolixè insistens, triumphum quendam agere & pæana canere videatur. Recitat autem dicta Ambrosij ex lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 9. vbi quidem Ambrosius plurimis productis virtutis diuinæ exemplis, quæ à Moyse & reliquis Dei seruis in commutanda rerum natura ædebantur, maiorem vim diuinæ benedictionis, quam naturæ esse testatur, eo quod benedictione ipsa etiam natura mutetur. *Quod si tantum*, inquit, *valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini saluatoris operantur? Nam sacramentũ istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo vt species mutet elementorum?* Ex his verò Ambrosij verbis nihil se aliud colligere posse Scarga ostendit, quàm realem panis in ipsam substantiam corporis Christi mutationem significari. Ineptam enim fore comparationem, & hominis prorsus deliri ac sine cerebro, si maiorẽ verbis Christi in mutandis speciebus elementorum potestatem tribuat, neque tamen mutatio substantialis istorũ cõsequatur, quàm in naturis rerũ à Prophetis permutatis est animaduersa. At verò toties iam à me demonstratum est, tantam sacramentorum diuinitus institutorum amplitudinem esse & præstantiã, vt quam omnipotentiam Dei in rebus ex nihilo producendis vel naturis ministerio prophetarum immutandis admiramur, non minorem in sanctificandis rebus creatis, vt ea iustitiæ & redemptionis nostræ certissima sint Symbola, reputemus. Neque enim ab arbitrio humano pendet, sicut sine omni ratione toties isti deblaterant, regeneration is, renouationísque nostræ, & vitæ spiritualis visibilia constituere signacula, vt diuina

Ambrosij de Cœna Domini sententia excutitur.

Scarga quam feliciter ac bona fide Ambrosiũ citet.

virtus in hoc opere admirando, & supra rationis humanæ captum posito, vel maximè eluceat.

Veteres æque de Baptismo atque de Cœna loquuntur.

Non solum ergo scriptores antiqui in vno Eucharistiæ sacramento instituendo, vim operatricẽ Dei maximis quibusque laudibus & præconiis extollunt, sed eãdem quoque in altero Baptismi sacramento recognoscunt. Nam inter cæteros sic scriptum reliquit Chrysostomus: *Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus omnia quæ tradidit, insensibilia sunt: sic & in Baptismo per aquam, quæ res insensibilis est, donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile quiddam est.* Agnosce nunc, Petre, ita hæc inuicem sacramenta inter se comparari, vt quæ diuinæ potentiæ virtus in vno celebratur, non dissimilis in altero prædicetur. Quod si Baptismi aqua sine vlla sui substantiali permutatione, tamen regenerationis & renouationis, qui ea abluantur, participes efficit, an tu nihil magnum & præclarũ, virtutéque Dei dignum in altero sacramento agnosces, quod itidem sine substantiali mutatione panis, veri sanguinis & corporis Christi omnes fideles participes reddat? Ita vero ipsa veritas te vbique constringit, & transubstantiationis tuæ fallax & inutile figmentum vbique redarguit. Nec Ambrosius in sacramento Eucharistiæ aliam mutationem agnoscit, nisi quæ magno veterum omnium consensu in Baptismo semper agnita fuit, vt res quidem sensibiles vtrobique manere integras dicerent, ipsas autem res insensibiles ac intelligibiles in eis offerri prædicarent.

Et ne tu rerum sensibilium nomine in Eucharistia

Scarga suis laqueis captus.

ristia solas elementorum species, sicut soles, intelligas, idem Ambrosius in hoc loco abs te citato commentum tuum refellit, qui sermone Christi species elementorum mutari contendit. Si ergo præcisè Ambrosij verba vrgere volueris, non solã substantiam panis & vini, sed & ipsas species in corpus & sanguinem Christi permutari contendas oportet. Verùm quia apud veteres sine discrimine vllo tam species panis & vini, quàm ipse panis & vinum permutata dicuntur, vanum ergo illud commentum vestrum manifestè expugnant, quod rerum substantias ita aboleri dictitare solentis, vt solis earum speciebus vel accidentibus locum in sacramento stolidè relinquatis. Manent enim hæ quæ ante consecrationem fuerunt, rerum cum suis speciebus substantiæ, sed mutatur sacramentaliter, vt non nomine earum rerum, quæ sensibus obiiciuntur, sed nomine earum, quæ sola fides & intellectus apprehendit, rectissime censeantur.

Iuxta Ambrosium etiam species elementorũ Papistæ abolere deberent.

Appositè ergo verba illa Ambrosij ad demonstrandam sacramentalem & non substantialem elementorum mutationem à me producta fuerunt, quæ dũ tu solito tuo cauillo eludis, in eadem semper fabulas & odiosam tuam cantilenam recidis. *Si tanta vis est*, inquit, Ambrosius, *in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est vt sint quæ erant, & in aliud cõmutentur.* Hunc enim locum sic tu Petre interpretaris, vt nimirum dicas esse quæ erant, hoc est secundum externas species, sed quo ad substantiam esse permutata. At verò stultum est dicere, ante cõsecrationem solas rerum imagines vel species sine substantiis extitisse, quod ne vos quidem ipsi dicere audetis. Si ergo secũdum Ambrosium eadẽ

Scarga quam fidus sit Ambrosij interpres.

dem permutata nunc sunt, quæ ante fuerunt, profectò non sola accidentia, sed & ipsas rerum substantias existere necesse est, neque vllam substantialem, sed solam sacramentalem mutationem elementorum censeri. Ac quod vere ipsa panis & vini substantia in sacramento subsistat, & non sola accidentia, idem Ambrosius in eodem li. c. 9. clarè demonstrat. *Non alia hic* inquit, *requirimus Dei vim & facultatem, quam quæ effecit, vt præter ordinem virgo generaret. Eundem enim illum spiritũ, qui obumbrauit Mariam, vt conciperet, non dubito adesse pani, & vino, vt efficiantur sacramẽta corporis & sanguinis Domini. Et quod verè ac naturaliter externis elementis vescamur, vt interim esum carnis & sanguinis Christi spiritualem significemus.* Idẽ scribens in Epistolã Pauli 1. Cor. cap. 2. testatur. *Quia morte Domini*, inquit, *liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem Domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Et in libro de Sacramẽtis 4. cap. 5. *Fac nobis*, inquit, *hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Ita verò Ambrosius in multis scriptorum suorum locis, quam mutationem in sacramentis agnoscat, perspicuè edisserit, vt qui transubstantiationem ex scriptis eius elicere tentant, facilius aquam ex pumice extundere posse videantur.

Ambrosiũ vbique Panam transubstantiationem dãnare &c.

Cypriani de Cœna Domini sententia explicatur

De Cypriano non est quòd multis agam, quando vniuersa eius scripta exhiberi in Cœna Domini veram panis vinique substantiam testantur, vt similitudo alimẽti viuifici, quod à fidelibus ex corpore Christi percipitur, & adunatio ac societas totius populi in vnũ corpus cõgregati, rectè suo respondeat sacramento. Quia tamen Scarga cum Turriano ex vna Cypriani sententia pessimè intellecta transubstantiationem excudunt, quantum ea errori illorum patrocinetur age dispiciamus. *Panis iste*, inquit, *quem Dominus Apostolis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi latebat diuinitas, ita in sacramento inuisibili ineffabiliter diuina se infundit essentia.* Hunc quidem locum ego ita explicaueram, vt naturam panis mutatam à Cypriano dici, pro conditione siue proprietate panis intelligerem, secundum vsitatam & receptam apud omnes scriptores Latinos loquendi consuetudinem. Sed insignem quandam isti huius vocis corruptelam à me factam esse clamitant, vt Turrianus ex autoritate Basilij Magni vocabulum naturę nunquam in dogmatibus Ecclesiasticis nisi pro substantia vsurpari contendat. At verò, Turriane, si istam legem à Basilio positã perpetuam esse voluisti, vt quid tu ipse eam violas; & de rebus sacris non prophanis verba faciẽs, vocabulo naturæ pro conditione abuteris? In hoc enim ipso tuo libello (vide quam mendacem oporteat esse bene memorem) tu ita quandam tuam sententiam recitas. Vita, inquis, substantialis, & vita per gratiam & participationem Spiritus secundum habitudinem fidei non sunt ὁμοφυα, id est vnius naturæ, & conditionis. Si ergo, Turriane, cùm de dogmatibus ecclesiasticis loqueris, in vna eadémq; significatione vocabulũ naturæ & cõditionis vsurpas, vt quid Cyprianum eadẽ sermonis vti forma nõ pateris?

In sermone de Cœna Domini.

Turrianus legis à se fixæ transgressor.

Sed ne coniecturis agamus, & de mente Cypriani in vtramque partem disputemus, ipsum verborum suorum interpretem, clarioribus aliis eius appositis sententiis audiamus.

Cypriani clariores sententiæ, quibus obscurius dicta illustrat.

Sic enim libr. Epistol. primo, Epistol. 6. scribit. *Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portauit, indicat adunatum, & quando sanguinem suum vinum appellat, de botris & acinis pluribus expressum.* Et lib. 2. Epist. 3. *Quomodo*, inquit, *nec corpus Domini esse potest farina sola, aut aqua sola, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum, quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus.* Et ibidem contra Aquarios. *Nec potest*, inquit, *videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice, quando vinũ defit calici, quo Christi sanguis ostenditur.* Hæ vero clarissimæ Cypriani sententiæ, vt infinitas alias præteream, futilia vestra commenta, Iesuitæ, abunde refellunt, qui substantiæ panis ante & nõ post consecrationem locum in sacramento relinquitis, & qui in accidentibus & non in substantia panis proportionem illam de nutriendo corpore, qua significetur animam nostram corpore Christi ali spiritualiter, optimè seruari posse, perperam & stolidè iactatis. Nam quod Turrianus analogiam consistere, intelligíque ac cogitari in ipsis speciebus panis & vini dicit, quia qui specié intelligit, & cogitat, necessario velit nolit, simul intelligit & cogitat panem, dignus est, qui ab omni esu panis & potu vini remotus, ipsis earũ formis ac specieb. visibilibus pascatur, vt qui exvisu externarũ specierum ipsas substantias subesse intelligeret, pane etiam ipso se vesci crederet. At vero scriptores Ecclesiastici, non quid in forma panis conspecta intelligatur, sed quid panis operetur in carne aperte

Accidẽtia panis sola iuxta Iesuitas nutrire.

Patres Iesuitis aduersari.

apertè declarant, vt quomodo similitudo rei carnalis, effectui rei spiritualis respondeat, nos apertè edoceãt. Vnde & à Beda præclare illud dictum est. *Quia panis*, inquit, *carnem confirmat, vinum verò sanguinem operatur in carne, hic ad corpus Christi mystice, illud refertur ad sanguinem.* Verum noui isti Catones ita veterum testimonia pro sucitant, vt quidquid palato non adlubescit, securè reiiciant, & nouis quidusdam epulis mensas suas delicatas onerẽt, vetustatísque simplicitati superbè insultent.

Et quia nihil in Cypriano repererunt ad stabiliendas inanes & euanidas accidentium suorum vmbras, nec Chrysostomus quidem, quem Scarga producit proximum, dextrè ac sobriè intellectus, quidquam eorum adiuuat causam, producuntur autem hæ eius in medium sententiæ. *Non sunt*, inquit, *humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat & transmutat ipse est.* Et alibi: *Visibilia Deus in corpus suum transmittat.* Et alibi: *Qui dixit, hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo confecit.* Et alibi: *O mira cũlum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus ipsum accipere & complecti.* Et alibi: *Helias Melotem discipulo, filius autem Dei ascendens suam nobis carnem reliquit. sed Helias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Et alibi: *Hoc corpus in præsepi reuerenti sunt Magi, & viri impij & barbari, tu nõ in præsepi, sed in altari, non mulierẽque in fasciis te*

Chrysostomi sententiæ, quæ pro transubstãtiatione facere vidẽtur Iesuitis.

neant, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum super proposito sacrificio abundè diffusum vides. Ex his vero & reliquis Chrysostomi sententiis, quas breuitatis causa omitto, duo se Scarga elicere ostendit. Vnum quidem, quòd reuera corpus Christi, non panis in altari conspiciatur. Alterum, quòd panis realiter in ipsum Christi corpus conuertatur, saluis tantum visibilibus speciebus panis & vini.

Chrysostomi sententia de Cœna Domini exponitur.

Ego vero quod ad primum attinet, ita verè dici illud à Chrysostomo credo, vt si tantùm præter mentem & sententiam eius sola spectentur verba falsissimum esse, vel ipso Scarga iudice, statuam. Ipse enim Scarga, quod superius admonuimus, ita corpus Christi videri & frangi tradidit, vt figuratè & Metonymicè corpori Christi tribui, quod solis speciebus competit fuerit professus. Atque vt istud perneget Scarga, & mutata sua sententia cum Turriano consentiat, ipse tamen Chrysostomus mentem suam declarat, & quomodo eius sint verba, vt plurimum figurata & hyperbolica accipienda, clarissimè demonstrat. Nam cum alibi dicat, nihil sensibile traditum nobis esse à Christo, sed rebus sensibilibus omnia insensibilia tradita esse, profectò vel inde cognoscere licet, non ita præsentem in altari statui Christum, vt quod oculi vident, id non esse panem, sed reuera Christum peruersè quispiam existimet. Non enim ideo videri panem & vinum toties in scriptis suis negat, vt non amplius restare panem & vinum credamus, sed vt diuina mysteria & rerum cœlestium Sacramenta illa esse scientes, sensus omnes nostros à rebus visibilibus auocemus, atque vt in ipsum corpus Christi & sanguinem oculos fidei & intellectus coniiciamus. Hoc enim eius

Chrysostomus optimus dictorũ suorum interpres.

ista

ista confirmat sententia, quam tu quoque, sed aliud agens, citasti: *Credam*, inquit, *vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur quod dicit, in omnibus, & præcipuè in mysteriis ita faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodò aspiciamus, sed verba quoque eius teneamus. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilis est, illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, & oculis intellectus id perspiciamus.* Si ergo secundum Chrysostomum corpus Christi solo intellectus oculo in Sacramento cernitur, nõ vtique panis & vinum, quæ carneis videntur oculis, ipsum Christi corpus realiter existunt, aut in id permutantur.

Chrysostomi clarior tursus sententia.

Atque inde perspicitur qualis præsentia corporis Christi in Sacramento sit statuenda, non ea nimirum quam sensus nostri requirant, sed quam solus fidei intellectus, prout caro Christi in crucem pro nobis est tradita, apprehendat. Et quia quæ ante nos iacent, aspicere vetat, integram profectò elementorum substantiam restare profitetur. Nam si abolita panis & vini substantia, ipsum Christi corpus extraneis accidentibus, sicut vos fingitis, vestitum in altari iaceret, non certe ab aspectu eius nos Chrysostomus arceret. Sed diligenter hoc solum, quod iacet tanquam verum Christi corpus spectandum proponeret. Atque hoc quidem vos facitis, vt quia secundum decretum Romani Pontificis sensibiliter Christum manibus sacerdotum & tractari & frangi asseritis, ipsum reuera etiam corpus Christi videri contendatis, ac propterea

Præsentia Christi qualis in Cœna statuenda.

Hæc verba habentur in Palinodia Berẽgarij, cuius autor Humbert' Cardinal. erat. vide supra

auro concluſum & per omnes vrbis vicos circumlatum non ſine ingenti crimine idololatriæ adoretis. Inde verò facilè animaduerti poteſt, quantum vos à doctrina Chryſoſtomi & veterum omnium Patrum diſtetis, qui in ſolo eſu ac potu Sacramentorum fide ac mentis, oculis vero Chriſti corpori & ſanguini participabant, neque pani & vino extra vſum à Domino inſtitutum per tot ſecula diuinos cultus exhibebant. Neque enim talem mutationem agnouerant, qualis poſtremo infelici ac deplorato ſeculo in Eccleſiam Dei eſt introducta, & hactenus variis Satanæ artibus, ac miris conatibus defenſa. Nam & Chryſoſtomus cum multis verbis elementorum mutationem fieri verbo Dei omnipotentis teſtetur, integrum tamen panem & vinum exhiberi in Sacramento tradit, vt ſolam mutationem ſacramentalem ſicut in Baptiſmo, ita & in Euchariſtia recognoſcat. Ac propterea cum tu, Petre, clariſſimum illius teſtimonium à me citatum refellere non poſſes, qui ſcribens in Pſalmum 22. panem & vinum in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti quotidie in Sacramento oſtendi perhibet, ad ſolitum illud veſtrum & putidum figmentum relaberis, vt panem & vinum ab eo vocari, ſed ante conſecrationem affirmes. Atqui Chryſoſtomus in Sacramento non ante Sacramentum panem & vinum oſtendi perhibens, futile iſtud commentum tuum planiſſimè redarguit.

Scargæ ſolitum ſufugium.

Quod quidem Turrianus animaduertens paulò quam tu ſagacior, negare quidem non audet, etiam poſt benedictionem vocari ab ipſo Apoſtolo & veteribus panem, ſed ob formam panis, viſibilem & non ipſam ſubſtantiam ita dici contendit, vt quia mutata ſubſtantia, externa remanet ſpecies

Turriani ſophiſma refellitur.

ſpecies, ſiue accidentia ſine ſubiecto, prioris etiam ſubſtantiæ ſuæ retineat nomen. Ita vos quidem vtrique libere & ſine omni pudore mentientes, non eſt mirum, ſi non vbique concordes in vna eadémque ac ſtabili ſententia permanere poteſtis. Sed da vel vnicum ex omni vetuſtate ſcriptorem, Turriane, qui vel exiguam mentionem fecerit de accidentibus per ſe ſine omni ſubiecto ſubſiſtentibus, aut in aere fundatis. Imò quomodo dicere poteris ſolam ſubſtantiam panis mutari remanente ſpecie, quando Chryſoſtomus in loco à Scarga contra me citato, viſibilia Deum in corpus ſuum tranſmutaſſe profitetur? Nam ſi ſecundum Philoſophos, quod tu toties allegas, rerum ſubſtantiæ non videntur, ſed ſaltem ſpecies, profectò non ſubſtantiam in Sacramento, ſed ſola accidentia, vt pote viſibilia, mutata eſſe Chryſoſtomus docet. At verò quia non mutantur, tametſi mutata eſſe dicantur, aliam ergo mutationem, quæ in vſu ac dignitate ſacramentali conſiſtit, & non in permutatione ſubſtantiali, agnoſcamus oportet.

Hæc autem cum neceſſariò ex ſcriptis & ſententiis antiquorum conſequantur, mira eſt veſtra importunitas, qui ex ſcriptoribus antiquis aliquem produci à me poſtulatis, qui totidem verbis id dicat, quod ego profiteor. Iſti verò cum mutari rerum creaturas benedictione Domini dicunt, & tamen ſaluas ac integras omnium ſenſuum iudicio comprobant, non certè aliam mutationem præter ſublimem & nouam quandam elementorum dignitatem ſtatuunt, quam non ex natura ſua, ſed ab efficaci virtute & potentia verbi diuini cõſequuntur. Nam quæ ſublimior & auguſtior mutatio fieri poteſt, quàm ex communi cibo & potu, qui fragi-

Veteres qualẽ elementorũ mutationẽ ſtatuant in ſacramẽtis.

lem hanc tantum & caducam vitam sustentat, spirituale subito ac cæleste effici epulum, vt quod ex natura sua operatur in carne, id quoque Christum ipsum efficere in anima verè significet: Atque adeo non fallaciter cibus hic visibilis, & in sensus humanos incurrens animam nostram ali ac vegetari cibo spirituali & inuisibili corpore nimirum & sanguine Domini nostri Iesu Christi testatur, vt quod propriè soli externo symbolo competit, rectè tantum ipsi significato ob certitudinem cibi cœlestis percipiendi tribuatur. Neque enim corpus Christi, aut à turba circumstanti conspicitur, aut manibus fidelium tractatur, aut fractum deglutitur, & tamen videri, tangi, oréque manducari à Chrysostomo dicitur. Hæc verò propter similitudinem & analogiam cibi externi, & cibi interioris dicuntur, vt quæ sensibus in externo cibo perficiuntur, sola fide & Spiritu in cibo interiori perfici intelligantur. Ac propterea ne quem carnalem aut ventri seruientem cibum imaginemur, nos Chrysostomus à terra auocat, & dum hæc sacra mysteria percipimus, non amplius nos inter mortales versari, atque in terra consistere tradit, sed euestigio in cœlos transferri, omnémque carnis cogitationem abiicientes, nudo animo, mente pura circumspicere, quæ in cœlo sunt sanctissime docet. Hæc verò est sola, & legitima corporis Christi manducandi sanguinisque eius bibendi ratio, non in propositas externas dapes oculos & mentem defigere, & Christum in externis symbolis latentem suspicari, sed fide in cœlum ipsum euehi, ibique verè manducandum spiritu & animā complecti. Quoties ergo à Chrysostomo & reliquis patribus sanctis corpus Christi in terra videri, manibúsque hominum palpari, oréque ipso percipi

Corpus Christi inuisibile & intractabile.

Canon ad patrum de Sacramentis dictain telligenda necessarius.

percipi dicitur, toties id externo corporis Christi sacramento propriè tribui intelligamus, vt interim tamen nudo animo, puráque mente regium corpus Christi in cælis, secundum doctrinam Chrysostomi, complectamur.

Hæc verò cum tam perspicuè Chrysostomus tradat, mentémque suam tam claris & apertis verbis explicet, Scarga tamen nullum tropum ac figuram in dictis Chrysostomi agnoscit, & sicut reuera Christum præsentem & sub accidentibus panis latitantem arbitratur, ita ipsum & manibus, teneri, & dentibus confringi, & carnali ore perceptum, in stomachum traiici contēdit. Nam quia Chrysostomus ita filium Dei in cælum ascendisse perhibet, vt nihilominus carnem suam nobis relinqueret, sicut Helias Melotem discipulo reliquit, hoc dictum ita Scarga arripit, vt secundum eam corporis substantiam, secundum quam Christus in cælo est, in ipsis quoque accidentibus panis illum esse reuera statuat. At verò si Chrysostomus eadem carnali præsentia Christum in sacramento esse censeret, qua eum in cælo cum Patre regnare tradit, vt quid ergo nos in cælum à terra auocaret, & tanquam aquilas illuc subuolare doceret? Nihil enim mentem & fidem in cælum attolli attineret, si in eo quod est oculis expositum, & in terra siue altari collocatum, ore solo carnali percipere liceret. Atqui aliter caro Christi est in sacramento, aliter in cælo, vt non vtrobique eadē localis præsentia sit statuenda. Quod adeò tu, Petre, non diffiteris, vt in priore libro tuo clarè edisserens Christū non esse in sacramento secundum situm & loci circumscriptionem, neque eum descendere de cælo, magnum discrimen inter vtrāque præsentiam agnoscere videaris. Nullum au-

Hypelas Chrysostomi quonammodo Scarga accipiat.

Scarga quæ negat, eadē imprudēs affirmat.

tem omnino discrimen aliud statui posse vel tua confessione perspicitur, nisi quod cum Christus de cælo non descendat, neque secundum situm & loci circumscriptionem in sacramento esse incipiat. Sacramentaliter ergo siue in signo sit, & verè tamen propter efficacem fidei vim qua apprehenditur in Cœna sua præsens.

Hoc ergo modo Christus in cælum ascendens, sicut loquitur Chrysostomus, carnem suam reliquit, vt quo ad veram eius substãtiam, & localem præsentiam, non alibi tamen nisi in cælo consistat. Nam de Helia quod adducis ex eo scriptore testimonium, vel hoc vnum te docere poterat, non aliquam carnalem præsentiam corporis Christi in sacramento esse statuendam, sed eam tantùm, quã diuina Christi virtus & potentia efficit, vt quamuis corpore suo absens & in cælo existens, verè tamen præsentem fidei spirituique se nostro participandum offerat. Nam quod de Christo dicitur, illum ita ascendisse in cælum, vt tamen carnem suam nobis relinqueret, idé & Heliæ à Chrysostomo tribuitur, vt duplicem nimirum & sursum & deorsum illum fuisse Heliam dicat. Ac sursum quidem illum fuisse ambigit nemo, in quantum scilicet in corpore suo in cælum raptus fuerat, deorsum autem, non aliqua corporali præsentia, sed spiritu atque virtute, quæ in eius Melote euidentissimè demonstrabantur. Ex qua quidem pulcherrima & aptissima comparatione nemini obscurum esse potest, quo sensu dicatur Christus carnem suam in cælum sustulisse, & eam tamen in terra reliquisse, vt nimirum propter virtutis suæ potentem efficaciam, qua se nobis communicat, carnéque sua in vitam æternam & immortalem nos in cælum per fidem ad se transferens vegetat,

Helias in cælum sublatus nihil secius super terrã cum discipulo manebat.

Christus quomodo carnẽ suam & in cælum sustulerit & in terris reliquerit.

corpore

corpore se suo præsentem verè nobis exhibere credatur.

Multa sunt alia & præclara diuini huius scriptoris testimonia, ex quibus sola spiritualis corporis Christi manducatio, nostráque in cælo per fidem conuersatio tam clarè demonstratur, vt qui nos in terram deprimunt, & Christum carnaliter in externis symbolis latitantem quærere & dentibus lacerare cogunt, tantóque errori Chrysostomum patrocinari putant, insigni quadam calumnia, vel volẽtes, vel per summam inscitiam ipsum onerare videantur. Nam quod ad Cæsarium scribens Monachum, symbolum liberatum esse appellatione panis dicit, & naturam tamen panis in eo permanere, his dictis clarissimè testatur, sacramentalem panis, non autem substantialem, in hoc mysterio mutationem esse intelligendam, secundum quam externa nimirum elementa ipsarum rerum significatarum nomine vocentur, & ita res ipsas cælestes fidelibus exhibeant, vt pristinam tamen substantiæ suæ naturam retineant. Hoc autem perspicuum Chrysostomi dictum cum Scarga refellere non posset, satis esse putauit ad autoritatem eius eleuandam, si epistolam illam Chrysostomi esse negaret, ac falsò sub nomine illius circunferri pronunciaret, verum vt hoc illi concedamus, hoc tamen non obtinebit. Scarga, vt nouam & recentem doctrinam esse, quam nos profitemur, criminari possit, quam tanto vetustatis patrocinio comprobatam cernit. Quisquis enim illius Epistolæ author extitit, vetustissimum sanè fuisse apparet, cuius scripta ad autorẽ vsq; Chrysostomum, & non ad recentiorem aliquem scriptorem referuntur.

Iesuiticũ stratagema.

Atque vt nullum vsquam Chrysostomi extaret

hodie scriptum, an minus ideo plurima antiquissimorum aliorum patrum suppeteret nobis testimonia, quibus vanum & ineptum transsubstantiationis vestræ commentum redarguere posse-mus? Audi enim quid Gelasius in eadem ferè verba contra Eutichetem scribat, & nihili prorsus te vsum fuisse subterfugio cognosces. *Certè*, inquit, *sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia & natura panis & vini.* Huic verò contra eundem Hæreticum clarissimis verbis adstipulatur Theodoretus. Nam in primo suo sic loquitur Dialogo. *Idem ipse etiam ea, quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed naturæ adiiciens gratiam.* Et in Dialogo secundo, in hæc loquitur verba. *Captus es*, inquit, *iis ipsis retibus, quæ tetenderas. Neque enim post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediuntur. Manent siquidem in sua propria substantia, & figura & specie. Ideò & videntur & palpantur, quemadmodum & antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam existentia, quæ creduntur.* Abi nunc Scarga, & in antrum aliquod caput abde, vt ne fulmen Chrysostomi oculos tibi perstringat, neque sic tamen euades, quin eandem vim fulguris Gelasius cum Theodoreto in te contorqueant.

Gelasij Papæ contra Papanos clarissimum testimoniū

Theodoreti testimonia apertissima.

Hæc autem veterum dicta cum vel sole ipso sint clariora, tamen in vno Emisseno nescio quid se Scarga cum Turriano reperisse, vel mea ipsius confessione, iactitant, vndetranssubstantiationem suam se excudere posse sperant. Ita enim in oratione sua de corpore Domini inter cætera scribit Emissenus

Emisseni de Cœna Domini sententia explicatur.

Emissenus, *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui secreta potestate conuertit.* Quæ quidem Emisseni verba, si ita vt sonant, essent accipienda, substantialisque signorum in res ipsas mutatio inde esset colligenda, tum sanè ego nullam fidem & autoritatem dictis illius adiungendam esse meritò censerem. Nam quod ab vno aliquo scriptore dicitur quod à Catholico orthodoxorum patrum consensu discrepat, non tanti ponderis apud nos esse debet, vt non potius in eorum sententiam pedibus eamus, quos & singularis doctrina, & in scripturis enarrandis eximia fides omni hominum memoriæ commendabiles reddidit. Ac de debitis Emisseni laudibus nihil ego detraho. Sed si cum Augusto, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo, ac reliquis Ecclesiæ luminibus conferatur, multo inferiorem esse iudico. Si itaque nouum aliquod trāssubstantiationis, sicuti vos putatis, hic proponeret dogma, non iniuria contemnendum putarem, & autoritatem præstantissimorum illorum virorum, qui nihil tale vnquam senserunt, Emisseno præferendum statuerem.

Emisseni quāta sit autoritas.

Verum ne hoc quidem euicistis Iesuitæ, frustráque triumphum in re vana canitis, & quasi in castra vestra Emissenum pertraxeritis, stolidè ouatis. Emissenus enim, quod abundè demonstraui, mentem suam apertè explicat, & qualis illa mutatio sacramentorum sit intelligenda, ex collatione alterius mutationis quam per Spiritus sancti regenerationem consequuntur in Baptismo fideles, clarè edisserit. Non debere enim nobis videri nouum aut impossibile prohibet, quod in Christi substantiam terrena & mortalia cōmutentur, quando & nos ipsi in Christo renascamur, corspon-

Emisseni locum nihil pro lesuitis facere.

púsque ipsius Christi efficiamur. Qualis autem illa sit in Christum conuersio nostra, sequenti expositione declarat: *Dudum alienus*, inquit, *in vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecus mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innouatus, in corpus Ecclesiæ, non videndo sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens*, maior factus es te ipso, inuisibiliter sine quantitatis augmento, cum idem atque ipse esses, multo aliter fieri fidei processibus meruisti. In exteriori nihil additum est, & totum in interiori mutatum est, ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus. Quid obsecro clarius istis Emisseni verbis produci potuit, ad ostendendam non substantialem, sed sacramentalem panis & vini in corpus ac sanguinem Christi conuersionem: hac nimirum comparatione à mutatione hominum ducta, quorum non exterior carnis substantia, sed interior mentis affectio, vt ex sordibus renascatur in munditiem, virtute diuina permutatur? Nulla enim similitudinis, quam Emissenus adhibet, vis esset, si maior & sublimior aliqua in sacramento mutatio intercederet, quàm ea est, quæ virtute Spiritus sancti in mentibus hominum efficitur. Quare quod Scarga in hac similiũ comparatione, non vt æquale & omni ex parte simile Baptismi exemplum, sed vti æquè difficile, & æquè à nostris sensibus remotum proponi ab Emisseno somniat, nihil aliud facit, nisi vt fingẽdo quæ libet, seipsum decipiat. Scimus quidem similitudines ad rem probandam & illustrandam ita adhiberi à scriptoribus, vt non omni ex parte sit semper necesse eas respondere, sed nisi hoc simile habeant in quo potissimum

Emissenus qualem mutationem in symbolis asserat.

Scarga se ipsum misere decipit.

potissimum conferuntur, adeo ridicula ac nulla erit comparatio, vt totam subitò rei propositæ fidem deroget.

Verùm ne tu hanc crassam corporis Christi in accidentibus delitescentiam ab Emisseno statui existimes, corpúsque ipsum Christi dentibus frangi aut ore percipi temerè credas, audi quomodo in hac comparatione semel cæpta procedat, aut quam præsentiam corporis & sanguinis dominici in hoc diuino sacramẽto statuat. *Sicut ergo*, inquit, *sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subitò nouam indutus es dignitatem, & sicut hæc, quæ in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, nec oculis nec sensibus sunt credita, ita cũ reuerendũ altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu, & maximè hausto interiori suscipe.* Hæc verò clarissima Emisseni verba nihil aliud docent, quàm sic nimirum, & nos in Christum, & sacramenta in corpus & sanguinem Christi permutari: vt sicut nullam mutationem nostri esse factam, quoad substantiam carnis, omnes nostri sensus renunciant, ita corpus Christi non vllis humanis sensibus, aut spectandum, aut contingendum proponi, sed sola mente, fide & spiritu & videndum & manducandum commonefaciant. Atqui diuersum Turrianus & Scarga clamitant, qui mutationem substantialem panis & vini in corpus ipsum, & sanguinem Christi somniantes, & externo corporis gestu in terram prouoluti illa adorant, & ore mãducari non tantum ab hominibus, sed à soricibus etiam confidẽter blaterant. Obsecro itaque æquissimum lectorem, vt à quorum partibus stet Emissenus, diligenter dispiciat, & quàm nihil sancta illa antiquitas

Emissenus nusquàm nihil cõmune cũ Iesuitis habeat, nota.

Papistæ ab Emisseno per diuidia pason dissident.

prorsus commune habuerit cum crudeli istorum Polyphemorum voracitate, sedulò perpendat.

Ac quod Hieronymus nihil etiam vnquam de transsubstantiatione cogitauerit, panémque reuera esse, qui corpus Christi nobis repræsentet, clarè docuerit, vel vnico contentus testimonio, illud in medium ego protuleram. *Postquam*, inquit Hieronymus scribens in Matthæum, *pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transit sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi Dei sacerdos offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis repræsentaret.* Quibus quidem Hieronymus verbis nihil aliud docet, nisi quod Christus tẽpore Cœnæ suæ panem in manus acceptum sacramentum ordinauerit, vt eo veritatem corporis sui repræsentaret. Scarga autem cùm nihil hic subodorari posset, quod ad transsubstantiationis figmentum comprobandum torquere posset, in vna repræsentandi insistit vocula, eámque ex vsu sermonis Latini non modo scriptoribus prophanis, sed sacris etiam peculiari pro eo vsurpari tradit, quod est rem præsentem exhibere, & ostendere. At verò vt vocem hanc in ea significatione aliquando accipi non diffiteor, negare tamen Scarga non potest, crebro etiam eandem apud probatissimos authores vsurpari pro eo quod est, rem aliquam similitudine quadam aut imagine referre. Ac profectò si hic Hieronymi locus conferatur cum reliquis eius de hoc sacramento sententiis, in posteriore hac significatione vocabulũ repræsentẽdi meritò recipiẽdum esse omnes sani facilè agnoscent. Sed de vocabulo cum Scarga non contendam, quòd in quocunque tandem vsurpetur significato, nihil tamen ad eam rem, quam vult ille, adfert momenti. Neque enim controuertitur inter nos. Vtrum panis ille rem nobis cælestem ac diuinam offerat, veréque præsentẽ fidelibus exhibeat, sed vtrum illa substantia panis esse desinat, vt noua substantia corporis scilicet & sanguinis Christi in locum eius succedat. Quod cum Scarga non probet, sed aliud agens per deuia vagetur, & in numerandis dictionum syllabis pueriliter nugetur, nullam etiam autoritatem cum fallacibus suis edictis apud nos meretur.

Hieronymi clarissimum testimoniũ vt qui & sacramentum & repræsentationem vocet.

Scarga nodum in scirpo quærit.

Verum vt propius vrgeamus hominem, & ex eodem Hieronymo pungamus, ne falsæ sententiæ esse autorem immeritò criminetur, vnam adhuc aut alteram sententiam illius citabimus. Scribit autem Hieronymus libr. 17. in Esaiam, cap. 62. *Hoc autem triticum*, inquit, *& hoc vinum, quod non comedunt, nisi laudantes Dominum, & non bibunt nisi in atriis sanctis eius, de quo Dominus in passione dicebat, Non bibam de hoc genimine vitis huius, donec illud bibam nouum in regno patris mei.* Idem verò ad Hedibiam: *Nos autem*, inquit, *audiamus panem, quem fregit Dominus, dedítque discipulis, esse corpus saluatoris ipso dicente ad eos, Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Ex his verò Hieronymi sententiis, si potes, Scarga, ex pumice extundere aquam, nobis transsubstãtiationem tuam excude, aut si non potes, ne quæso vano quærendi labore, quod nusquam sis inuenturus, te ipsum fatiges.

Hieronymi clariores sententiæ.

Quod autem ad Cyrillum Alexandrinum attinet, quem in causæ tuæ patrocinium adduxisti, ne hunc quidem nisi falsò pro te allegare potes. Nam etsi in hac quam producis ad Calosyrium epistola dicat Deum condescẽdere nostris fragilitatibus,

Cyrillus Alexandrinus quàm faueat Ieiunio.

Controuersiæ susceptę status.

& influere oblatis vim vitæ ac conuertere ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi semen quoddam viuificatiuum, inueniatur in nobis: ex eadē tamen epistola facilè colligi potest, quod non aliam cōuersionem ille intelligat, nisi quæ sacramētis omnibus competit, vt externa symbola in res ipsas diuinas dicantur mutata, quia verè & efficaciter illas repræsentent, & omnes fideles rerum istarum diuinarum participes efficiant. Scribit enim expresè *Christum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino.* Manifestè ergo substantialem panis in corpus Christi mutationem negat, & stolido transsubstantiationis figmento contradicit. Nam quod tu panem & vinum in altari ab eo poni dicis, sed ante ipsam cōsecrationem, ipse scriptoris textus vanissimum tuum commentum repudiat, qui corpus Christi & sanguinem in pane & vino percipi clarè testatur. Antequā enim consecratio fiat, panisque ille tanquam prophanus & communis in mensa iaceat, nec corpus nec sanguinem Domini percipientibus exhibere potest, vt cui benedictio viuificatiua nondum accesserit. Turrianus igitur cùm tam crassè mentiri non auderet, ad aliud mendacij asylum, sed non minus impudens, confugit, vt panem à Cyrillo, & vinum dici perhibeat, ob similitudinem nempe vel apparentiam panis & vini, vel accidentia, quæ post consecrationem sola iam restare fingit. Ita verò vos Iesuitæ discordes, & in vna eadémque sententia dispares ac varij, non ad veritatem Euangelicam profitendam, sed ad decipiendum mendaciis populum vos inuolasse in mundum ipsis factis testamini. Miror autem vehementer nulla vos prorsus

Cyrillus substantiam elementorū mutari negat.

Turriani subtilitas mendacia.

prorsus conscientia tam nefandi furti vel potius sacrilegij, ac tam atrocis iniuriæ, qua populum Christi affecistis stimulari, qui calice Domini tam diu in Ecclesia possesso, & sine discrimine ab omnibus vsurpato, illum defraudari, per tot iam secula sinatis. Quem enim ex vniuersa Ecclesiæ antiquitate scriptorem huc vsque produxistis, qui non vtriusque sacramenti in omnibus suis scriptis mentionem fecerit, & non vniuerso Christi populo corpus & sanguinem Domini, in pane & vino, Christi sic exigente instituto, proponi docuerit? Nihil ergo in tanta testium turba, qui citantur à vobis, aliud facitis, nisi vt vos degeneres patrum filios, quorum sanctissima imitari facta recusatis, esse demonstretis, nec legitimos auitæ possessionis hæredes, quam iniquè ac scelerate dissipastis, profiteamini.

Papistarū atrox sacrilegiū.

Papistæ quàm sint veterum Patrum degeneres filij.

Noli ergo posthac, Turriane, de apparentia vini disputare, dum nullum in communi mensa à te proponitur vinum: noli aliquo vetustatis præsidio figmenta tua stabilire, quando te omnia sanctorum patrum instituta conculcasse dispar vitæ & factorum omnium ratio declarat. Nam quod Cyrilli Hierosolymitani ex 4 Cathechesi mystagogica producitur à te testimonium, eodem te furti ac sceleris crimine condemnat, vniuersúmque tuum gregem qui sacrilega audacia, calicem ex mensa Domini sustuliſtis, & à societate ac communione sanguinis Christi oues ipsius repulistis. *In typo panis*, inquit, Cyrillus, *datur tibi corpus Christi, & in typo vini datur sanguis, vt participato corpore & sanguine Christi fias σύσσωμος καὶ σύναιμος, id est, concorporalis & consanguis Christi.* Agnoscisne, Turriane, iudicem te contra teipsum ferre, & non ferendum vestrum furtum vobis exprobrare? Si

Cyrillus Hierosolymitanus sacri legij damnat Papistas.

Quenque Christianum oportet esse συναίμου Christi sanguinis participē.

enim negare non potes vnumquemque ex ouibus Christi oportere esse σύσσωμον καὶ σύναιμον Christi, vt quid ergo à typo vini eos arcetis, quos ad panis typum admittitis? Verùm tu de Christi instituta & salutari consuetudine per tot secula in Ecclesia Dei vsurpata minimè sollicitus, in volatilibus Idearum tuarum vmbris consectandis saltem occuparis, & inanes rerum spes captans, profunda te mysteria tenere arbitraris. Ecce, inquis, typum panis, typúmque vini vocat, idem quod Cyprianus effigiem, & Augustinus speciem.

Atqui nisi cæcus esses, aut nisi vltrò ad tantam oblatam lucem oculos tibi clauderes, nihil aliud per speciem panis Augustinus intelligit quàm ipsum panem. Hoc enim tam clarè pronunciat, vt vel ipsorum sensuum iudicio certitudinem huius rei comprobari doceat. *Quod vidistis*, inquit, *panis est & calix, quod etiam oculi vestri renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, & calix sanguis.* Et in sermone ad Neophytos: *Accipite*, inquit, *in pane, quod pependit in cruce.* Inde verò facilè cognosci potest, quid scriptores antiqui per similitudinem aut speciem, typum vel figuram panis & vini intelligant, quoties istis vtuntur vocabulis: non profectò vt substantiam panis & vini ex sacramento excludant, soláque accidentia relinquant: sed vt ab externis symbolis oculos auertant, & quæ ex natura sua sint, nō amplius intēdāt, sed quid figurēt, ac significent oculos animi ac fidei defigere iubeant. Hoc enim sensu Chrysostomus, sicuti superius demonstratum est, nihil etiam videri in mensa Domini præter ipsum corpus & sanguinem Domini perhibet, vt quid fides in externis illis elementis

Augustin. in Epist. 1. ad Cor. 11.

Species, typus, figura, quid significēt Patribus

elementis contemplari debeat, diligenter commoneaciat. Alioqui vel accidentia ipsa panis & vini aboleri oporteret, quæ sola tamen supereſſe, soláque videri Turrianus cum Scarga non diffitētur. Tale verò & illud est, quod ex eodem Cyrillo Hierosolymitano producit Turrianus: *Panis qui apparet, non panis est, sed corpus Christi.* Neque enim istis verbis Cyrillus panem esse negat, aut solum panis spectrum vel apparentiam panis, sicuti Turrianus somniat, illic videri tradit, cum sensus oculorum panem reuera esse renuntiet, sed quia fides, non quod videtur, sed quod intelligitur & credēdum proponitur, maximè contemplari debeat.

Locus apud Cyrillum Catechesi mystagogica 4. quomodo intelligendus.

Hoc verò & sententia, quam Turrianus citat, Macarij Ægyptij in homilia 27. confirmat. *Percipientes ex eo, qui videtur esse panis, spiritualiter carnem Domini manducant.* Agnoscit enim hic vtrumque Macarius, & panem, quem oculi vident, & corpus ipsum Christi, quo spiritualiter fides vescitur: sed Turrianus tanquam Harpya contactu suo optima quæque fœdans, solam apparentiam panis, abolita ipsius substātia, statui à Macario prædicat, & spiritualiter manducari corpus Christi idē esse, quod inuisibiliter: vt non Spiritus & fidei, sed oris & ventris escam hanc esse confirmet. Mirum enim quantam hic nouus grammaticus vocum inuertendarum, & proutlibet interpretandarū, sibi desumat licentiam, vt si nobis hic author in tradenda vocabulorum proprietate sit sequendus, nouam omnino statui Etymologiam oporteat. Et quemadmodum πνευματικὸς accipiendum esse putat pro ἀοράτος, ita ex Cyrillo Alexandrino producens sententiam quandam de Cœna Domini, particulam Græcam, ὡς, corrumpit, & à proprio significato in diuersum sensum torquet, Sic enim

Macarius Ægyptius

Turriani in citādis Patribus fides.

Spirituali ter idem est Iesuitis quod inuisibiliter.

loquitur Cyrillus: suum, inquit, corpus ὡς ἄρτον distribuit, & viuificum suum sanguinem, ὡς οἶνον dat. Hic vero Turrianus particulam, ὡς, secundum proprietatem sermonis Græci similitudinem significare perhibet, & in similitudine panis & vini corpus & sanguinem dari à Christo Cyrillum docere ostendit. Verùm si quis similes in scripturis locos expendat, & cum hoc præsenti conferat, non similitudinem aliquam hac voce denotari vt plurimũ, sed certam potius & solidam approbationem cognoscet. Ita enim loquitur Iohannes de filio Dei. Et vidimus gloriam eius, gloriam ὡς μονογενοῦς tanquam vnigeniti à Patre. Et Paulus ad Ephes. cap. 5. Estote imitatores Dei ὡς τέκνα tanquam filij dilecti. Ac paulò pòst, fuistis quondam tenebræ, nunc vero lux in domino ὡς τέκνα tãquam filij lucis ambulate. Adhunc vero modum, & in ea significatione, Turriane, vocem illam, ὡς, apud Cyrillum accipiendam memineris, vt non similitudinem panis eum in sacramento fingere, sed ipsam potius substantiam credas, ex qua certitudo manducandi veri corporis Christi constet. Sic enim Christum tradere nobis corpus suum tãquam panem, & sanguinem simul tanquam vinum docet, vt sicut verè panem percipimus & vinum bibimus, ita verè exhiberi carnem & sanguinẽ nobis spiritualiter participandam credamus.

De hac significatione vide Laurentium Vallam in voce tanquã

Ac profectò si mentem antiquorum scriptorum in Ecclesia spectandam vobis proponeretis, ac veritatem inquirere, non fraudes ac dolos ex verbis eorum nectere studeretis, tam certa & perspicua illorum vobis innotesceret sententia, vt sepositis istis verborum aucupiis, & literarum tendiculis, omnes subitò transubstantiationis nugas perpetuo silentio obrueretis, & legitimum sacrosancti huius

Iesuitarũ studium & propositum.

huius mysterij vsum populo Dei restitueretis. Scribunt quidem veteres panem in Christi corpus cõuerti, & vinum in sanguinem: & ne quis de veritate corporis ac sanguinis in sacramento exhibẽdi dubitet, variis diuinæ potentiæ, vsu ipso comprobatæ, exemplis rem confirmant. Sed cum disertè toties, ita verum Christi corpus & sanguinem percipi asseuerent, vt panem interim & vinum naturaliter in ventrem coniici & in substantiam corporis aliti conuerti dicant, non obscure significãt, illam eos sacramentorum mutationem agnoscere, non quæ elementorum substantiam deponat, sed quæ in eum excellentiæ ac dignitatis gradum eue hat, vt non quod exterius videndum, sed quod interius credendum proponunt, veraciter ea exhibere statuant. Ita verò & sententia Cyrilli Hierosolymitani, & Gregorij Nisseni, qui reliqui duo ex omni vetustate citãtur, à Scarga intelligenda est, vt quia panem & vinum verbo sanctificata in corpus & sanguinem transmutari dicunt, propter veram rerum istarum cælestium exhibitionem, & nõ propter vllam symbolorum realem mutationem, hanc illi conuersionem fieri testentur. Nam quod veritatem mutationis factam Cyrillus ab exemplo simili adducto aquæ in vinum conuersæ comprobat, non similitudinem vel æqualitatem mutationis, sed in mutatione vtraque virtutem diuinæ potentiæ demonstrat, qua sola ficut naturæ rerum immutantur, ita & elementa sanctificantur, vt rerum diuinarum & cælestium fidelibus exhibendarum sint infallibilia sacramenta. Nam ne vos quidem Iesuitæ cum omnibus scholæ vestræ Magistris, æqualem hîc mutationem agnoscitis, vt mutata quidem substantia panis & vini, omnes tamen qualitates & accidentia, nempe odorem, sa-

Patres cuiusmodi mutationem sacramentis ibuant.

Cyrillus Catheche si mystag. 4.

porem,& reliquas proprietates ſaluas & integras manere dicatis. At verò aqua in vinum à Chriſto permutata,adeo nulla aquæ accidentia permanſerunt,vt ex guſtu & ſapore architriclinus vinum ſu bitò eſſe deprehẽderit,neç de aqua quicquam cogitauerit. Nulla ergo hinc ſequitur, ſicut Scarga triumphat, tranſubſtantiationis comprobandæ aperta demonſtratio, vt ex diuerſitate mutationis, quam ipſe agnoſcere cogitur, non ſubſtãtialis, ſed ſacramentãlis mutatio,in ſacramento Euchariſtiæ fieri intelligatur.

Mutatio aquæ in vinum Ioh. 2. diuerſa ab ea quæ fit in ſacramentis

Quare cum ex tota illa antiquitate nullum omnino ſcriptorem Scarga producere potuerit, quẽ figmento,errorique ſuo affinem demonſtraret, ad Theophylactum tandem & Damaſcenum recurrit:itaque eos in extrema acie collocat, vt totius præſidij ſpem in eis repoſitam habere videatur. Nos verò etſi ſcripta eorum ritè expendentes, & quæ durius ab illis dicuntur cum planioribus cõferentes, non fuiſſe tam craſſæ ſententiæ autores meritò colligimus,aut prorſus ſibi contrarios demonſtrare poſſumus:tamen quid ſcriptores iſti aut ſcripſerint, aut credendum tradiderint, non admodum ſoliciti ſumus,vt qui in ea tempora Eccleſiæ inciderint, quibus priſca religionis puritas inquinari, & ſyncera veritatis Euangelicæ doctrina quodammodo aboleri cœperit. Nam Theophylactus doctrinam de proceſſione Spiritus ſancti Catholicam & veterum conſenſu receptam fortiſſimè oppugnat. Damaſcenus verò tot pudendis & non ferendis erroribus ſcatet, vt ſcripta eius non ſint digna,quç magnam aliquam apud omnes pios authoritatem mereantur. Nam præter quam quod cultum imaginum pertinaciter defendit, & fide ſanctos colẽdos tradit, de purgatorij etiam pœnis multa

Papiſticæ tranſubſtantiationi nemo veterum ſuffragatur.

multa nugaciter fabulatur, vt precibus Gregorij Traianum hominem impium & à Chriſti fide alienum liberatum à tormentis inferni affirmare non vereatur. De Macario autem anilem quandam fabulam recitat, eum nimirum cum cranio hominismortui colloquutum aſſerens,à quo audiuerit, quod defunctorum animæ tempore ſacrificij miſſæ mitius tractentur, & non tanta ſuppliciorum atrocitate diuexentur. Hunc igitur tam eximium Theologum & inſignem ſcriptorem, vel concedentibus nobis ſibi habeat Scarga, de eóque tanquam anteſignano & totius religionis papiſticæ antiſtite vehementer triumphet. Vnicum enim eſt ſacrificium miſſę,& purgatorij ignis,in quibus tanquam baſi & fundamento vniuerſa iſtorum innititur pietas, vt ruere illa nequeant,quin ſubitò tota iſtorum religio concidat.

Libellus Damaſceni à Turriano reperti, de ſpiritus ſanctus.

Nec minus impia ſunt & abſurda, quæ ex eodem ſcriptore citat Turrianus,libellum quendam ipſius de corpore Chriſti ex tenebris producens, quem ſe reperiſſe in Bibliotheca cuiuſdam Cardinalis Sfortiæ dicit vetuſtate nimia ex magna parte conſumptum,in quo nimirum ille corpus Chriſti dicit eleuari in crucem, & frangi & diſtribui, & in nobis ſepeliri, nec tamen corrumpi,ſicut in ſepulchro corruptum non eſt,ac ſæpenumero ſceleratis manibus fœdè tractari & proiici,& à muſcis & ſoricibus,non tamen corrumpi, neque interitum capere: ſed quia tanta abſurditas vel ipſis etiam ſcholaſticorum decretis,& Scargæ ipſius iudicio,à nobis eſt ſuperius abundè confutata, diutius in ea commemoranda nolo immorari,hoc vnum demonſtraſſe contentus,non tanti apud nos authoritatem Damaſceni eſſe debere, & ſequentium ſcriptorum, vt tãtam antiquitatis lucem per

Damaſceni & alio

zum recē tiorū au- thoritas quanti fa- cienda.

tot secula decurrentem, tam crassis illorum tenebris cæcáque noctis caligine obduci patiamur. Quo circa inconsideratam quandam tuam temeritatem, Petre Scarga, satis demirari non possum, qui cum multa contraria & scriptis Theophylacti ac Damasceni repugnantia te sentire profitearis, illos tamen sanctissimos Christi præcones,& scripta eorum purissima monimenta vocans, eorum te iniuriis totum contabescere dicas, meáque in eos maledicta & conuitia te non posse ferre demonstres, eò quod illorum libros multis corrupte lis ac erroribus non ferendis refertos dixerim.

Scarga ho stem sui Papæ de fendit & extollit

Quæro enim,Petre,si Theophylactus contra apertam scripturæ sententiam, contra tantum purissimæ vetustatis consensum, malè docuit Spiritum sanctum procedere à solo Patre,& non etiam à filio,an falsò ego scripserim, aut illi conuiciatus sim, quod libros eius ab errore non esse vacuos pronunciauerim? Si dicere non potes me falsò scripsisse, nec me conuitiatorem nisi impudenter & malitiosè vocare potes. Damascenum autem si purissimum scriptorem esse reputas: vt quid ergo Christi corpus à muscis & soricibus manducari negas, quod tamen ille,teste Turriano, asserit, tuæque sententiæ contradicit? Ita verò Tyrannicam legem tu mihi imponis,quam libere ipse violas, dictóque illorum me vbique audientem esse vis,quorum imperata contemnis.

Scarga Theophylacti & Damasceni scripta Apostolicis æquat.

Cum autem præiudicio tuo totam istorum auctoritatem infirmaueris, tamen tui oblitus minimèque constans, literis etiam Apostolicis scripta illorum te æquiparare ostendis: Mihi enim vehementer succensens, quod quædam istorum,tanquam erronea & veritati Apostolicæ contraria reijciam, illud Tertulliani,sed nimis imprudenter,

ter contra me depromis. *Ista Hæresis*,inquit, *non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit. Et si recipit,non recipit integras. Etsi aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit.*

Scarga Tertulliani loco abutitur.

At verò Tertullianus non de quorumuis authorum scriptis,sed de solis scripturis diuinis in eo loquitur loco,vt quibus citra omnem exceptionem maior sit authoritas deferenda, quàm vt aliquis reiicere & non recipere,quædam ex his præsumere possit. De libris autem omnium scriptorum, qui temporibus Apostolorum successerunt, num Spiritus sanctus istam legem aliquando tulit, vt non liceat ea quæ veritati diuinæ non sunt consona reiicere,& tanquam vana repudiare? Imo quis vnquam ex omni vetustate tam celebris & laudatus extitit scriptor, quem sui næui non asperserint,& non aliquam maculam splendori eius intulerint? Nullam ergo patribus antiquis iniuriam facimus, non vllis conuitiis, vt falsò criminaris, eos consectamur, si eorum scripta ita legimus, vt nihil,nisi quod scripturis Propheticis & Apostolicis respondeat,recipiamus.

Veterum Theologorum nemo à næuis immunis.

Ita enim Augustinus scripta sua legi voluit, & de reliquorum omnium scriptis istam sententiam tulit. Audi enim quid præter alia testimonia quæ citauimus supra, scribat Hieronymo. *Ego enim*,inquit,*fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantumlibet sanctitate, doctrináque præpolleant, non ideo*

Soli canonici libri erroribus vacant. Augustinus ad Hieronymum Epist. 19.

verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec tè, mi frater, sentire aliquid aliter existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.

Neminē veterum sua & aliorū scripta Canonicis libris æqui parare.

Et quod scribit Augustinus, idem profitetur Hieronymus, Basilius, Epiphanius, Cyrillus, Ambrosius, vt alios innumeros omittam, & à recitandis eorum sententiis, quæ patent omnibus, supersedeam. Scarga autem cuncta hæc clausis præterit oculis, & tanquam prudentior omnibus istis, non à scripturis, sed ab Ecclesia, hoc est, ab Episcopis & Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus veritatem petendam esse clamitat. Verùm si Augustinus istam authoritatem illorum scriptis adimit, qui insigni sanctitate doctrináque prępollent, an nos tam insanos tu, Petre, futuros esse putas, vt quos hodie in Romana Ecclesia conspicimus Episcopos, & crassa vt plurimum ignorantia & flagitiis omnibus coopertos, ad eorum decreta obstupescamus, aut quicquid mutire ausi fuerint, id subitò recipiamus? Sed nec ipsi hoc, quod illis Scarga tribuit, vehementer flagitant, vt qui de docendo commisso sibi grege tam solliciti sunt, quàm lupo oues, vt sint saluæ & incolumes, curæ sunt.

Episcopos & alios clericos Papatus quales habeat.

Quis enim hodie tam cæcus est, qui non videat in vniuerso Papatu Episcopatus in Satrapias degeneraſſe, & qui ad hanc dignitatem aspirant, hoc vnum per omnem vitam meditari, vt maximis quibusque oneribus miseram plebeculam sibi subiectam premant, & variis artibus pecuniam vndique

vndique corradant, ac deinde per omnem luxum turpissimè profundant? Istos ergo tu Petre, si potes, ex lectulis moliter stratis ad laborem sacrarum scripturarū legendarū euoca, & crapulam hesternam exalantes excita, vt aliquando tandem in hūc suggestum, vnde doctores nobis esse debeāt, illos extollas. Sin verò ita omnia in hac Babylone tua confusa, ita omnia corrupta ac deperdita esse sentis, vt frustra docendi laborem ab Episcopis tuis requiras, ne ergo stolidè illos nobis magistros aut doctores constituas. Nec verò existimes vobis mercenariis docentibus, & pro mercede alienum munus agentibus, nos aliquam fidem vobis habituros esse, quando omnia consilia & facta vestra eò tendere videamus, vt nulla vulnera Reipub. Christianæ imposita sanari velitis, imo salua omnia & pulchrè constituta clamitetis, dummodo offam vobis obiectam, tanquam canes famelici, quæ vos à latratu prohibeat, deuoretis. Ita verò secundum doctrinam vestram, sanctissimus ille Dominus vester satis bellè officio suo perfunctus videbitur, si ter in anno missam publicè demurmuret, vt nullo præterea docendi onere delicatulum Principem premi attineat. Purpuratus autem ille ipsius senatus, munus bonorum pastorum & populi Principum abundè explebit, si splendidè & magna hominum comitante caterua obequitet, si superbis auleis parietes exornet, ipsúmque Iouem suum luxu superare contendat, si denique lautissimum conuiuium instruat, & non nisi augenti sumptu lupas foueat. Ne vero ingenium & doctrina huic ordini deesse videatur, aliquis etiam existet, qui Encomium Sodomiæ publicè tractandum suscipiat, vt quibus studiis & exercitiis istorum occupetur vita, omnes edoceat. Hoc au-

Iesuitis & eiusmodi in Papatu mercenariis fides non adhibenda.

De hoc vide P. Vergerium in annotationibus Catalogo hæreticorum annexis.

tem modo & tam pulchro ordine in sede Apostolica constituta disciplina, nemo mirabitur, si minorum gentium Dij, hoc est inferiores Episcopi, maiorum suorum facta imitanda sibi proponant, & subterfugientes laborem, in perpetuo luxu & otio vitam transigant. Hæc vero idola non pastores, istos canes mutos & latrare nescientes, tamen Scarga doctores nobis cõstituit, & vocem eorum non scripturarum nobis sequendam impudentissimè clamitat.

Illud verò ridiculum est, quòd doctrinam veterum illorum & sanctissimorum Episcoporum, cum nugis & fabulis, sub dominatu Pontificis Romani exortis, conciliare studet, nullámque discrepantiam inter antiquos & recentes scriptores esse de Sacramento Eucharistiæ, ostendere nititur. Euoluat omnes, qui vult veterum libros, excutiat omnes paginas, & nullum de accidentibus sine subiecto manentibus aut in aëre fundatis inueniet verbum. Posteriores scriptores scholastici Theologi istas in mundum induxerunt fabulas, & dum subtiliter in schola Christi philosophari volunt, varia rerum & verborum portenta inuexerunt. Nam omnes quicunque aliquam de Sacramento corporis & sanguinis Domini mentionem faciũt veteres, mutari quidem panem & vinum in corpus & sanguinem Domini perhibent, sed quod substantia panis ita aboleatur, vt sola eius accidentia in aëre pendula maneant, nemo eorũ vnquam dixit. Itaque quod Scarga Theophilum producit ad huc Alexandrinum, vt aliquo se tueatur vetustatis patrocinio, nihil hic prosus eius adiuuat causam. Dicit hic quidem, panem & vinum in veritatem carnis & sanguinis conuerti, & panem non tãtùm figuram corporis esse, sed in proprium corpus

Transubstãtiationis inuẽtores quifuerint.

corpus Christi transmutari, quia tamen panis & vinum de nostra consuetudine est, speciem panis & vini conseruari affirmat, quia carnem & sanguinem si cerneremus, sumere non sustineremus. His verò verbis nihil aliud docet Theophilus, nisi panem non ita corporis Christi figuram esse, vt nihil præter panem manducemus, sed simul cum figura rem etiam ipsam nobis exhiberi tradit? ita tamen vt sola sint panis & vini elementa quæ oculis cernuntur, cùm corpus Christi non cernatur, ac propterea non sensibiliter manducetur. Nam si sensibus nostris caro Christi esset exposita, & ventris non fidei hic cibus esset, profectò manducantibus omnibus errorem incuteret, quando crudelius quiddam Augustinus esse perhibeat, humanum corpus manducare, quàm hominem perimere.

Theophili locus quã nihil Papistis patrocinetur.

Sed quia Scarga in voce speciei panis & vini fraudem struit, & accidentia sola more suo à Theophilo statui dicit, id iam superius clarissimè à nobis demonstratum est, veteres promiscuè, tam vocabulo panis, quàm speciei vti, vt nihil his nominibus nisi substantia panis intelligatur. Nam & Rabanus sacramentum in alimentum corporis redigi asseuerat, virtute autem Sacramenti æternæ vitæ acquiri dignitatem prædicat. Si verò Scarga adeo demens est, vt accidentia panis alimentum corpori humano suppeditare affirmet, dignus est qui solo panis aspectu pascatur, & ab omni illius esu arceatur. Quare quam appositè ad hunc Rabani locum à me citatum ille responderit, lectori iudicandum relinquo. Dicit enim signa sacramentalia specierum, quæ sacramenta etiam vocantur, quæ sensus nostri corporis percipiunt & degustant, manere. Atqui Rabanus non quid signa illa

Augustinus de doctrina Christ. lib. 3.

Rabanus in alienũ sensum à Scarga torquetur.

in gustu efficiant,sed quid operentur in carne do cet,vt ex alimento carni submini strato veram panis & vini substantiam manere profiteatur. Cautior ergo Turrianus, qui hac sententia Rabani se omnino iugulari, & transubstantiationem suam confodi animaduertens, totum hunc locum dissimulauit,& ne falcissimum,tuique similem se prę stare interpretem,hoc præterire,ad quod respon dere non poterat,maluit ? Vrget enim hoc vnum, de quo tamen illi litem non facio,quod virtute sa cramenti vitæ æternæ dignitas acquiratur,& quod Sacramentum corpore Christi non sit vacuum: quomodo autem externa elementa in alimentum corporis redigantur interim,dum anima corpore Christi vescitur,id alto silentio prætermisit. Hoc faciunt nimirum boni isti veterum patrum interpretes, vt ad lucem ab eis oblatam vltro cæcutiant, ac rebus clarissimis cæcas vbique nubes ac tenebras offundant. Nam si persuasum istis esset hæc externa & visibilia elementa in alimentum corporis humani conuerti,quod toties antiqui te stantur scriptores, adeò euanidas accidentium non amplius spargerent nugas, vt quæ in rerum natura non sunt, perpetuo potius silentio obrui sinerent.

Turrianus cautior ipso Scarga dissimulator.

At enim Turrianus Rabanum contra me producit testem, qui hæc visibilia ita sanctificari tradit, vt per Spiritum sanctum in Sacramento corporis diuini transeant. Inde verò Turrianus colligit,nec panis nec vini remanere substantiam.At verò Turriane tecum ipse pugnas, & imprudens contraria,quæque simul consistere nequeunt, statuis. Sacramenta enim omnia diuinitus instituta, cum ex duabus rebus, terrena nimirum & cælesti cõstare non possis negare,quomodo quæso Eucha ristiam

Turrianus sibi ipsi cõtrarius.

ristiam sacramenti nomine ornabis,si quod terrenum in hoc Sacramento est abolebis? Ad consuetam credo fabulam redibis,& cum Scarga tuo accidentia rerum visibilia pro re ipsa terrena, vt integrum ex suis partibus constet sacramẽtum, substitues.Verùm Rabanus diuersum docet,qui quod terrenum in hoc sacramento est, alimentum corpori suppeditare tradit, vt substantiam propterea panis ac vini abolitam esse minime statuat. Augustinus autem cum alteram sacramenti partem terrenam nempe & visibilem corpoream creaturam vocet, ab accidentium certè classe illam discreuit,quæ vt per se non subsistunt, ita in ordine corporeæ substantiæ nullum habent locum.Nihil ergo Turriane, túque Scarga,facitis, qui toties sanctam illam vetustatem in patrocinium caussæ vestræ aduocatis,nisi quod præuaricatorum modo testes contra vos citantes semper eam reddere deteriorem studeatis.Nam nec Hesychius,quem tu,Petre,producis,vlla in re commento vestro astipulaturi: *Sanctificationem*,inquit,*mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem sine commutationem, ei qui verus est sacerdos,videlicet Christo oportet dari,id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem & prolatum ab eo verbum quæ videntur,tam sanctificata sunt, vt cunctum carnis excedant sensum.* His enim verbis Hesychius non aliquam transubstantiationem,quam vos fingitis,comminiscitur, sed per verbum Christi externa elementa,quę sub sensus nostros cadunt, ita efficaciter sanctificari tradit,vt non quod carnis in eis contemplatur sensus,sed quod fides intelligit piorum mentibus spectandum proponant.

Rabanus re ipsa panem & vinum in Cœna manere asserit.

Hesychius violenter in castra Papanorũ ne quicquam trahitur.

Ac profecto magnum est miraculum, solique Dei potentiæ non vllis viribus humanis tribuendum, vt aliud foris videatur, & à sensibus percipiatur, aliud verò solo mentis & fidei intuitu, sub nullos cadens sensus, cernatur. Vos verò, Iesu tæ, quantum in vobis est, potentiam Dei labefactatis, qui in externis & visibilibus elementis res ipsas cælestes adeò non posse vobis exhiberi creditis, vt nisi externa elementa in res ipsas permutentur, sensualitérque secundum Berengarianam palinodiam corpus Christi participandum conferant, non alio loco Sacramenta quàm pro signis prophanis & communibus vos ea habituros profitea mini. Sed stultitiam & incogitantiam vestram alterum, Baptismi nempe reuincit Sacramentum: in quo cum nulla, quod ad externum attinet elemen tum, intercedat, vel confessione vestra mutatio, rerum tamen internarum siue cælestium, nempe ablutionis, regenerationis, & renouationis fideles facit participes. Si ergo tanta vis est Baptismi, vt quod externa figurat corporis ablutio, id in homi ne interiori repurgando Spiritus sancti efficit po tentia, quæ ratio vos cogit, non eandem in altero Sacramento agnoscere Dei virtutem, vt quod panis in pascendo corpore operatur, id Christum in pascenda anima non posse efficere credatis, nisi ex pane corpus ipsius formantes, in ventriculum humanum illud præposterè & impiè coniiciatis? Sed quia ventris, non vllius pietatis omnis vos cu ra tenet ac solicitudo, non mirum est vos ad doctrinam Christi & Apostolorum, & antiquorum patrum, ita obstrusas aures gerere, vt quod Cato olim de populo Romano dixit, id in vos competere, ventrem scilicet auribus carere factis ipsis testemini.

Iesuitæ potentiæ diuinę plu rimum de rogant.

Baptismi Sacramen tum tran substãtia tionẽ tol lere.

Nam

Nam quod tu Turriane scriptorem vetustissimum Tertullianum ad confirmandum transubstantiationis figmentum citare volueris, eadem opera præstes oportet, vt omnes lectores aures claudant, omnésque surdastri, tuique similes efficiantur. Scribit Tertullianus contra Marcionem veritatem carnis in Christo negantem, *Acceptum*, inquit, *panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei: figura autem non esset, nisi esset veritatis corpus.* Quo quidem in loco Tertullianus, sicut & alij scriptores vetusti, à Sacramento corporis Christi diuinitus instituto, Christum verum habuisse corpus & non phantasticum confirmat. Nam cum signa & figuræ illius rei, quæ nusquam existit, nullæ esse possint, sacramentum autem siue figuram corporis sui manducandi in vltima sua Cœna Dominus instituerit: necessariò sequi osten dit, Christum non aliquod corporis phantasma, sed ipsum verum corpus habuisse. *Quia*, inquit, *figura non esset, nisi veritatis esset corpus.* Hanc autem tam planam & perspicuam Tertulliani sententiam, Turrianus nescio quibus Cimmeriis tenebris inuoluit, & ex luce aperta ereptam, in cæcas quasdam nubes abdit, vt sicut ipse per deuia libenter oberrat, reliquos etiam omnes in communem errorem secum abripiat. Ne enim concedere cogatur panem illum Cœnæ mysticũ vocari à Tertulliano figuram, non de illo verba fieri, sed de pane veteris legis, vt pote panibus propositionis & panibus azymis, prolixè nugatur. Illos enim figuram corporis Christi fuisse, panem autem illum in Cœna exhibitũ, non figuram, sed ipsum reale corpus Christi factum, & ore carnali sensibiliter manducandum Apostolis traditum

Locus Tertullia ni explicatur.

Turrianus Tertulliani depraua tor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huius autem Tertulliani sententiæ tam turpiter corrumpendæ, cùm ne Gardinerus quidem ille, contra Martyrem scribens, audaciam vsurpare sibi auderet, alióque interpretamento non minus vano hunc locum eluderet, à bono hoc castigatore Turriano corrigitur, & tanquam non satis appositè ac obscurius Petro Martyri respondisset, ad hûc quem diximus, modum emendatur.

Papani secum alioqui cõcordes pugnant.

Ego verò gaudeo istas belluas mutuo sese conficere & cum ad veritatem obruendam conspirauerint, ita tamen in mendacio dissentire, vt vel omnium iudicio homines nugacissimi videantur. Sed quia sententiæ suæ non alium fideliorem atque authorem ipsum habere possumus interpretem, age Tertullianum ipsum de sacramento in aliis locis differentem producamus, & num transubstantiationis figmentum doctissimo ac diligentissimo huic scriptori aliquando venerit in mentem, videamus. Ille verò contra Marcionem libro primo scribit, *Deum nõ abiecisse panem creaturam suam: Illo enim eum repræsentasse corpus suum.* Ad vxorem etiam scribens, sic loquitur: *Non sciet*, inquit, *maritus, quid secretò ante omnes cibos gustes, & si scierit panem, non eum credet, qui dicitur sacramentum videlicet. Quomodo enim nosse potest Sacramentum, qui eius vim & significatum non credat?* Extũde ex pumice aquam, si potes, Turriane, vt ex Tertulliano vel minimam aliquam transubstãtiationis tuæ possis elicere suspicionem: qui tam claris ac disertis verbis panem esse testatur, id quod pro sacramento accipitur, & quo veri corporis Christi in mortem oblatio pro credentibus significatur. Omitto interim non ferendam vestram in tollenda simplicitate antiqua audaciam, vt quod olim mulieribus & Catechumenis in manus fuerit

Tertulliani loci cõtra trãsubstantiationem apertissimi.

Sacramentũ Eucharistiæolim à mulierculis & pueris cõtrectari nulla religio erat.

fuerit traditum, vos nunc ab omni sacramenti cõtactu vniuersam plebem Christianam arceatis, & si quis tantum admitteret nefas, grandi aliquo piaculo dignum existimetis. Itaque nimium perfrictas frontes vos habere oportet, qui cùm traditionem Apostolicam in vniuersum sustuleritis, & nouis omnibus institutis diuinum Christi institutum conspurcaueritis, vetustatis tamẽ pallio vos contegitis, & tam proteruè populo Dei illudere studetis.

Verùm Turrianus, ex nescio quo obscuro specu Bibliothecæ Venetæ, Magnetem quendam nobis vetustissimum, vt ille asserit, scriptorem producit, ad eiúsque libros legendos Venetias me ablegat, vt inde discam, quod nimirum hic in tenebris delitescens author, non figuram vel sacramẽtum corporis, sed ipsum reale corpus ore non fide manducandum, & in ventrem coniiciedum Christum dedisse discipulis docet. Ego verò, Turriane, te oratum velim, vt ab ista tam longi itineris conficiendi molestia me liberes, & si tanta tua est apud Venetos authoritas, potius hoc ab illis impetres, vt ne tam insigni Theologo mundum defraudent, exiguóque publicatum sumptu legendum omnibus propinent. Mihi quidem non tantum ocij suppetit, vt legendi istius Magnetis causa Venetias vsque excurrere, & per tot terras more vestro ociosè oberrare mihi liceat. Quod si liceret, ne externa quidem limen & ostium prodirem, vt talibus nugis legendis, quales ex hoc Magnete recitas, male tempus perderem. Apparet enim hunc scriptorem esse recentem, & ex fæce scholasticorum theologorum vnum, quibus cum antiqua illa scripturarũ sanctarum, ad analogiam fidei interpretandarum, sordere cœpisset puritas,

Magnes Turriani cus Venetiis repertus.

Magnes qualis sit scriptor.

quam in celebribus illis & laudatis scriptoribus antiquis exosculamur, totam veritatem diuinam per inanem philosophiam, & ociosas speculationes deformauerunt, & ex casta virgine, formæque naturalis venustate conspicua, Laidem quandam Corinthiam, fallacibus fucis oblitam, reddiderũt. Quæso enim (vt pauca, quæ tu prolixè recitas, ex hoc magnete attingam) an non vanam & ineptã curiositatem, stultúmque laborem, in corrumpendo scripturæ legitimo sensu redolent? Scribit ille corpus humanum ex terra existere, ex eadémque terra panem & vinum: Porrò cum Christus terræ conditor extiterit, ex qua corpus eius factũ est, rectè vtique suũ se corpus illum dare ad mãdu candũ perhibet, quãdo ex creatura sua, nempe ex terra corpus sumpserit. Apage cum talibus, qualibus dignus es Theologis, Turriane, & in tenebrosis illis angulis, vbi eos latere prædicas, cum eis te oblecta, vt certum omnibus documentum exhibeas, te vltrò veritatis diuinæ lucem fugere, hæcque latibula, quibus eam contegas, solicitè captare. Nunquam tamen efficies cum vniuersa tua societate, vt grassantem hanc longo tempore in Ecclesia corrumpendæ veritatis Euangelicæ pestem, postliminio reuoces, & in integrum restituas. Habemus ex summa Dei benignitate, istos nunc in Ecclesia scriptores, habemus tam fidos ac diligentes scripturarum sanctarum enarratores, vt quæ densa Sophistarum ineptè in schola Christi philosophantium caligine contecta fuerunt, tanta iam sint luce collustrata, vt nemo volens ac sciens erroris ac insciciæ tenebris inuolui queat, nisi qui clausis oculis in sole caligare, & in meridie, vt Propheta loquitur, palpare cupiat.

Magnetis Iesuitici nugæ.

Præsentis seculi scriptores quales sint.

Esa. 59. 10.

Sed non mirum est, te ad hæc, quæ aliis maximã pariunt

pariunt voluptatem, nauseare, & impuræ meretricis Babylonicæ quisquiliis innutritum, nullo suauitatis sensu affici posse. Itaque cuncta tibi fœrere præ tua βατυφονεία prædicas, ad quam sine fide, studio, sobrietate, non posse peruenire dicis: hæc verò omnia nos negligere, te vnum tãtarum rerum studiosissimum præ te ferens, superbè contendis. In hoc autem βατυφονείαν istam tuã consistere demonstras, si quasdam in scriptura voces vel sententias adulteres, & violenter in diuersum sensum torqueas, vt nimirum inueniendi subtilitatem, quam hactenus omnes scholastici tui vnicè affectarunt, vendites. Nihil enim sincerum, tam apertum in sacris literis est, quod non Harpyiæ istæ contactu suo fædauerint, & ab genuino ac legitimo sensu ad monstrosam & alienã rerum faciem non transtulerint. Tu ergo mali corui malum ouum, germanum scripturæ sensum toties sine pudore vllo violas, & laudem argutiæ in abditis eruendis mysteriis, vbi nulla sunt, captas, non aliquod fidei ac sobrietatis specimen exhibes, sicuti gloriaris, sed argutatorem ineptum & manifestum falsarium, ipso te facto declaras. Tale verò illud est, quod ex diuo Iohanne productum, falsa tua interpretatione corrumpere, & extraneum illi affingere sensum, contra mentem & consilium ipsius Christi, niteris. Quum vinum defecisset, scribit Iohannes, cap. 2. dicit mater Iesu illi, vinum non habent: dicit illi Christus, quid tibi mecum mulier? nondum venit hora mea. Ex quibus quidem Christi verbis tam apertè ac simpliciter prolatis, nemo sanus aliud quidquam colligere potest, nisi quod cuius rei à matre esset admonitus, eam se minimè neglecturum tempore suo denuncier, quo simul matri & spem mira-

Turrianus quam profundè sit theologus.

Papæ theologi quam feliciter sanam scripturam tractent.

culi facit,& quod intempestiuè festinet,eam quodammodo redarguit. Quid autem noster hic nouus scripturarum interpres Turrianus? Magnum videlicet mysterium hinc nobis excudit,& quod de hora mortis suæ Christus loquatur,qua vinum in sanguinem suum sit conuersurus,& abolita panis substantia,sola eius accidentia per miraculum retenturus, ineptè comminiscitur. Hoc autem obscurè more scripturæ sanctæ dictum à Christo fuisse fingit, vt nimirum studium inquirendi, & intelligendi matri excitet. At verò cum sancta virgo non alio sensu verba Christi, quàm pro dicta fuerint, perceperit, ac propterea hoc solum sperãs,de quo filium commonefecerat, nec altius quidquam inquirens,ministris id faciẽdum,quod ille præcepisset, mandauerit,ineptum, vanúmque tuum figmentum apertè repudiat.

Turriani acumen in eruendis mysteriis nota.

Turriani somnij confutatio.

Non minorem verò vanitatem tuam & altera eiusdem Euangelistæ sententia, falsa interpretatione tua violata,prodit. Testatur Iohannes cap. 13.quod sciens Iesus venisse horam suam, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos,qui in mundo erant,in finem dilexit eos.Hãc enim vocem, in finem dilexit,ita tu torques,vt nimirum summam & cumulatam dilectionẽ à Christo fuisse erga discipulos declaratam hoc facto sentias,quod scilicet sub speciebus panis & vini, corpus suum ad manducandum,& sanguinem suũ ad bibendum,in commemorationem vitæ & mortis ac resurrectionis suæ illis dederit. Ego verò tametsi non nego maximum dilectionis argumẽtum hoc facto fuisse discipulis exhibitum, nisi tamen Christus mortis & inferni victor in cœlum conscenderet, ac virtute Spiritus sui sancti desuper illos armaret,adeò duram illam in mundo militiam

Alterum Turriani cæ profunditatis specimen.

litiam sustinere, & variis Satanæ furoribus obsistere non potuissent,vt in mediis tentationum fluctibus succumberent. Scis enim quid Petro,nondũ pleno Spiritus sancti fulgore illuminato post Cœnam illam peractam, quid reliquis Apostolis acciderit: vt Iudas sacramento corporis Christi percepto, miserandum Satanæ mancipium fuerit factus. Tunc ergo summum dilectionis amorem Christus Apostolis declarauit,tunc verè in finem vsque eos dilexit, quando Spiritu sancto cælitus demisso, inuictos contra omnes Satanæ insultus, ac mundi violentiam reddidit. Ac propterea tories de ascensu suo in cœlum, post extremã illam Cœnam,vt testatur Iohannes,concionatus est,to ties de Spiritu sancto mittendo illos admonuit, déque parando illis in domo patris sui loco eos docuit,vt ne tam horrenda Christi morte conturbarentur, & ne, tanquam non amplius illi curæ essent futuri,animos desponderent. Hæc est illa, Turriane,consummata & cumulata dilectio Christi in omnes suos,qui sunt in mundo,vt Spiritui eius regeniti, & per fidem, quam ipse pectori illorum instillat,in sanctum eius corpus inserti, fœlicem illam & beatam in regno Dei meditentur vitam,& varia mundi, satanæ, carnísque suæ perrumpentes obstacula,vel si extremum omnia illis minentur exitium,securi triumphent. De hac verò dilectione gloriatur Paulus, & in summa acerbitate crucis,& afflictionum,quibus obruitur,mole,super vincere se testatur,per Christum scilicet, qui dilexit nos.

Dilectio Christi erga Apostolos quando plenius declarata.

Iohã. 14. 15. & 16.

Rom 8.37

Quocirca insignem quendam tuum stuporem satis demirari non possum,ne quid durius dicam, insanas verborum te dicere formas,& à satana inuentas,quoties virtute Spiritus sancti & ministe-

rio fidei, nos corpori Christi in sacramento participare profitemur, hánc que solam rationem & vnicum modum cõiunctionis nostræ cum Christo, diuinis edocti oraculis prædicamus. Nam quod sacramenta αὐτόθεν, vel ex seipsis, sine fide, vitam suppeditare perhibes, crassa te admodum sacrarum rerum ignorantia circumseptum confessione tua declaras, nihílque, sublato hoc vnico pietatis fundamẽto, vnquam superstruere posse, nisi quod notabilem mendacij speciem vbique exhibeat. Sed minime mirandum est te tam turpiter hallucinari, & in schola Christi pueriliter balbutire, quando subtilis illa & rixosa theologia, in qua discenda consenuisse videris, tẽ omnia contraria doctrinę Christi sentire edocuit. Nec verò integrum est tibi mutare sententiam, summo illo Ioue in locis illis præsidente, quẽ tu incolis, vt nisi ad nutum illius cuncta loquaris ac scribas, terrificum illius fulmen subitò tibi sit extimescendum. Talia verò scribens & in vulgum spargens, quæ regnum eius promouent, & delicatorum sacerdotum summum sacerdotem constituunt, tantò facilius ad aliquem sublimiorem dignitatis & voluptatis gradum conscendes, vt ex errone monacho, & pedite Iesuita, aliquando superbus in asino vel mulo obequites. Nisi forte ex instituto ignatij Loiolæ Magistri vestri, strictioris vitæ disciplina in ordinem Sybaristarum istorum vos cooptari non patiatur. Video enim quosdam ex ordine vestro diuites quondam Canonicos & prælatos, se istis dignitatibus aut magistratibus abdicauisse, vt sanctam nunc, si diis placet, instituere incipiãt vitam, quam in splendido illo & excellenti sacerdotij gradu agere non potuerunt. Sed quæcunque tandem fuerit causa, quę te ad scribẽdum impulerit, ego

Turrianus quod fidei est sacramenti stolidè tribuit.

Turrianus curnam erronea, impiáque scribat.

ego aliud suspicari non possum, nisi magnum te aliquod præmium, nec dubiam laboris mercedem spectasse: quando quem primum contra me libellum Florentiæ ædideris, nunc denuo Romæ publicandum, & pluribus putidæ, falsæque doctrinę deliramentis locupletandum duxisti. Faciliusenimex Tarpeij culmine montis hæc cornix despicere poterit, cuius tu gratiam aucuparis, & quando in hac dura ac tristi vita nondum tibi sit bene, forsan de bono aliquo futuro tuo prouidebit. Verùm, Turrianę, quemcũque cumulum scriptis tuis addas, quibuscunque auctibus opus tuum crescere cupias, adeò nihil proficis, vt cornicem istam tuam tanto magis deplumes, ac fædam eius nuditatem omnibus patefecias. Videris enim in consuetis illis armis, quibus hactenus monstrosa hæc doctrina trãsubstantiationis fuit defensa, nihil præsidij reliquũ vidisse, quando nunc demum noua te cudere mysteria & nouos nec hactenus à quoquam in scripturis deprehensos sensus, te rimari extrema quædam necessitas coegerit. Porro cum in tãto, quem ostentas, apparatu, maior quædam curiositatis ac subtilitatis species, quàm laboris appareat fructus, tanto minus rem semel inclinatam ac labantem fulcies, vanúmque ad ridendum tuum conatum omnibus patefacies. Nam quia in animum induxeris diuinas sic lacerare scripturas, & reluctantes ac inuitas in diuersas torquere partes, vt causæ tuæ subseruiant, neminem nisi tui similem fore putato, qui nõ malum dolum agnóscat, tecumque de fraude & calumnia agere meritò possit.

Turrianus quamobrem noua mysteria rimetur.

Ego verò tam proiectam in corrumpenda veritate diuina audaciam animaduertens, eò tandem hostium Euangelij Christi consilia redigi gaudeo, vt nemo iam nisi volens & sciens, fallacibus eorũ

præstigiis, & in omnem fraudem compositis laqueis capi queat. Magno supercilio hactenus ab istis fuit iactatum, in interpretandis scripturæ locis vniformem Catholicorum & orthodoxorum patrum consensum maximè esse sequendum. Hãc verò conditionem cùm nequè nos recusemus, & in explicando Eucharistiæ mysterio totam eruditam illam vetustatem pro nobis facere luculenter comprobemus: Turrianus ab oblata semel conditione resilit, & pro arbitrio in omnes partes versans scripturas, nouúmque se earum constituens interpretem, totam antiquorum illorum patrum autoritatem superbè reiicit. Itaque in sermone illo Christi ad Capernaitas de manducanda carne sua habito, non hoc voluisse Christum asserit, cum de ascensu suo in cælum loqueretur, vt eos à crassa manducandæ naturaliter carnis suæ cogitatione auocaret, sicut verisimè docet hunc locum explicans Augustinus. Sed quia Christus pari miraculo, ascensione nimirum in cælum potentiam suam diuinam esset declaraturus, vt minimè dubitarent alteri quoque miraculo credere, Christum posse carnem suam eo modo, quo illi putabant, manducandum exhibere. Ita enim verba Christi accipiẽda docet Turrianus. Si putatis inquit, nõ posse me dare vobis carnem meam viuificam ad manducãdum, quomodo credetis posse me per aërem penetrare, ascendentem tanquam volucrem in cælum? Atqui diuersum sensum, eumque verũ ac genuinum his Christi verbis, sicuti admonuimus, attribuit Augustinus. Illi, inquit, putabant eum erogaturum corpus suum: ille autem dixit se ascensurum in cælum, vtique integrum: cum videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius, certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur

Turrianus Augustini interpretationem euertere nititur.

Augustini interpretatio loci Iohan. 6.

mitur morsibus.

Nunc verò iudicent sani omnes lectores, quem veriorem interpretem in explicandis Christi verbis statuere debeant, Augustinúmne, qui per tot secula fidissimus sacrarum literarum interpres ab vniuersa Ecclesia semper fuit iudicatus, & cuius diuina monumenta ob excellentem doctrinam & pietatem nulla temporum iniuria abolere potuit: an verò Turrianum, cui quãtum sit autoritatis deferendum, id illius inconcinna ac luculenta testãtur scripta. Quod si vniformi totius sanctæ antiquitatis consensu reiecto, hic nobis nouus interpres sequendus fuerit, adeò nihil in scripturis diuinis integrum habituri sumus, quin iste quidlibet ex quolibet faciat, & pro indubitatis Spiritus sancti oraculis ludum iocumque nobis reddat. Tantam enim hic homuncio non interpretandarum sed euertendarum scripturarum vsurpat sibi licentiam, vt cum à vetustissimis scriptoribus ex diametro alicubi dissentiat, id fœcunditati scripturarum sanctarum tribuat, quæ nunc in hunc, nunc in illũ sensum pro vbertate scilicet sua deriuari possunt. In fingendis autem, vbi nulla sunt, mysteriis, tam mirum & varium sese præstat artificem, vt nulla tã pestilens doctrina in Ecclesia Romana hodiè defendatur, quàm ille ex istis mysteriis suis non eliciat, fundamentúmque eius in occultis alicubi latere penetralibus, lynceis iste oculis non prospiciat. Itaque nõ erunt posthac Papistæ soliciti, quomodo furtũ suũ excusent, & ob adẽptã alterã sacramenti partẽ, populo Christi sese purgent, quãdo nimirum hic homo perspicax, id iam olim Deũ in Manna, tanquam in vmbra & figura futuri sacramenti, præmeditatum fuisse sapienter deprehenderit. Nam sicut tunc, qui plus collegerat,

Turriani prætextus sub quo sacras scripturas euertere conatur.

Turriani noua sacri legij Papæ defensio.

non habuit amplius, neque qui minus parauerat, reperit minus: ita quibus non traderetur communio sub vtraque specie, Christum tamē totum sub vna specie panis habituros fuisse illa vmbra significauit. Sic scitè nimirum ingeniosus iste artifex, & callidus veterator, vmbras & fumos nobis vēdit, & cum fraudulenter nobis hoc, quod à Christo traditum est, beneficium surripiat, totum tamē & integrum id nos habere vana quadam imaginatione, persuadere cupit. Sed non tanti nobis Delij huius Apollinis oracula erunt, vt quidquid in aciem ex specubus suis, quantumuis in speciem amplum spargat, non vbique fraudem & fallendi cō silium subesse intelligamus.

Turriano cur non ad omnia Volanus respōdeat

Itaque non est quod speres, Turriane, me ad singula hæc tua mysteria responsurum, & in refellendis tuis nugis ac manifestis scripturarum corruptelis, frustra tempus perditurum, quando qui omnia hæc absurda tua persequi velit, nihil aliud agat, nisi vt cum ratione insaniat. Quod si qui erunt ocio abundantes, qui expedire tamen putent virgulam censoriam in vniuersa hæc tua scripta sumere, adeò latissimum scribendi, tuáque euidentissimis argumentis confutandi, sunt habituri campū, vt in quos arma sumere, conuitiisque tuis proscindere volueris metonymicos, magno tandem tuo malo sentias tibi parasse inimicos. Nam quod impunè nunc inuictissimos illos Christi Athletas, Zuinglium, Martyrem, Caluinum, vt qui in Domino obdormierint, aculeis contumeliam, maledictisq; tuis inceßas, viuit adhuc ille diuinus & admirandus Beza, qui si volet hæc, quibus eum impetis iacula, fortissimè à se depulsa, in certam tuam perniciem conuertet, & edentulum canem, vano & irrito conatu acerrimum prouocare leonem ostenderet.

Turrianus cum laruis luctatur.

Turriani iudicium & censura quanti facienda.

ostendet. Ad me autem quod attinet, quidquid tu de me sentias, non magni sanè pendo, & pro iniquo ac peruerso tuo iudicio, quod toties de me fers, Deum iudicē tibi statuo, vt causam ille nostrā discernat, & qui volens ac sciens veritatem oppugnat, iusto tandem supplicio eum afficiat, aut potius pro sua ingenti misericordia cordis ferrei duritiem emolliat, & ad illustrādam nominis sui laudem conuertat.

Ad Scargam, authoris apostrophe.

Nunc verò vt reliquum orationis meæ cursum absoluam, & ad exoptatam metam aliquando perueniam, me ad te, Petre Scarga, conuerto: & quia omnium veterum & orthodoxorum Patrum de sacramento Eucharistiæ sententiam, alienam omnino à transubstantiationis commento, satis plane ac dilucidè demonstrasse tibi videor, adeò totam illā posteriorum hominum, quam longo ordine recēsses, turbam nihil moror, vt quia veterem Apostolicam doctrinam conculcauerint, nouúmque & pestilens dogma in Ecclesiam inuexerint, totam autoritatem eorum non temere reiiciendam putē.

Recētiores schola stici theologi contemnendi

Præmonuit enim nos Diuus Paulus, horrendam quandam Apostasiam in Ecclesia Dei futuram, & filium perditionis in templo Dei sessurum, longóque tempore honorem Dei ad se rapientem, sua instituta ac decreta pro diuinis oraculis promulgaturum. Hanc verò miserabilem Ecclesię ruinam, & horrendam dissipationem, cum iusto Dei iudicio occæcati agnoscere vos non possitis, minimè miramur, omnia Christi instituta & veterem ac simplicem Apostolicam doctrinā, præ hominū figmentis, & variis Satanæ adinuentionibus, sine vllo modo ac fine cumulatis, vobis sordere, in nullóque pretio apud vos esse. Hæc enim iusta Dei est in omnes vindicta, qui noluerunt credere veritā-

2. Thes. 2. 3. 4.

Errores quantumuis crassissimi cur à Papistis non cernātur.

ti, vt credant mendacio, & impoſturis ac pręſtigiis Satanæ ſeducti, ſubinde in nouos errores ferãtur: præcipites. In tanta ergo errorum omnium, quibus vniuerſus ſcatet Papatus, colluuie, vel vnicũ hoc Cœnæ Dominicæ ſacramentum, tam fædè ac turpiter agnoſcimus deformatum, vt non alibi magis, quam in deprauando hoc ſalutari Chriſti inſtituto, omne ingenium, omnémque ſuam induſtriã Satan declarauerit.

Papiſtæ ethnicos idolatria ſuperant.

Quæ enim vnquam tam craſſa apud omnes gentes idolatria audita eſt? quis vnquam cultus ſoli Deo debitus ad creaturas fuit impiè tranſlatus, quem non eſſent hi imitati, qui ex pane Deum formauerunt, & adorandum miſero populo obtruſerunt? Huic verò tantæ impietati atque idolomaniæ vt in vniuerſum orbem Chriſtianum ſeſe profunderet, hæc peſtifera tranſubſtantiationis doctrina omnem præbuit cauſam. Nam quamdiu in Eccleſia Chriſti, ſecundum ipſius inſtitutum & Apoſtolicũ præſcriptum creditum fuit, panẽ in Cœna Domini eſſe, qui fractus & fidelibus ad manducandum exhibitus, veram communionem & participationem omnium Chriſti beneficiorum repræſentaret, quæ corpore ſuo in mortem tradito, & ſanguine ad expiationem peccatorum effuſo promeruit, nec panis ille pro Chriſto ipſo fuit adoratus, nec in pompa per vicos & plateas tanquam cæleſte aliquod numen circumlatus. At quam primum hæc falſa opinio in mentes hominum inuaſit, Deum ex pane à ſacerdotibus creari, & in accidentibus panis, quæ ſola manent reliqua, Chriſtum ipſum realiter celari, tanta ſenſim excreſcere cæpit idolatria, vt cùm per multa ſecula Romani pontifices ſemper aliquid adderẽt, quo auguſtius illud ſuum numen efficerent, ad tantam deinde impietatem & ex-

Tranſubſtantiatio Papanæ idolatriæ cauſa.

& extremum veræ religionis interitum, quem ſancti omnes hodie ſincero deplorant corde, ſit peruentum. Iam enim miſer ille, infelix, & dementatus populus, non ad frangendum amplius panem, neque ad teſtandum, quam in corpore Chriſti habere debebat communionem, conuenit, ſed vt papilionem neſcio quem circumciſum adoret: Deũque ipſum à ſacerdote creatum ſe vidiſſe credat. Hanc ergo tam execrandam impietatem, & manifeſtam incorruptæ ſinceræque religionis euerſionem, ſi non modo multis hominum, ſed Angelorũ myriadibus tu mihi, Petre, ſtabilias, & in authorita te illorum acquieſcendum mihi putes, adeò nihil iniquis tuis perſuaſionibus apud me proficies, vt te pertinacẽ erroris magiſtrum cũ omnibus his, quos male ſanus ſequeris, ſim ſemper habiturus.

Cœnę Dominicæ apud Papiſtas horrẽda profanatio.

Non eſt ergo quod mihi alleges impura illa Põtificum Romanorum conciliabula, quæ totidem conſpirationes contra Chriſtum fuerunt, & vt nebulonem vnum in ſummum dignitaris & potentiæ gradum eueherent, filium Dei ex poſſeſſione regni ſui ſceleratè depulerunt. Faceſſant iam & Paſcaſij, Lanfranci, Hugones, Fulberti, Brunones, Anſelmi, & tota illa poſteriorum ſcriptorum fæx: qui vnanimi omnes conſenſu ſinceram de Euchariſtia ſententiam oppugnauerunt, & puriſsimæ illi antiquitati, noua cudentes dogmata, reclamauerunt. Iſti enim primi ſunt inuenti, qui ita panis ſubſtantiam in eſſentiam Dominici corporis conuerti docuerunt, vt ſaltem rerum ſpecies, & quaſdam alias qualitates panis & vini, vel accidentia ſine ſubiecto relinqui profiteantur. Hæc vero doctrina multis poſt Apoſtolorum tempora ſeculis in Eccleſia fuit incognita; & cum primùm ab inquietis quibuſdam in-

Concilia Papæ, mere in Chriſtum conſpiratiões.

geniis spargi cœpisset, veheméter à Bertramo fortissimo puritatis antiquæ assertore fuit oppugnata. Quem quidem Bertramum cum tu progenitorem Berengarij vocites, & odiosum hæreseos crimen illi obiicias, ille tamen à scriptoribus minime recentibus summum doctrinæ, pietatisque testimonium est consequutus. Nam Ioannes Trithemius Abbas Spaneimensis, vir tempore suo doctissimus, Bertramum hunc in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum recenset, illúmque in diuinis scripturis valde peritum, & in literis secularium disciplinarum egregiè doctum, ingenióque subtilem & clarum eloquio, nec minus vita quam doctrina insignem fuisse testatur. Ac tãtùm abest, vt ob scriptum illud de corpore & sanguine Christi opusculum, hæreseos macula illum aspergat, vt commendabile illud esse opus inter cætera prædicet. Ita verò viri graues & eruditi, nullísq; animi morbis ac perturbationibus obnoxij, tam singulare de Bertramo ferentes iudicium, te Petre præcipiti potius ac temerario raptari affectu, quàm recto animi iudicio duci abundè coarguunt.

Bertramus quã inique hæreseos à Scarga & ciusmodi Antichristianis notetur.

Nam quod de Berengario nescio quam recitas sententiam, tanquam ille se dignum æterna condemnatione, ob peruersam de sacramento doctrinam deploraret: istam verò vanitatem veriora hominum quorundam testimonia refellunt, & quod potius turpem illam palinodiam, cum summo animi mœrore, & seria peccati sui agnitione execratus fuerit, non obscurè testantur. Lege enim insigne illud de eo perscriptum ab Hildeberto Cænomanensi. Episcopo elogium, & quantum doctrinæ, virtuti, pietatique illius post obitum dederit testimonium, facilè cognosces. Neque id Lanfrancus acerrimus illius hostis diffitetur,

Berengarius veræ de Cœna Domini sententiæ ad finem vitæ adhæsit.

diffitetur, qui in præfatione libri contra Berengarium scripti, reuocationis illius violatorem, propositique minimè tenacem vituperat, vt maior huic fides sit adhibenda, quàm narrationi Vincentij in Speculo historiali, qui Berengarium ad exitum vsque vitæ suæ pœnitentiam egisse, ob praauam de Eucharistia doctrinam cõminiscitur. Sed quicquid actum sit cum Berengario, aut in qua fidei suæ confessione ad extremum vitę vsque diem ille perstiterit, nihil moror. Neque enim ab exemplis aut hominum placitis certitudinem dogmatum fidei petimus, sed ex solo fonte sacrarum scripturarum omnem veritatem hauriendam nobis esse duximus.

Vincẽtius in Speculo libr. 26. ca. 30.

Porrò cum longo tempore ab antiquis illis scriptoribus, huic veritati testimonium datum fusse apertè demonstremus, nulla quorumuis posteriorum Conciliorum præiudicia id à nobis obtinebunt, vt priscam & auitam illam, tantóque longi temporis consensu approbatam doctrinam, nobis eripi patiamur. Tanta enim primi, postremique seculi in tradenda de hoc sacramento doctrina apparet diuersitas, tanta rituum & vniuersæ actionis dissimilitudo, vt tu non interruptam decurrentis ad nos vsque fidei successionem prædicans, nullum omnino inter lucem ac tenebras discrimen statuere videaris. Adeò enim prisca ac sincera, & per octingentos ferè annos conseruata in Ecclesia de sacramento corporis Dominici doctrina, posteriori seculo fuit deprauata, vt pulcherrimi illius vetusti ædificij, nunc nonnisi tristes apud vos appareant ruinæ, & stupenda quædam deformitas. Verissimè ergo scripsi Innocentium illum tertium in Concilio Lateranensi primum transubstantiationis authorem extitisse, quando qui hoc

Papistarũ de Cœna D. diuersa à veteri dogmate opinio.

Innocentius Papa tertius trã substãtiationis author.

concilium anteceſſerunt ſcriptores Bertramum oppugnantes, ac nouum dogma in Eccleſiam introducentes, veterem & ſanam ſententiam ex animis hominum euellere non potuerunt, donec tandem tyrannide & violento Pontificis imperio maior, potentiórque pars vicit meliorem. Quod autem tu tantam authoritatem huic Concilio tribuis, vt in terris poſt Deum nullam ampliorem iudices, per me quidem ſenſu tuo frui tibi licet: ſed veritas tandem ex tenebris emergens, & in potiſſima orbis Chriſtiani parte ſplendore ſuo late coruſcans, diuerſum clamitat, Conciliíque illius ſacrilegam in corrumpenda Chriſti doctrina audaciam palam redarguit. Tu verò ſi ſartam tectámque authoritatem illius efficere cupis, ſcripturarum diuinarum authoritate, & pleno Spiritus ſancti robore, non vanis ac nugacibus titulis illam munias oportet. Inde enim tota Conciliorum, Eccleſiæque authoritas dependet, perpetuę́que durationis robur obtinet, ſi magiſterio Spiritus ſancti edocta Eccleſia, nihil aliud ſonat, nec mentibus hominum inſtillat, niſi quod ex cœleſti ſacrario hauſit, & ab ore ipſius Chriſti Domini ſui fideliter excepit. Quare ſi Synodum hanc tuam Lateranenſem parem Chalcedonẽſi ſicuti iactas, oſtendere vis, tam planis & euidẽtibus ſcripturæ teſtimoniis illam comprobes neceſſe eſt, quam firmis hæc Euthychetem expugnauit, & impium illius dogma peſſundedit.

Lateranẽ ſe conſilia bulũ Scargæ ſacroſanctum.

Conſilia an errare poſſint.

Nam quod omnia in vniuerſum Concilia ab omni erroris periculo eximis, ſinguláque à Spiritu ſancto regi ac gubernari prædicas, adeò falſum illud eſſe tot experimenta rerum teſtantur, vt tetam temerariæ ſententiæ meritò pudere deberet. Negare enim non potes, ſicuti ſuperius admonuimus,

mus, Concilium illud Hieroſolymitanum à ſummo Pontifice, totóque ordine ſacerdotali celebratum, turpiter aberrauiſſe, dum Chriſtum mortis condemnauit, doctrinámque eius tanquam blaſphemam & ſinceræ religioni aduerſam omnibus diris deuouit. Nec diſſimile ſpecimen erroris in Concilio illo, quod Achab Rex contra Micheam conuocauit, exhibitum fuit, quando Satan à Domino miſſus fuerat, vt eſſet ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Contra Hieremiam verò cum communi omnes ſacerdotes conſpiraſſent conſilio, idémque iactarent, Petre, quod tu, quod ſcilicet minimè aberrare poſſent: tamen Propheta contra eos intonat: A Propheta, inquit, vſque ad ſacerdotem, quiſque ſectatur mendacium. Ezechiel autem tempore ſuo infelicem Eccleſiæ deplorans ſtatum. Coniuratio, inquit, Prophetarum in medio eius, ſicut Leo rugiens, & qui rapit prædam. Sacerdotes eius violauerunt legem meam, & profanauerunt ſancta mea, nec diſcrimen fecerunt inter ſanctum & profanum. Sed dies me deficeret, ſi ſingula Prophetarum recenſere vellem teſtimonia, quibus illi execrandam Sacerdotum à Domino defectionem toties accuſant, & cæcos populi duces & paſtores nihil ſcientes nec intelligentes, ad vias autem ſuas reſpicientes exprobrant.

Concilium Hieroſolymitanum errauit. Ioh. 11. 47. 2. Paral. 18. 5. 6. Hierem. 18. Idem 23. & 27. Ezech. 22. 25.

Quam autem errorum viguiſſe peſtem in veteri populo Prophetæ demonſtrant, ne Eccleſiam quidem noſtram ab hoc malo immunem fore Spiritus ſanctus prædixit. Diuus enim Paulus Epheſinæ Eccleſiæ ſic alloquitur Epiſcopos: Scio, inquit, quod poſt diſceſſum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis erunt, qui loquentur peruerſa, vt abducant

Eccleſia à falſis Prophetis ne quaquam immunis. Actor. 20. 2. Pet. 2.

2. Thes. 2. discipulos post se. Porrò cum idem Apostolus Antichristum in templo Dei sessurum significet, non aliunde profectò horrendam Ecclesiæ dissipationem & calamitatem venturam denunciat, nisi ab his, qui se pro Pastoribus venditare, & tanquam numina miseris Christi ouiculis ostentare debebant. Quem verò, Petre, non vana Spiritus sancti prædictio, stimulum addere meritò tibi debuit, vt diligenter in doctrinam Pastorum inquireres, & ad trutinam verbi diuini diligenter eam examinares, tu contra occæcatus, & inani sacerdotij titulo dementatus, nullam scripturæ sanctæ fidem adhibendam censes, nisi quod ex ore sacerdotum promanat, id demum, tanquam ex tripode dictum amplectendum clamitas. Nisi verò tot inuicem pugnantia Concilia, & mutuis anathematismis se ferientia satis te instruere potuissent, quam non semper tutum sit in decreta hominum respicere, & fallaci non ignobilis alicuius multitudinis specie commoueri.

Concilia quænam recipi debeant.

Si quæ ergo Concilia recipienda sunt, illa demum meritò recipi debent, quæ ne latum quidem vnguem à præscripto verbi diuini recedunt, & in confutandis hæresibus, ac refellendis prauis dogmatibus, puram ac simplicem scripturarum interpretationem retinent. Ex hoc verò numero quatuor illa præcipua, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum & Calcedonenum, magnum & perpetuum in Ecclesia authoritatis obtinuerunt pondus, & contra quorumuis hostium insultus firmissima consistunt, neque vllam ruinam extimescunt. Superfundata enim sunt, quod ad fidei dogmata attinet, in doctrina Prophetarum & Apostolorum, hæcque nobis arma ex fontibus scripturarum suppeditant, quæ tutò in hostes

stes veritatis vibrare, eósque sine omni periculo nostro vincere semper possumus. De talibus verò, ne quid erres, Conciliis Augustinus loquitur, vt contra Donatistas scribens libr. 2. capit. 3.

Augustini de Conciliis sentētia.

Concilia priora posterioribus cedere iubeat, si quid in eis forte à veritate deuiatum sit, aut aliquo rerum experimento aperiatur, quod clausum erat, & cognoscatur, quod latebat. Nam solis scripturis noui & veteris Testamenti Canonicis istam authoritatem tribuit, vt omnibus eam posterioribus Episcoporum literis dicat præponi, ac de ea omnino dubitari disceptarique non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in eis scriptum esse constituerit. Nec Hieronymus scribens in Epistolam ad Galatatas, ab eo dissentit.

Hieronymi de Cōciliis censura.

Spiritus sancti, inquit, *doctrina est quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant, Concilia, nephas duco.*

Istæ vero doctissimorum & orthodoxorum Patrum sententiæ, quàm procul distant, Petre, ab opinione tua, qui nullum Conciliorum examen admittis, & sine discrimine vllo, quicquid ab eis dictatū fuerit, ab omnibus approbari postulas. Vides enim ab illis certam constitui regulam, & tāquam amussim, nempe scripturam Canonicam, ad quam cuncta, omnium scripta & decreta omnino exigi cupiunt. Nec refert, quod inquieti Spiritus in Ecclesia nunquam defuturi sint, quales hac ætate Enthusiastæ, Libertini & Tritheitæ reperiuntur, qui in scripturis truncandis, violandis, & in alienum sensum torquendis, puram & natiuam verbi Dei faciem adulterent, placitísque suis subseruire cogant. Nam talibus, ne Conciliorum quidem autho-

Pertinacibus Concilia nil prodesse.

ritas vlla vnquam satisfactura est, vt hoc remedio morbidam eorum mentem, ac falsis opinionibus fascinatam sanare te posse frustra speres. Neque enim Concilium Nicenum rabiem Arianorum repressit, nec à concepta semel praua opinione eos reuocauit, vt per multa secula pestilens illud virus glisceńs, maximáque subinde incremẽta capiens, maximam stragem in Ecclesia ediderit, ac infinitis cladibus eam affecerit. Nec dissimiles aliorũ Conciliorum fuerunt euentus, quæ nunquam efficere potuerunt, vt graſſantem venenatę doctrinę in populo Dei luem subitò compescerent, & quasi vno ictu amputarent. Neque tamen interim diuina Spiritus sancti virtus in mentibus filiorum Dei ociosa fuerat, quibus solis scripturarum intelligendarum lucem largitur, illorúmque cordibus testimonium reddit certissimum, quod sint filij Dei, & in æternam sanctorum omnium societatem vocati. Nam quibuscunque Ecclesia iactetur procellis, quibuscunque tandem dissentionum obruatur fluctibus, semper tamen fideles certissimam habent normam, qua lucem à tenebris, & veritatẽ à mendacio discernant: ipsum nimirum Dei verbum, cuius sensum optimè callent, & cæcutientibus, ac in tenebris oberrantibus reliquis, soli in clarissima luce versantur.

Norma certissima ad quam dogmata omnia exigi debeãt.

Hanc vero scripturarum intelligentiam, solis Episcopis aut pastoribus vendicare, & quod in tradendis fidei dogmatibus nunquam aberrare possint, secure iactare, hominis & incogitantis, neque minas illas Dei perpendentis, quibus consilium & legem se à sacerdotibus & senioribus ablaturum noctémque pro visione & tenebras pro diuinatione illis oblaturum, clarè denunciat. Quare quod peris, vt tibi demonstrem Ecclesiam aliam

aliam, aliúmque constituam Christianismum, si non ex vniuerso orbe confluentes Episcopi & Patriarchæ in Concilium Lateranense vniuersam tum repræsentabunt Ecclesiam, dicam quod res est, & quod me docent tot Spiritus sancti testimonia ac infallibilia oracula: nempe in communi pastorum errore & excæcatione, aliquos tamen Ecclesiæ in reliquo populo Dominum conseruasse reliquias, vt deinde scintillam veritatis suæ, tot corruptelarum atque superstitionum mole obrutam, tempore suo reaccenderet, depulsisque errorum tenebris, lucem Euangelij sui restitueret. Hoc verò ne mirum tibi videatur, perpetuum ferè Ecclesiæ Dei fatum, satis te instruere potest, quæ variis Satanæ fallaciis ita subinde afflictatur, vt longè latéque profundente sese omni impietate, veri Dei cultores in exiguo aliquo hæreant angulo, & ad summas quasdam angustias reducantur. Ac vt omittam sanctorum Dei Prophetarum cum populo rebelli antiqua illa certamina, omittam & grauem illam Heliæ querelam, sceleratam populi defectionem deplorantis: sub ipsum Christi aduentum, quàm latos Ecclesiæ Dei definies terminos? Vbi qui Christum cognoscerent, hospitiúmque illi præberent, tam pauci sunt reperti? At quando grauiorem mundo ad occasum suum vergente Dominus prædixit Ecclesiæ ruinam, vt nisi fuissent decurtati diẽs illi, tota ferè spes omni saluandæ carni præcisa esset. Neque mirum, quando qui Ecclesiam Christi inuadere debebat Antichristus, ipsis iam temporibus Apostolorum, mysterium iniquitatis operari cœperat, paulatímque malus ille bono sementi, dormientibus agricolis, superseminauit zizania, ac malos constituit operarios, qui fœnum ac stipulam extruerent, ab igne

Deum in medio impiorum semper habere suas reliquias.

Christi ipsius ætate pauci verè pij. Matt. 24. 22.

Antichristus ætate Apostolorum iam mysteriũ agebat. 2. Thes. 2.

Domini tandem exurenda.

Hæc verò cum nunc in oculis omnium peragat Dominus, & quicquid hactenus super solidum illud salutis fundamentum quisquiliarum fuit congestum, illustri illo Spiritus sancti, verbique sui absumat incendio, huc potius oculos conuertere te decebat, Petre, opúsque Domini pro virili adiuuare, quàm stultam hanc operam in conuertendis ac vndique comportandis stipulis ac paleis impendere. Acrior enim iam ille ignis Domini apparet, maioréque vi quadã excitatus est, quàm vt nugis istis, quas vano spargitis conatu, opprimi vel restringi possit. Itaque velut omnibus rebus perditis ac desperatis, ad sanguinaria quædã consilia animos conuertitis, & Regum ac principum inflammãtes animos, ad cædem ac lanienam instigantes, ruina tandem incendium illud obruere studetis. Sed aderit breui Dominus vindex, & tot Martyrum sanctorum suorum sanguinem crudeliter profusum, ex manibus vestris requiret, ciuitatémque vestram succendet, & malos, nisi pœnitentiam egeritis, malè perdet.

Papistarũ extrema consilia.

Porrò cum tanta mentibus vestris nocendi, & perdendi sursúmque ac deorsum omnia turbandi insideat libido, istam tu tamen sanctitatis, innocentiæque laudem Monachorum ordini tribuis, vt eos perfectionis Euangelicæ, consiliorúmque Christi sanctissimos sectatores, gregis Dominici speculum, & totius orbis ob vitæ puritatem margaritas, atque clarissima propter doctrinæ præstantiam luminaria vocare non erubescas. Ego verò ducem latronum audire mihi videor, qui dum sociis prædam humano sanguine partam impiè distribuit, eos fortissimos commilitones, summæque fidei, integritatis, & constantiæ viros, ac omnis virtu-

Monachi monachorum & monasticeslaudator.

nis virtutis exempla nuncupat. Nam si hæc laus in istos verè competit, neque illam vniuerso Monachorum ordini, quales quidem hodie in mundo volitatis monachi, tribui recuso. In quo enim hominũ genere obsecro maior flagitiorũ omniũ regnat licentia? Vbi fœdiora ventris ac gulæ reperiuntur mancipia, atque in his sordidis & obscuris, quæ boni isti incolunt patres, claustris? Itaque si antiquum illud, quod veteres sequuti sunt Monachi, vitæ consideres institutum, si illorum immensos labores cum istorum turpi conferas ocio, si quantum illi pauperibus alendis impenderunt operæ, tantam istorum in exhauriendis viduarum & orphanorum facultatibus perpendas curam ac solicitudinem, facilius simias hominibus compares, quàm istos progenitoribus suis æquipares. Non attingam nunc nouam quandam religionis professionem ab istis excogitatam, in qua grauius quoddam onus se sustinere impudenter garriunt, quàm quod Christus ferendum suis imposuerit, ideoque in gradu perfectionis se esse cõfidenter mentiuntur. Nemo enim, nisi Monachus, hoc est, homo extremè impudens & impius, istud dicere præsumat, aliquid à Christo traditum esse, quo non omnes exæquo astrictos esse velit suos discipulos. Et quæ consilia isti vocant Christi, seria ipsius esse mandata, quibus omnes obtemperare necesse est, Christus ipse apertè docet, communem omnibus Christianis viuendi præscribẽs regulam, omnésque antiqui illi orthodoxi scriptores Patres testantur. Quare obsoletis istis & flaccidis nugis ne amplius, Petre, aures hominum onores, & quando omnium ferè manibus iam isthæc palpantur mendacia, saltem pudori tuo consule. Nimis enim impudentem circulatorem in pri-

Monachi hodierni quale hominum genus.

Monachi Christi præcepta extenuãtes consilia vocãt.

mis callidum oporteret esse veteratorem, qui nũc vel teruntio ista venderet somnia, quibus longo tempore miserum ludificati populum, quæstuosissimas hactenus nundinas exercuistis.

Verùm non satis videor tibi propositi mei tenax, qui Monastices institutum insectèr, dum tamen Rabanum Monachum summis laudibus prosequar, illius pietatem cum insigni doctrina coniunctam prædicem. Tu verò, Petre, aut antiquam illam Monachismi formam, qualem tempore suo describit Augustinus, nobis restitue, aut si rebus omnibus tam fœdè prolapsis istud præstare non potes, saltem in hac infinita hominum turba latere aliquem bonum concede. Nam si vel nunc, dũ Monasteria omnibus vitiis scatent, non adeò deplorata omnium est improbitas, quin aliqui perditæ & per imprudentiam accersitæ professionis osores, bonis literis & pietati vel clam studeant, minimè mirum videri debet, si puriore illo seculo, neque tot vitiis inquinato plures extiterint Monachi, quorum singularis doctrina, vitæque integritas meritò commendatur. Nulla tamen in speciem eximia doctrina & probitas istud efficiet, vt non abominabile, & execrandum Monachismi institutum, prout nunc res sunt Monachorum, iustè reputemus. Nisi tu forsan lupanaria laudanda ac retinenda putas, quod meretrices probo, modestóque ingenio, & ab auaricia alieno Comici aliquando in scenam producunt. Verùm ne in persequendis tricis, ineptiisque tuis diutius immorer, ad secundam tandem propositæ rei partem progrediar, eámque ductu & auspicio Dei omnipotentis sic tractandam suscipiam, vt sicut ille inenarrabili suo consilio, per sacratissimum filij sui corpus in mortem pro nobis traditum, & preciosissimum

Monachi nonnulli pij, temerè in id vitæ genus prolapsi.

sissimum illius sanguinem pro nobis effusum, nos in societatem & participationem diuinæ suæ naturæ admisit, ita per Spiritum sanctũ suum veram coniunctionis nostrę cum Christo rationem solus ipse mentibus nostris apperiat, támque arcto ac firmo vinculo sacro eius corpori nos cõglutiner, vt quod lingua promere non potest, id cor ipsum sentiat & intelligat.

Defensionis Cœnæ Domini libri primi, Finis.

DE VERA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN SACRAMENTO COENAE præsentia.

LIBER SECVNDVS.

Sacramẽtorum quę sit natura.

HAEC est natura & conditio Sacramentorum omnium, sicuti superius abundè demonstrauimus, vt sub externarum & aspectabilium rerum forma, quæ sensibus nostris ingeruntur, res cæleſtes ac inuisibiles mentibus nostris proponi, & in veram earum possessionem nos induci testificentur. Rectissimè ergo Irenæus, & reliqui scriptores antiqui, dum & Eucharistia in communem Sacramentorum redigitur ordinem, eam ex re terrena ac cælesti constare dixerunt, vt nimirum aliud esse, quod sensibus carnis est expositum, aliud quod animi oculis cernitur, in ea subesse proponerent. Ac terrenam quidem rem panem & vi-

Eucharistia duplici re constat.

num esse disertis profitentur verbis: Rem verò cælestem, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi vno ore dicunt. Augustinus autem in multis scriptorum suorum locis, rem externam & visibilem nomine sacramenti vocat, & corpus ipsum Christi, rem sacramenti, quam eandem inuisibilem gratiam & virtutem, veritatē, fructúmque Sacramenti nuncupat. Alij verò externum visibile elementum, nunc symbolum antitypon, nunc figuram, nunc signum corporis Christi vocant, corpus autem ipsum Christi vocabulo rei signatæ nominant. Hoc autem quod scribunt, Spiritum sanctum per os Apostoli dicentem sequuntur magistrum: Ideo enim panem vocat cōmunicationem corporis Christi, poculum autem communicationem sanguinis eius, vt sub externo & visibili elemento, cæleste & inuisibile pabulū, quo animæ fidelium in æternam pascuntur vitam, exhiberi verè doceat. Rectè ergo Gelasius contra Euthychetem disputans, non aboleri panis substantiam in sacramento prædicat, qui humanam Christi naturam transiuisse in diuinam fingebat, propter similitudinem panis sacramentalis, quem reipsa corpus Christi effici statuebat. Ita enim sacramenta corporis & sanguinis Dominici rem diuinam Gelasius testatur esse, & per ea sic nos diuinæ naturæ consortes effici tradit, vt nihilominus non desinere substantiam & naturam panis & vini diserte doceat. Hunc verò imitatus Theodoretus, eundémque oppugnans hæreticum, sic loquitur: *Non*, inquit, *post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediuntur, manent siquidem in sua propria substantia & figura & specie. Ideoque & videntur, & palpantur, quemadmodum & antea: Intelliguntur autem, quæ facta sunt, & creduntur*

Veteres quibus nominibus Sacramentum corporis D. ornēt.

1. Cor. 10. 16.

Gelasius Papa in Concilio Romano.

Theodoretus diserte Papæ opinionem damnat.

duntur & adorantur, tanquam existentia, quæ creduntur.

Ex hac verò tam perspicua & illustri veterum Patrum sententia, qui modo vltrò cæcutire nolit, facilè considerare potest, quàm procul tota illa purior antiquitas ab opinione recentium scriptorum semota fuerit, qui alteram Sacramenti partē, hoc est externum & visibile elementum aboleri volunt, vt corpori Christi in solis accidentibus locum relinquant. Hac ergo vana ac futili sententia reiecta, & Spiritus sancti infallibile sequentes institutum, & veteris Ecclesiæ vnanimem consensum, ex duabus rebus Eucharistiæ sacramentum constare rectè dicimus: neque vlla ex parte sui istud aboleri, quod terrenum est, confidenter prædicamus. Porrò cum omne id, quod ex partibus suis ad vnum quiddam constituendum componitur, multiplicem ac variam habeat coniunctionis rationem, magna quadam ac diligenti cautione opus esse ducimus, vt ne res diuinas ac cælestes cum terrenis miscentes, in designando vnionis ac societatis modo, toto, quod aiunt, cælo aberremus. Nam quæ à legibus naturę, & omni hominum arte ac industria exempta sunt, nullo etiam tali vinculo societatis & coniunctionis, quale operatur ars & natura, colliganda esse quiuis sanus intelligit. Ac sacramenta quidē cum nullis naturæ legibus subsint, neque ab vlla humana arte dependeāt, sed à solo diuini numinis placito omnē naturę ingeniiq; cursum superāte sint introducta, nulla etiā rerū in Sacramētis cōiuncta rum, talis copula & cōnexio inquirenda est, qualē vi naturæ ac industriæ humanæ in hac rerū vniuersitate effici agnoscimus. Corpora enim cū coporibus, vel substantiæ cum suis accidētibus mu-

Papistæ dimidiā Sacramēti partem tollunt.

Res cælestis & terrena quo modo in Cœna cōnectantur

tuo quodam complexu, vel locali contactu cohęrent ac conglutinantur, sed rerum diuinarum ac cælestium cum suis Sacramentis vel externis notis connexio est mystica, & naturæ ordinem supergrediens, & captũ rationis humanæ transcendẽs, vt sola diuina Spiritus sancti virtus efficiat, & sola piorum hominum fides ab eodem Spiritu illustrata sentiat. Quare diuinum Christi corpus sic in suo fidelibus exhibetur & participandum offertur Sacramento, vt quod ad locorum attinet intercapedinem, illud quidem corporea sua prędentia non amplius in mundo versetur, neque ex cælo, vt in Sacramento incipiat esse, corporaliter deuocetur. Ascendit enim Christus in cælum realiter, non antè inde descensurus, donec venerit iudicare viuos & mortuos, & tamẽ verè nobis prędens adest sua diuinitate, Spiritúsque sui virtute, vt vitam ex suo corpore in omnia sua membra diffundat, & merito mortis suæ, iam olim peractæ, iustitia & sanctitate exornet, vitæque illius cælestis & æternæ iusto tandem præmio condecoret.

Corpus Christi corporaliter in cælo esse tantum, vere tamen in Cœna exhiberi.

Hæc verò sola est certissima & infallibilis veritas, tam firmo scripturarum testimonio, & constãti, perpetuáque veterum Patrum voce confirmata, vt quicquid in contrarium asseratur, ex mera animi petulantia & execrabili veritatis diuinæ odio proficiscí videatur. Nihil ergo efficiunt isti, qui aperto bello veritatem lacessunt, & variis sophismatum telis illam impetunt, vt armis ipsis suis ridiculè se cõficiant, omniáq; iacula in pernicię suã depromant. Nam cũ certius & euidentius vniuersa scriptura clamitet, ipsum Christũ cœlo contineri, indéq; illum saluatorẽ & iudicẽ, nonnisi tempore certo ac præfinito expectari, quàm vt isti tã manifestæ veritati reclamare audeant, sic eam vel inuiti

inuiti ac nolentes profitentur, vt quicquid deinde ad eam eludendam garriunt, ipsi tamen testimonium ferre cogantur. Scribit enim Scarga corpus Christi locali, naturalíque modo in cœlo cõsidere, & nihilominus sine vlla muratione loci, illud in Eucharistia sacramentali, abstrusо, & substantiali modo esse contendit. Hoc verò quid aliud est, quàm calidum & frigidum ex vno ore efflare, ac mutuis contradictionibus puerilem quãdam leuitatẽ ostentare? Quis enim obsecro prudens dicat corpoream substantiam alicubi naturali localíque modo contineri, neque tamen substantialiter eam illic adesse, aut si substantialiter alicubi adsit, illam tamen loco non circumscribi? Istæ verò insanæ ac futiles hominum voces, peruicacem quandam temeritatem & proiectam in oppugnanda veritate audaciam coarguunt, vt frustra iam ingenuitatem aliquam & candorem in eis requiras, quos nullus pudor à cupiditate mentiendi reuocare potest

Scarga sibi repugnantia temerè asserit.

Itaque vt aliquo fuco ac pigmento vanitatem istam oblinant, ad philosophorum castra diuertunt, & ex eorum pharetra id promunt, quo se sua figmenta munire vtcunque putant. Dicit enim Scarga, substantiam communi omnium Physicorũ iudicio, nec partium habere extensionem, nec loci circumscriptionem, nec vllis sensibus exterioribus, sed solo intellectu percipi. Vnde cum corpus Christi in sacramento affirmet esse substantialiter, non esse ibi per extensionem & dimensionẽ quantitatis & partium, nec vti in loco, quo non circumscribitur, nec vllis sensibus exterioribus, sed sola fide, quæ est oculus intellectus, illam deprehendi perhibet. Ego verò his omnibus verbis manifestam subesse fraudem denuncio: nec vllum

Iesuitæ testimoniis scripturæ destituti, ad philosophos diuertunt.

discrimen inter circulatorum præstigias, & hanc Scarganam matæologiã intereſſe video: qui quod in ſpeciem ſpectatoribus oſtentant, re tamen ipſa nihil ſe omnino habere declarant. Nam qui corpoream ſubſtantiam in aliquo loco ſtatuit, vt tamen nullis quantitatum & qualitatum accidentibus coopertam fingat, perinde facit, ac ſi in os alicuius famelici cibum ſe ingerere dicat, qui tamen omnem tactus, guſtúſque ſenſum effugiat, ac propterea ventrem non impleat. Hoc verò nihil aliud eſt, quàm proteruè hominibus illudere, & in manifeſto mendacio, quod cernatur omnium oculis, famam veritatis aucupari. Nam etſi ſententia Phyſicorum omnes ſubſtantiæ ſint per ſe inuiſibiles, tamen nullæ vnquam extiterunt, neque, ſic eas ordinante Deo, exiſtere poſſunt, niſi quæ perpetuo & indiſſolubili nexu illis qualitatũ & quãtitatum accidentibus veſtiantur, quæ illarum naturæ conueniunt, & ab aliis rerum ſpeciebus illas diſtingunt.

Scargana matæologia Circulatorum impoſturæ per quam ſi milis.

Quare quod ſola imaginatione concipitur à Philoſophis, reipſa autem fieri nequit, nimis ineptus es, Petre, qui id perſuadere ſanis & ſobriis hominibus cupis, quod neque natura rerum patitur, neque fides noſtra requirit. Nam dum Chriſtus Dominus & ſaluator noſter, in Cœna ſua diuina corpus ſuum dare ſe nobis ad manducãdum, & ſanguinem ad bibendum profeſſus fuerit, non ad ſcholas Peripateticorum nos deducere, aut ſapientiam Dei ſub leges ſtultitiæ humanæ coniicere voluit, ſed ſpiritualem, cœleſtem, ac myſticam noſtram ſecum coniunctionem nos docuit, & corpore ſuo ſancto vero ac naturali, non imaginario, ac propterea verè in mortem tradito, vitam nos cæleſtem atque æternam haurire mandauit.

Chriſtus nihil cum philoſophis commune habet.

Tu ve-

Tu verò qui corpus Chriſti, quod à fidelibus percipitur, omni quantitate & qualitate ſpolias, ac propterea ab omni paſsibilitatis conditione illud eximis, vide cuiuſnam corporis in tuis ſacramentis particeps efficiaris, quod neque pati neq; mori pro te potuit. Ita verò hæc ſublimis, quam toties iactas, philoſophorum ſapientia, te in rebus diuinis cæcutire turpiter coegit, & ex homine ſpirituali, merè brutum & animalem, miſteriorũ Dei prorſus ignarum reddidit.

Scarga quale corpus Chriſto tribuat.

At verò illa meritò tibi debebat eſſe ſuſpecta, quando Diuus te præmonuit Paulus magnam ac diligentem cautionem adhibendam eſſe, ne qui nomen Chriſto dederunt, per inanem Philoſophiã ſe decipi patiantur. Tu verò non aliter myſteria diuina intelligi poſſe exiſtimas, niſi quæ Philoſophi de ſubſtantia cogitatione ab accidentibus abſtracta diſſerunt, ſcientia comprehendantur. Ac tantoperè ridiculus hic Thraſo triumphas, vt te ſummam quandam ſcientiæ arcem obtinere putans, mihi tanquam indocto inſultes, qui propter bonarum artium inopiam, hæc ſcilicet myſteria capere non poſsim. Ita quod in ſcholis omnibus eſt tritum, & voce omnium peruulgatũ, miles hic glorioſus putat ſuum eſſe inuẽtum, nec hactenus à quoquam auditum. Ego verò vt nullã famam doctrinæ aucupor, ac ingenuè ignorãtiam meam profiteor, ita quid quiſque non imprudens lector de vtroque noſtrũm ſtatuere debeat, in medio relinquo. Illud tamen nimis ſuperbum & arrogans ferre non poſſum, ita te mihi inſultare, & neſcio quam authoritatem in me obiurgãdo tibi vſurpare: quod nimirum ego homo laicus, ſine vocatione Aaronica, ſine miſsione, ſine poteſtate, aſiquid de diuinis myſteriis profano, vt inquis, ore

Philoſophia inanis fugiẽda. Col. 2. 8.

Scarga ſuo ipſius iudicio omnium doctiſsimus.

mutire etiam audeam. Obsecro te Aaron, siue Moses (siquidem cornua quæ perpetuò in capite gestas, Mosem te fecerunt) si non ad sacrificia vestra admittimur, si non ad aras immolaturi adstamus, si non vmbras veteris legis, quæ vos adhuc miseros occupant, consectamur, nec ea quidem quæ potestatis nostræ in nouo Testamento voluit esse Dominus, post nouam Euangelij oblatam lucē, vsurpabimus, vt in regale asciti sacerdotium, virtutes eius enarremus, qui nos ex tenebris vocauit in admirabile lumen suum, & ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum?

Christianos omnes esse sacerdotes. 1. Pet. 2. 9.

Sed vos ex manibus extorquentes nostris, quæ liberaliter concessit Dominus, illos vos esse ipsis testamini factis, contra quos grauiter intonat Dominus, qui claues scientiæ populo Dei surripientes, neque ipsi in cælum intratis, neque alios intrare finitis. Nos autem in cognitionem mysterij à seculis absconditi à Deo ipso vocati, quod se conspicuum omnibus facere testatur Apostolus, nunquam tam dementes erimus, vt non illud perpetuò expendamus, & subinde in schola Christi proficientes, in perdiscēdo eo laboremus. Neque tu importunitate tua, Petre, efficies, vt te cæcum ducem, ablato verbi Dei lumine sequamur, ac in foueam hanc ignorantiæ, in quam vltrò ruere videris, tecum præcipitemur. Ac vide quanta tua est incogitantia, ne dicam stupiditas, vt qui regni cælestis ianuam plæcludere nobis non possis, viā tamen, qua illò peruenitur, sepire satagas. Ita verò quod falsò obiectum fuit Diuo Paulo, in te, Petre, profanum competit verè, nimia hæc tua, quam iactas, doctrina, te ad insaniam prouocat Disce ergo in schola Christi melius philosophari vt ne

Luc. 11. 51

Rom. 16. 25. Col. 1. 26.

Act. 26. 24

vt ne à philosophis mutuans, quæ in cælesti sacrario nullum habent locum, in perpetuo tenebrarum labyrintho detinearis, neque ad solidam vnquam mysteriorum Dei cognitionem peruenire possis.

Nam vt huc vnde cœpit, recurrat oratio, non hāc corporis Christi, quam fingit Aristoteles, nos in Sacramento imaginamur substantiam, sed quæ omni sua quantitate & qualitate circumdata, sicut verè nasci, pati, mori, ac sepeliri potuit, ita vere resurrexit, & in cælum conscendit. Hanc ergo carnē Christi vnicam, quando nulla alia esse potuit, nos tam in Sacramento, quam extra Sacramentum, per virtutem Spiritus sancti, & fide sola manducamus, vt fructum passionis, mortis, & resurrectionis eius nobis applicemus, iustitiæque ac sanctificationis eius participes facti, regnum eius hæreditarium nos quoque iure adoptionis obtineamus. Quod si hæc Christi caro (vel te ipso teste) secundum naturalem loci situm, non alibi quàm in cælo esse possit, sic ordinante & statuente suprema illa Dei sapientia, vt quid ergo illam per varias orbis plagas extendis? & nunc in hoc, nūc in illo panis crustulo, substantialiter latere fingis? Sed Christum tu quidem nunquam cælo ante tempora restitutionis omnium, teste Apostolo, deuocabis, neque in varias partes lacerabis, te verò ipsum, mentēmque tuam fluctiuagam, vt nunquam conquiescere possit, distrahes. Nam præterquam quod vera ac naturalis corporis Christi substantia stolido huic figmento tuo repugnat, ne fides quidem nostra talem illius præsentiam, qualem tu comminiscēris, desiderat. Carnem enim suam, eo quo tu putas modo manducandum, Christus ipse pronunciauit nihil profuturā, vt econtra verba sua spiritum

Corpus Christi in sacramento quale exhibeatur.

Actor. 3. 21

Carnem Christi carnaliter sumi, nihil prodesse. Ioh. 6. 63.

& vitam esse testatus sit: hoc est, spiritualiter intelligenda, ne scilicet secundum carnis sensum Christum ipsum æstimemus, sed vim Spiritus viuificam, qua caro Christi perfusa est, sincera fide contemplemur. Neque enim impij Iudæi carnẽ Christi cõtrectantes, ac sanguine eius membra sua crudeliter aspergentes, vllum operæpręcium fecerũt, vt propter mentis stuporem, & fidei defectum, quã in sacrum illud, diuinúmque corpus defigere non potuerunt, se æternæ morti obnoxios reddiderint.

Sed quia ipsa Christi Domini Cæna præsentiæ corporis Christi, qualis in hoc sacro requiritur cõuiuio, illustre nobis exhibet speculum, nullaque res alia est, quæ totam hanc controuersiam certius inter nos dirimere possit, vel hanc saltem ob oculos nobis proponamus, totámque mentem & cogitationem nostrã ad eam reuocemus. Assidet mẽsæ cum discipulis Dominus, illísque corporis & sanguinis sui sacramentum porrigit, & quod verbis effert, reipsa præstat, neque vanis eos ludificatur promissis. Accipiũt ergo Discipuli reuera corpus & sanguinem eius, neque tamen ille à mensa recedit, aut inuisibilem se præstat, vt substantialiter in pane delitescere credatur, sed quem semel occupauit locum, in eo residet, diuersámque carnis suæ substantiam ab ipso Sacramento, vel loci interuallo, quo ab eo seiungitur, apertè declarat. Illud enim quod manducandum & bibendum à Christo fuit traditum, ore ab Apostolis fuit perceptum, & in viscera cum reliquis cibis traiectum, neque tamen hæc iniuria ad corpus Christi, vt potè quod semper idem integrum in certo conspicerent loco, vel minimum pertinere visa est. Ac propterea Apostoli non obloquuntur, neque tanquam

Cœna quo ritu à Christo celebrata.

Cœnę mysterium Apostolis minimè incognitũ fuit.

quam absurdum aut inconueniens repudiant, quia mysteriũ esse in verbis Christi agnoscunt, neque simpliciter verba, prout sonabant, accipienda animaduertunt. Mysterium enim, vt loquitur Chrysostomus, non addubitabant esse de quo olim ipsum audierant differentem, & incredulos percunctatores acriter obiurgantem. Inde verò quis non perspiciat, non corporaliter Christum se suis mãducandum exhibere, neque ori aut ventri, sed animæ & fidei pabulum cœleste ac spirituale in mẽsa sua opponere. Adfuit enim tunc reuera corpore suo præsens, neque tamen præsentia corporis efficiebat vt in ipsum Apostoli dentes defigerent, ac non potius fide, spiritualitérque participandũ, sacratissimæ illi victimæ pro salute generis humani tradendæ intelligerent. Quod si tunc minimè necessarium fuit, quando Christus in Cœna sua præsentem se corpore suo sistebat, vt subitò disparens corporaliter in panem descenderet, neque nunc necessarium omnino iudicamus, vt subinde de cœlo descendat, & corporaliter in pane latitans, se cibum ventris omnibus, quicunque os afferunt, exhibeat. Esca enim hæc spiritualis, est spiritualiter vtique per fidem, non carnaliter manducanda: cui maximum quodque loci interuallum, nullam remoram aut impedimentum afferre potest.

Cœna Christi spiritualiter esca & potus.

Nihil ergo, Petre, contra institutum & mentem Christi facimus, nihil contra vniuersam scripturam peccamus, qui corpus Christi realiter & substantialiter cælo sic contineri prædicamus, vt interim verè nobis præsens, sed solo fidei contactu, ac virtute Spiritus sancti istud efficiente, credamus. Vna enim hæc Cæna semper, neque illi Apostolicæ dispar, nec inter hanc & illam quicquam interest. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur, sed vtramque ipsæ, vt

Cœna quæ nunc peragitur, vna est cũ illa quam Christus peregit.

scribit verisimè Chrysost. in Matth. 51. & 83. Hom. Ac propterea quæ huc de cõditione corporis glorificati atque immortalitate donati afferre soletis, vt simul & in cœlo, & in Sacramento substantialiter existere illud posse statuatis, nihil omnino vestram adiuuat causam. Antecessit enim institutio Cœnæ Dominicæ omnes illas corporis clarificati qualitates nouas, quibus sanctum hoc Christi corpus post mortem deuictam fuit exornatum: vt sicut tunc mortalitas non obstitit, quo minus se suis manducandum manibus traderet Christus: ita nũc immortalitas nullum nouũ edendi corporis Christi apposuit modum. Vna enim & eadem semper manducandi corporis huius sanctissimi ratio semel est à Domino instituta, vt nimirum passioni, mortique Christi secundum Augustinum communicemus, ac quod caro eius pro nobis crucifixa ac vulnerata sit, fideliter in memoria retineamus.

Corporis Domini manducãdi vna & eadẽ semper ratio.

Nec verò immortalitas, & quæcunque aliæ præclaræ corporis resurrectionem sunt subsequutæ dotes, quicquam de vera corporis Christi substantia detraxerunt, quin quam semel carnem suscepit humanam fratribus per omnia, excepto peccato, similem, perpetuò retineat. Immortalitatem enim carni dedit, naturam nõ abstulit, & secũdum hanc non est putandus vtique diffusus, vt verè testatur Augustinus. Quarè sicut in vno saltem loco secundum veri corporis humani modum, tunc Christus fuit, cum sacrum illud conuiuium Apostolis instruxit, ita & nunc vnicum in cœlo obtinet locum, neque tamen vera (sed spirituali tantum) corporis sui communicatione omnia sua mẽbra defraudat. Carnalis enim, quã vos homines carnales ac prophani sõniatis mãducatio, vt nihil prodest: sic neque

Carnem Christi eiusdem nunc naturæ cuius & ante glorificationem esse.

que repugnante natura corporis Christi perfici potest.

Quamobrem quæcunque veterum Patrum producis testimonia, Petre, vt corporalem Christi præsentiam in Eucharistia statuas, hæc teipsum oppugnant, & dextrè intellecta nostram vbique sententiam tuentur. Scribit, inquis, Augustinus, Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, carnem suam nobis ad manducandum, & sanguinem ad bibendum dantem, fideli corde & ore percipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere. Ex hac verò Augustini sententia te argumenta corporalis manducationis colligere dicis. Vnum, quod non solum corde, sed etiam ore nos corpus Christi percipere doceat. Alterum quod in manducatione horrorem excuset, quando si figuratè & non propriè corpus Christi manducaretur, nullum nobis horrorem incuteret. Verùm, Petre, aut mentem Augustini non assequeris, aut vltro, quæ vere, rectéque dicta sunt deprauas. Quoties enim ex eodem Augustino demonstratum tibi est, totum aliquando Sacramentum, vt ex duabus partibus terrena & cœlesti constat, aliquando verò vnam visibilem partem nomine ipsius corporis vocari? Hic ergo, vt in multis aliis locis, toti Sacramento corporis & sanguinis nomen tribuit, eáque ore & fide percipi asseuerat. Nam externa quidem pars, quæ sacramentaliter & impropriè corpus Christi dicitur, ore ipso comeditur. Corpus autem Christi sola fide percipitur. Ita verò quæ sobriè semper in sacramentis distinguenda sunt, vt nimirum, quid alterutri conueniat parti, diligen-

Carnis esus Christi carnis & impossibilis & minimè necessarius.

Augustini sententia Scargam abuti.

Locus Augustini excussus.

Scargam ea quę distingu dent confundere.

ser perpendatur, tu perperam confundis, neque suum cuiuis relinquis.

Si enim, vt tu sentis, altera sacramenti pars, & ori & fidei simul datur, certè altera pars, quæ est externa, quo percipiatur non habebit, ac ideò superuacua reputabitur. Atqui in sacramentis instituendis sic se humanæ naturæ attemperauit Dominus, vt quia homines ex corpore & anima constant, rem corpoream corpori tribuat, cœlestem verò ac inuisibilem soli animæ inuisibili offerat. Abluitur ergo in Baptismo corpus, vt anima à sanguine Christi sanctificetur: pascitur in Eucharistia & potatur corpus, vt anima de Deo, sicut loquitur Tertullianus, saginetur. Ita verò Petre, si semper inter sacramentum, & rem sacramenti distinguas, vt quid tribuatur corpori, & quid animæ cognoscas, & mysteria optime intelliges, & ex scriptis Patrum rectè intellectis, nunquam in tam crassum errorem, quo nunc detineris, deuius abduceris. Audi enim quid toties Augustinus inculcet, cum de esu corporis ipsius Christi disserit, & quod solam fidem & cor, hominémque interiorem requirit, non autem fauces, non ventrem nec dentem, passim in scriptis eius deprehendes. Quod autē ex errore manducandæ carnis Christi naturalem & consuetum edendi modum illum statuere putas, miror, quo pudore istud facias, quādo Augustinus verba Christi de manducanda carne & bibēdo sanguine suo concionantis ideo scribit figuratè intelligenda, quia facinus & flagitium mandare videantur. Est enim crudele & inhumanum carnem humanam manducare. Ac propterea totum hunc sermonem Christi figuratè intelligendum tradit, vt manducare carnem eius nihil sit aliud, nisi passioni eius communicare, & credere, quod caro eius pro nobis sit crucifixa & vulnerata, sicuti iam superius ostendimus.

Sacramenta cur duplici materia constare Christus voluit.

Sermo Christi de esu incorporis figurate intelligendus.

Ac profectò nisi mala mens vestra, malúsque animus impediret, vel vnicus hic Augustini locus totam controuersiam inter nos decidere poterat, vt nullus iam certaminibus locus relinqueretur. Nam si semel hoc inter nos constaret, quod manducandi & bibendi verbum in hac controuersia non sit propriè sed figuratè intelligendum, & pro spirituali manducatione, quæ sola fide & Spiritu constat, accipiendum, adeo corporalis præsentia carnis Christi in sacramento non desideraretur, vt fidem omnes in cœlum attollerent, & illic animas suas pascendas Christo offerrent. Hoc verò tam clarè & altera illa Augustini sententia ostenditur, vt quia illam tu pro te citaueris, parum mentis habuisse videaris. *Non ergo*, inquit Augustinus, *timeamus manducare istum panem, ne forte finiamus illum, & postea quid manducemus non inueniamus. Manducatur Christus, viuit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus, & quidem in Sacramento sic fit, & norunt fideles, quemadmodum manducant Christi carnem, vnusquisque accipit partem suam, per partes manducatur, & manet integer totus, per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in cœlo.*

Scarga curclara Augustini verba non intelligat.

Obsecro te per Deum immortalem, Petre, vt sobrij & attenti hominis vel ad momentū cogitationem suscipias, & quid Augustinus his verbis velit, diligenter perpendas. Tradit perfectam & absolutam de manducanda carne Christi doctrinam, & ita quidem prout in Sacramento fidelibus

Augustini locus explicatur.

proponitur manducandi. Ac Sacramentum quidem cum ex duabus partibus constet, sic per mysticam & sacramentalem vnionem istas partes coniungit, simúlque à fidelibus percipi vtrasque tradit, vt quod ad locorum attinet intercapedinem, Sacramentum quidem manibus fidelium tractetur, oréque ipsorum percipiatur: Christus autem fide manducatus, totus & integer sit in cœlo. Scarga autem hæc Augustini dicta sic explicat, vt sub qualibet speciei parte Christum integrum in cœlo manere asseueret. Sed quia impudenter hoc de suo apponit, quod nusquam loquitur Augustinus, nullam etiam meretur fidem. Hoc enim verissimè sentit, quod & nos profitemur, Augustinus, sic nimirum in Sacramento à fidelibus manducari Christum, vt cum integer sit in cœlo, neque in pane aut vino delitescat, non minus tamen verè se participandum offerat credentibus, quam vere Sacramenta manducant, fides enim est, quæ in cœlum semper erecta, spiritualis vitæ succum ex corpore Christi percipit, & per Sacramenta, tanquam per scalas ad hauriendum illud cœleste lumen sese subleuat.

Scarga Augustiniſen tentiã pra uo interpretamento corrumpit.

Augustin⁹ eiusdem sententiæ cũ Euangelicis.

Solos ergo fideles nosse asserit Augustinus, quemadmodum manducent carnem Christi, vt sine fide nullum corporis Christi fieri posse participem ostendat, quamuis Sacramento participet: frangunt autem fideles & per partes manducant Christum, neque tamen partes ex illo faciunt, quia quid Sacramento competit, & quid item Christo, soli optimè discernunt, neque res naturas diuersas confundunt. Dicitur enim Christus frangi, distribui, & per partes manducari, sed in Sacramento, vt hoc quidem fractioni sit obnoxium:

Corpus Christi quomodo frangi dicatur.

Christus

Christus autem minimè diuidatur, vt pote qui non carnali sed spirituali modo per fidem manducetur. Ac propterea quoties caro eius dicitur videri ac palpari, & in partes diuidi, oréque manducari, id ad solum pertinere videtur semper Sacramentum, quod corporis quidem rectè & competenter, sed impropriè nomen accipit. Omnes enim scriptores antiqui sic cum externo & visibili elemento rem ipsam significatam coniungunt, vt tamen sub nullos humanos sensus eam cadere profiteantur. Hoc verò & peruulgata illa, quam in templis vestris pleno roboaris gutture, testatur cantio: *Nulla rei fit scissura, signum tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.* Inde verò facilè perspicitur, nullam certam & exploratam de hoc Sacramento vos habere doctrinam, tantáque opinionum varietate circumferri, vt aliud quidem in pectore retineatis, aliud autem ore efflare soleatis.

Eius cantionis autor esse fertur Thomas Aquinas: conti net quędã blasphema.

Nicolaus enim Papa, hanc legem in Palinodia Berengariana vobis tulit, vt nisi in suspicionem hæreseos venire velitis, Christum sensualiter manibus sacerdotum, & non solum Sacramentum, contrectari ac frangi, credere cogamini. Ergo aut cantionem illam tanquam erroneam & hæreticam ex templis vestris explodite, aut potius impium hoc & stolidum Pontificis Romani deliramentum reiicite. Neque enim Christus, vt pote integer permanens in cœlo, aut manibus hominum contrectatur, aut cibandi ventris gratia frangitur, sed sic in Sacramento distribuitur, vt hoc quidem solùm sensualiter frangatur ac manducetur, Christus verò nonnisi fide percipiatur. Nec verò longa locorum spatia, quibus

Christus amplius non moritur Rom. 6 veriu 9. multominus dentibus frangitur.

hæ res terrenæ ac cœlestes à se inuicem sunt dissitæ, quicquam afferunt impedimenti, quominus vno ac eodem tempore id fides apprehendat, quod terrena illa & aspectabilia sensibus renunciant. neque enim hæc aut naturæ aut humanæ industriæ sunt opera, sed virtus sancti æternique illius Spiritus hoc efficit, vt nos cum Christo coniungat, & omnibus illis bonis, quæ ex sacro eius corpore vbertim profluunt, abundé perfundat. In cœlum ergo fide conscendamus oportet, in quod ingressus est Pontifex noster magnus, vt vitam & virtutem carnis ipsius viuificam in nos deriuemus, sanctitatisque & innocentiæ eius participes æternum cum ipso Deo coniungamur. Cuius quidem coniunctionis & vnitatis cum Deo nostræ solus Spiritus sanctus est administer & vinculum, sic nos fide instruens & virtute sua cum carne Christi coniungens, vt sicut ille vnum est cum Patre, ita & nos in vnam cum illis coalescamus societatem, ac propterea immortalis & æternæ vitæ efficiamur participes. Nemo enim, teste Apostolo, potest dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum sanctum, & qui Spiritum Christi non habet, hic non est Christi. Quod autem Christus ita sit fons omnis iustitiæ & sanctificationis nostræ, per virtutem & efficacem Spiritus sancti operationem, vt non aliter tamen nisi per fidem cum illo coniungamur, hoc ipse testatur Christus, cum sic ad Patrem loquitur: Non pro eis tantùm rogo, sed & pro iis, qui crediturí sunt per sermonem eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis sint vnum.

Quæ sursum sunt quærite, sapite. Col. 3.1.2.

1.Cor.12.3.

Fideles omnes oportet vt vnum sint in Deo & Christo. Iohan. 17.

Quocirca magis deploranda est, Petre, ista tua petulans

petulans & intempestiua iocandi libido, qui fidei sanctæ insultans, illam ab anima hominis abstrahendam putes, si illa à contuitu terrenarum rerum auersa, atque in cœlum defixa, illic Pontificem æternum Christum inquirat, in illáque cœlesti proposita mensa, ad quam Discipulos suos ac cubituros promisit Dominus, corpore & sanguine Christi se satiat, támque salutari pabulo reficiat. Non abstrahitur enim fides ab anima, neque anima à corpore, dum corporis quodammodo oblita, & in sacrarium cœleste ingressa, omnes bonitatis & gratiæ Dei thesauros in vno Christo repositos contemplatur. Nisi tu forsan animam Pauli in ecstasi Pythagorica, sicuti iocaris, tunc fuisse putas, quando se cum Corinthiis absentem corpore, præsentem spiritu dixit, vt incestuosum illum hominem ex contubernio fidelium exterminaret. Sed non miror nullas vos fidei in percipiendo Christo tribuere partes, neque in cœlum erectas attollere mentes, quando de solo ventre pascendo soliciti estis, & sic ore ac reliquis corporis instrumentis Christum manducari perhibetis, vt ne mures quidem ab hac esca repellatis. Nos autem Apostolo teste conuersationem nostram in cœlis esse scientes, vnde & Saluatorem nostrum expectamus Iesum, sic illi pascendas offerimus animas nostras, vt non in his terrenis elementis subsidamus, sed fidem in cœlum vsque attollentes, viuificum spiritualis vitæ totiúsque hominis interioris alimentum ex corpore Christi percipiamus. Nam quod attinet ad naturalem corporis eius præsentiam, ipsum quidem in terris absentem verè asserimus: : quod autem ad virtutem sancti Spiritus spectat, qui Christi nos per fidem parti-

Scarga inceræ pietatis irrisor. 1.Cor. 5.

Philip 3.2

Christus corpore suo nõ nisi in cœlo est.

cipes facit, verè præsentem, atque adeò in nobis inhabitantem credimus.

Sed tibi, Petre, homini prophano & tantorum Dei mysteriorum ignaro, hæc adeò paradoxa & incredibilia videntur, vt me inconstantiæ ac leuitatis accusare non verearis, quod tibi omnino contraria ac inuicem pugnantia profiteri videar. Nam præsentiam corporis Christi in Sacramento per virtutem & potentiam Spiritus sancti agnoscere, & fidem ad percipiendum corpus Christi in cœlum attollere, hęc omnino secum pugnare, ac inter se dissidere tibi videntur. Verum si perpenderes omnia cœlestia ac spiritualia in hac peragi Cæna, & quod celebrantes illam, non in terra, sicut loquitur Chrysostomus, amplius consistimus, sed subitò in cœlum transferimur, adeò nullam in verbis meis diserepantiam agnoscerés, vt potius pulchrè omnia secum consentire iudicares. Nulla enim alia subest causa, cur corpus Christi verè præsens in Cœna sua profitemur, & nihilominus fidem in cœlum percipiendi corporis huius gratia erigendam docemus, nisi quod hęc Cœna tota est spiritualis & mystica, sicque nos externo pascit & potat cibo, vt tota interim mens in cœlum erecta virtute diuini Spiritus, corpori & sanguini Christi communicet. Appositè ergo Chrysostomus mensam istam non graculorum, sed aquilarum perhibet esse, nihilque cum terra eum debere commune habere docet, qui ad hoc corpus accedit, verum ad superiora ei esse volandum, ac oculum mentis acutissimum, quo iustitiæ solem intueatur, adferendum esse.

Sed te, Petre, carnalis quædam & crassa cogitatio à vera sacrarum rerum intelligentia auocat, qui ex rerum naturalium cursu virtutem diuinorum operum mertiis hæc illis similia nimis imperitè iudicas. Talem enim constitutionem partium in Sacramento requiris, qualis est homo ex anima & corpore constans, vt si anima sit in cœlo, corpus autem in terra, nequaquam verus homo constituatur. Sic neque Sacramentum integrum fore putas, si panis proponatur in mensa, & corpus Christi in cœlo existat: atqui diuersa ac longe dispar vtrobique est coniunctionis ratio: illa enim est naturalis, hæc sacramentalis & mystica, ac propterea ab illis naturæ legibus quæ aliquid vnum ex partibus constituunt, exempta. Nunquam enim panis cum corpore iungitur ipsa re, atque corporaliter, sed tanquam signum cum re signata, quæ vnum loci contactum minimè desiderant. Itaque qui hominem alloquitur, non diuersa locorum occupat spatia, vtsecorsim aliquid cum corpore, & seorsim cum anima agat, quando in vno & eodem totus homo consistit subiecto. At qui Sacramenta percipit, si non vltra corpoream creaturam, secundum Augustini doctrinam, mentem in cœlum attollit, vt re ipsa celesti perfruatur, hic carnali animæ seruitute detinetur, neque vllum ex Sacramentis percipit fructum. Sacramenta enim semper ad eos habent respectum, quorum sunt causa instituta, vt nisi fidem afferant qui eis communicant, externum hi quidem corticem, aut putamen attingunt, nucleo autem ipso minimè vescuntur.

Quod autem Sacramenta sic semper cum suis rebus significatis sint coniuncta, vt res cœlestes, quas repræsentant, procul à terris positas, in cœlesti illa gloria quærendas insinuent, vel illa consueta, & in omnibus vestris sacris vsitata commonefactionis formula, qua vniuersum ad erigenda sur-

Scarga discrepantiam Volano impudenter obiicit.

Cœna Domini tota spiritualis & mystica.

Iesuita carnalis nihil nisi carnalia cogitat.

Corpus Christi nuquam cum pane vnitur.

sum corda adhortamini populum, vos instruere poterat, vt ne in pane Christum quæreretis, sed in cœlesti gloria regnantem, fide pura, ac corde syncero contingere studeretis. Sed quia vniuersa vestra religio ad ludificandum miserè populum est composita, neque illi peregrinum, sibique ignotum vocis sonum intelligunt, neque adhortationibus vestris fictis ab execrabili idololatria deterrentur. Nam tantum abest, vt corda sursum attollant, vt in terram prouoluti, signa pro ipsis rebus accipiant, & non panem, sed Deum se conspicere, adoraréque profiteantur. Hæc verò tanta vobis conniuentibus cum passim vigeat impietas, quæ verum ac legitimum omnipotentis Dei oppressit cultum, tamen sine omni pudore vos catholicæ veritatis assertores, & priscæ sanctæque illius puritatis propugnatores iactare non desinitis. At vel saltem Nicenæ synodi Canon vanam iactantiam vestram redarguit, & non sine summo scelere proposita elementa à vobis adorari conuincit. Prohibet enim hic, *ne in propositum panem & calicem humiliter intenti simus, sed elenata fide, mente contemplemur in illa cœlesti mensa immaculatum agnum Iesum.* Nec dissentit ab eo Athanasius, qui sic loquitur: *Hæc de causa ascensionis in cœlum filij hominis meminit, vt corporalem cogitationem ab illis auelleret, & post hac discerent, carnem de qua fuerat locutus, cibum è supernis cœlestem, spiritualem alimoniam ab ipso dari.* Huic verò suffragatur Augustinus in eo quem citas, sed contra te loco: *Sursum*, inquit, *est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, in vno loco esse o-*

Papistæ peregrina vtentes lingua, surdis fabulas narrant.

Nicænum Cõcilium quid de sacramento corporis D. senserit.

Athanasius in libro quo explicat: Qui dixerit verbũ contra fil. hom.

loco esse oportet, veritas eius vbique diffusa est.

Porrò ex his omnibus veterum Patrum sententiis facilè colligitur, quam illi corporis Christi præsentiam in Sacramento agnouerint: hanc nimirum, quæ mente in cœlum eleuata, sola fide percipitur, & quæ spiritualem ac cœlestem alimoniam animæ suppeditat, non quæ corporalem ori ac ventri escam tribuat. Quare quos ordine longo recitas Patres, vt corporalem ac realem Christi præsentiam in Sacramento statuas, illi verò omnes vno profitentur ore Christum quoad veram carnis humanæ substantiam, non alibi nisi in cœlo existere, & verè tamen in Sacramento, sed spirituali participatione se manducandum fidelibus exhibere. Noli ergo expectare, vt singulos ordine recensem, & in aperiendo vero eorum sensu, non necessariam operam desumam, quando quæcunque abs te citantur, huc tendunt omnia, vt qui Sacramenta oculis exposita contemplantur, eáque percipiunt, non dubitent, vna cum eis se corpus quoque Christi & sanguinem spiritu ac mente credendo manducare. Quod quidem cum extra omnem controuersiam positum esse non inficiemur, nulla etiam sanctorum Patrum dicta istud testantia refellimus, imo cupidè ac libenter ea amplectimur. Nam calumniam vestram, qua immeritò nos toties grauatis, multis iam argumentis refellimus, non imaginarium nos aliquod corpus, sed verum ac naturale, quod pati ac mori pro nobis potuit, agnoscere, ídque in Sacramento nos verè, sed sola fide ac spiritu manducare.

Patres nihil pro se facientes Scarga citat.

Cur non ad singulos Patres author respondeat.

Quod si propterea imaginarium corpus reputatis, quia fide ac spiritu, non autem ore manducatur, ne ipsi quidem hanc erroris notam effugere

poteſtis, qui præter corporalem corporis Chriſti manducationem, alteram quoque ſpiritualem, eámque ſolam viuificam ac ſalutarem ſtatuitis. Ita verò ſecũdum opinionem veſtram, vnum corpus Chriſti erit verum ac naturale, ſed infru giferum, quod ore percipiatur: Alterum autem imaginariũ, ſed ſalutare ac viuificum, quod ſpiritualiter manducetur. Sed quia vnũ ſaltem corpus infirmitati obnoxium Chriſtus habuit, ídque in mortem pro ſalute generis humani tradidit, hoc vtique vnum, verum, ac naturale, non imaginarium proponit fidelibus in vitam manducandum. Et quia ſola ſpiritualis manducatio, vobis etiam teſtantibus, ſalutem & vitam affert, non aliter ergo verum Chriſti corpus, quando aliud eſſe nequit, quàm ſpiritualiter manducatur. Ita verò futiles veſtrę fallaciæ, in caput veſtrum vbique recidunt, & doli quos argutè nectere alijs videmini, vos ipſos irretiunt.

Vnum tamen eſt quod neque diſſimulare poſſum, neq; volo, duos à vobis celebratiſſimos proponi ſcriptores, nempe Hilarium & Cyrillum, ex quorum ſcriptis corporalem carnis Chriſti manducationem apertius vos oſtendere perhibetis, quàm vt à quoquam omnino pernegari poſſit. Nam Hilarius quidem naturaliter Chriſtum in nobis habitare ſcribit, eo quod naturam carnis noſtræ iam inſeparabiliter ſibi natus homo aſſumpſerit, & quod naturã carnis ſuę ad naturam æternitatis, ſub ſacramento nobis cõmunicandæ carnis ſuæ admiſcuit. Cyrillus autem ex virtute benedictionis myſticę, quæ ſit in nobis, corporaliter Chriſtum communicatione carnis ſuæ in nobis habitare diſertè teſtatur. Nos verò vt ſcripta hæc à piis & eruditis iſtis patribus minimè negamus ita ſi

Hilarius & Cyrillus magna cõfidentia à Ieſuitis obiiciuntur.

ita ſi mentem & conſilium illorum, non verba paulò duriora, aliiſque ſcriptoribus antiquis inſueta perpendamus, ac deinde tempora, quibus hæc ſcripta ſunt, diligenter conſideremus, nunquam eos in tam craſſa opinione fuiſſe, quam vos falsò ac iniquè illis attribuitis, certiſsimis argumentis demonſtramus. Primum enim quando Patres iſti in Eccleſia Chriſti floruerunt, nondum Sacramentorum doctrina, tot fœdis & prauis opinionibus fuit inquinata, quæ poſtea ſenſim irrepſerunt, figmentóque tranſſubſtantiationis, & carnali corporis Chriſti præſentiæ in Sacramento ſtatuendæ aditum patefecerunt: Vſi ergo ſunt veteres liberè durioribus quibuſdam vocabulis, vt naturalem nobis cum Chriſto communicationem eſſe, eúmque naturaliter & corporaliter in nobis habitare aſſererent, neque tamen aliam communicationem, niſi veram illam & ſpiritualem, per quam agglutinamur carni Chriſti, per eámque ipſi Deo agnoſcerent. Acceſſit eò hæreticorum improbitas, vt pote Marcioniſtarũ & Arianorum, qui partim veram Chriſti carnem, partim diuinitatem negantes, hoc ſanctis patribus illis extorſerunt, vt ad oſtendendam & naturæ diuinæ Chriſti cum patre Deo vnitatem, & naturalem veræ carnis nobiſcum ſocietatem, Chriſtum naturaliter & corporaliter ſeſe nobiſcum vnire docerent. Nam quia Chriſtus verè non imaginariè carnem noſtram in virgine aſſumpſit, verè quoque & naturaliter ſeſe nobiſcum coniunxit. Et quia veram carnem habet, eam quoque non ſimulatè nobis donat, ſed ſub Sacramento & myſterio, ídque in eum finem, vt naturaliter in nobis maneat, & ad naturam æternitatis ſuæ nobis communicandę, naturam carnis ſuæ admiſceat, vt per hoc vnum ſi-

Patrescur interdum durius de Euchariſtia loquantur.

Hilarius de Trinitate. lib. 8

mus, quia Pater in eo est, & ille in nobis. *Hæc enim*, (inquit idem Hilarius) *accepta atque hausta id efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit.*

Chrysost. aperte Eucharistiã signum vocat.

In hanc verò sententiam, confutans eosdem hæreticos, Chrysostomus loquitur: *Quando*, inquit, *dicunt hæretici: vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa: mysteria hæc afferentes, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Christus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est?* Nam quod Marcion, Valentinus, Manicheus, eorúmque sequaces negaturi erant hanc dispensationem, in memoriam passionis per hoc semper reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci possit. Sic verò veram Christi carnem sancti illi patres contra hæreticos asserẽtes, cum qua veram & naturalem nobis esse communitatem Sacramenta ipsa declarant, veram etiam inde filij Dei diuinitatem, & naturæ eius cum patre communitatem astruebant, quando sicut vnum est nobiscum coniunctione naturali, & non sola voluntatis confessione Christi, ita sit vnum cum Patre. Hæretici enim, sicut

Hilarius loco supra citato. De Trinitate lib. 8

testatur Hilarius, voluntatis tantùm inter Patrem & filium vnitatem mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo, tanquam nobis ad filium, & per filium ad Patrem, obsequio tantum & voluntatis religionis vnitis, nulla per Sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur. Inde autem apparet,

Cyrillus in illud, Ego sum vitis.

quo sensu dixerit Cyrillus, non sola fide & charitate, nos spiritualiter Christo coniungi, sed etiam secundum carnem corporaliter, non quod alium coniunctionis modum, præter eum, qui constat fide & spiritu traderet, sed vt nos cum Christo non solum tãquam cum Deo per voluntatis obsequiũ, sed etiam tanquam cum homine per communicationem

cationem carnis eius cõiungi doceret. Nam dum istam coniunctionem vrget, illam potissimum testimonio dictorum Christi ex capite Ioãnis sexto confirmat: Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Tu verò, Petre, cum negare non possis, totam illam concionem Christi non aliam manducandæ carnis eius rationem nobis tradere, quàm spiritualem, Cyrilli etiam sententiam non in alium, & à te confictum sensum, nisi malignè & violenter torquere potes. Nam & aliud testimonium ex diuo Paulo producit Cyrillus, qui 1. ad Corint. cap. 5. ostendens nostram in Christum incorporationem, eam sic perfici docet, quando virtute Spiritus sancti per fidem sic coniungimur, & agglutinamur Deo, vt vnus Spiritus efficiamur cum ipso. Ac proinde in sequentis capitis principio Cyrillus modum huius coniunctionis clarissimis edisserens verbis: *voluntaria*, inquit, *est nostra cum Christo conglutinatio, & charitate ac fide percipitur.* Quod autem scribit contra Nestorium in responsione Anathematismi secundi, tale est, quod omnem scrupulum non peruicacibus meritò eximere potest, vt non corporalem carnis Christi manducationem, quæ fiat ore, sed solam spiritualem, quæ perficiatur fide, apertissimè eum docere iudicent. Sic enim alloquitur Nestorium. *Num*, inquit, *ἀνθρωποφαγίαν nostrum hoc Sacramentum pronuncias, & irreligiosè ad crassas cogitationes vrges eorum qui crediderunt, mentem, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inexquisita fide percipiuntur?* Abi nunc Scarga, & Cyrillum errori tuo fauere clamita, qui omnem hanc crassam corporis Christi manducationem, quam

Cyrillus Papistis contrarius.

Cyrillus ad obiectiones Theodoreti.

tu somnias, tam clarè repudiat, vt solam fidem tã-
æ rei capacem esse manifestissimè doceat.

Nihil ergo agis, qui in societatem pernicios & non ferendi tui erroris, totam illam piam & eru-
ditam antiquitatem trahis, quæ certum longo tempore tulit veritati testimonium, eámque ad omnem posteritatem transmisit doctrinam, quæ Satanæ fallaciis & variis sophistarum artibus obscurari quidem potuit, opprimi certè non potest. Ac nisi incrassatum cor tuum esset, & perpetua consuetudine mali induratum, neque oculos tuos ad tam apertam lucem clauderes, neque aures voci Domini fortiter eas ferienti obstrueres. Sed quia mulier illa de poculo suo te inebriauit, quæ venenũ pro salutari potu amatoribus suis miscet, minimè miror istum mentis stuporem, qui te oppressit excutere non posse, neque aciem ingenij in ea quæ plena veritatis luce collustrata sunt, intendere. Itaque quod populus ille impius & rebellis Hieremiæ ab idololatria eum dehortanti responsabat, se videlicet sermonem eius non auditurum, sed quod fecerunt Patres, Reges, & Principes eorum, se quoque reginæ cæli sacrificaturũ: idem te etiam morbus animi detinet, & in promẽdam eam vocem compellit, vt crustulum illud panis te corpore & anima dicas adoraturum, omniáque externi & interni honoris officia illi exhibiturum. In primis autem beatissimo orbis terrarum pastori Vrbano multas te agere etiam nunc gratias dicis, animæque eius bene precaris, quod vos illa instituta celebritate, contra Berengarianos hæreticos armauerit, & processionum arcum triumphalem vobis erexerit. Nos verò cum Prophera execrandam vestram idololatriam, & in impietate pertinacem accusantes perseuerantiam vobis,

Antiquitas tota Papanæ opinioni aduersatur.

Hierem. 44. 15. 16

Scarga idololatriæ propapatori Vrbano 4. læta quuis a puc Plutonum precatur.

vobis contra occinimus: Ecce quia non poterat vltra Dominus portare, propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes, quas fecistis, facta est terra vestra in desolationem & stuporem, & in maledictum. Propterea quod sacrificaueritis idolis, & peccaueritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in præceptis eius non ambulaueritis, idcirco euenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc. Ibidem Ier. 22. 23.

Vósne, Iesuitæ, vnius hominis impij Vrbani institutum tãti facitis, vt derelicto vnius æterni viuentis & immortalis Dei cultu, crustulo panis, vel albedini ac rotunditati eius, quia hæc sola reliqua manere dicitis, diuinos honores exhibeatis? Angelus ille cælestis Spiritus, & mysteriorum Dei Iohanni Apostolo missus interpres, externam etiam corporis adorationem sibi exhiberi non sustinuit, & ad solum adorandum Deum Iohannem remisit. Vos autem tam impij ac scelesti eritis, vt albedinem ac rotunditatem panis, non solùm externo corporis habitu, sed & interiori cordis affectu vos adoraturos profiteamini? O execrandam impietatem, & grauissimo æternę damnationis supplicio meritò puniendam! Et quam frugẽ ab istis expectes, aut quam spem de restaurandis Ecclesiæ ruinis istorum cura ac studio concipias, qui & impias ac blasphemas in Deum eructant voces, & abominandæ idolatriæ sedulos sese præstant artifices? Nam si dicant se adorare Sacramentum, Augustinus carnalem animæ seruitutem vocat, signa pro rebus quæ his significantur, accipere, & supra corpoream creaturam, mentem ad percipienda cælestia dona non attollere. Nulla enim creatura citra impietatẽ, & creatoris ipsius contemptum adorari potest. Inuectiua in artolatras. Apoc. 19. 10. & 22. 9 Sacramẽta iuxta Augusti. num non sunt adorãda.

Quare quam sententiam Scarga ex eodem Augustino profert, qui neminem illam manducare carnem perhibet, nisi prius adorauerit, adeò nihil contrarium priori Augustini sententiæ producit, vt illam magis stabiliat. Neque enim Sacramentum, sed carnẽ Christi adorare iubet Augustinus, vt verè manducetur. Ita autem demum caro Christi adoratur, ac proinde verè mãducatur, si fides in cælum erecta nõ in terram, nec in Sacramenta depressa, Christũ in cælo regnãtẽ cõspiciat, mortísq; ac inferni victorẽ in intima cordis penetralia recipiat. Hoc verò pacto sanctum Domini corpus semper fuit ab omnibus piis in Eucharistia adoratum, vt qui teste Chrysostomo, non in terra, sed in cælo Cœnam Dominicam peragi reputarent, ac proinde à sensibilibus ad intelligibilia in cælum ipsum mentem attollerent. Quod si qui fide parũ exercitata hic aliquando lapsi sunt, sicuti hunc locum nimis lubricum non temerè præmonet Augustinus, eóque morbo gentem Iudaicam laborasse ostendit, nos quidem mentis eorum errorem deploremus, neque quod malè factum agnoscimus, nobis imitandum proponamus. Stultum enim est, ex consuetudine hominum mala, & non legitima diuini instituti vsurpatione, regulam aliquam iuris constituere, & tanquam certam agendi formam omnibus præscribere.

Caro Christi non carnis figura adoranda.

Ex hominum consuetudine Lex non facienda.

Notius enim est, quàm vt longa commemoratione indigeat, ipsis etiam Apostolorum temporibus, hanc sacram Cœnam nœuis quibusdam fuisse conspersam, vt non temerè diuus Paulus Corinthios reprehenderit, & ad institutum Domini dili genter reputandum reuocauerit. Neque tamen efficere potuit, quin sequens ætas inconsiderato

1. Cor. 11.

zelo,

zelo, ab instituto Domini deflexerit, & pro communi omnium fidelium mensa, priuatum quoddã epulum instituerit: donec ad extremum hunc & abominandum abusum sit peruentum, vt pro synaxi & communione, tristis quædam populi Dei excommunicatio sit introducta. Sacrificus enim ad aram adstat vnicus, & post nescio quos gestus ac saltus indecoros, vnum se pascit & potat, reliquã vero fidelium turbam ab eo conuiuio excommunicat. Nec pudet istos antiqua rerum retinere vocabula, cum rem ipsam pœnitus sustulerint, & tanquam non necessarium Christi institutum exploserint.

Missa Papistica excommunicatio est populi.

Quare quæ hic de asseruatione panis Eucharistici propter infirmos producis testimonia & exempla, vt antiquum in Ecclesia morem ostendas, non equidem factum pernego, sed nec salubri consilio, & cum maiore Ecclesiæ dispendio, quam fructu morem illum inoleuisse prædico. Nam cum Sacramenta ita demum certum salutis fœdus in animis fidelium obsignent, quia promissio gratuitæ diuinæ beneficentiæ illis est annexa, nũquam profectò vel rite à quoquam percipi, vel munere suo perfungi possunt, si non promissionis diuinæ verbum, quo solo elementa sanctificantur, à prophanóque vsu separantur, & simul auribus fidelium intonet, & fidem in eis ad percipienda dona cœlestia excitet. Vt quid ergo attinet seruari & in arculas recõdi panem, qui nunquam tamen sanctificatur, nisi accedente verbo, cui secundum Augustinum fides adhibeatur, & qui ex eo genere sit signorum diuinitus institutorum, quæ in ipso eorum vsu, aut certè post eum subitò absumuntur, vt testatur idem Augustinus in libro de Trinitate tertio, capitulo decimo. Efficit itaque panis as-

De panis Eucharisti asseruatione.

Panis asseruatio quæ incommoda pepererit.

seruatio, vt sine vlla tanti mysterij explicatione, quæ non nisi solo diuinæ institutionis efficitur verbo, non tam Sacramento, quàm profano & cõmuni vescerentur homines pane, magnóque quodam violati instituti Christi se crimine obstrigerent. Nam præterquam quod verbum Dei, & claram paterni amoris testificationem ab ipsõ elemẽto abstraxerũt, & præposterè externis symbolis salutem alligauerunt, priuatum etiam sibi epulum, pro communi fidelium mensa, contra mentem & consilium Spiritus sancti instruxerunt. Natura enim & significatio tota Sacramenti huius hoc sibi vult, vt communem omnia membra salutem ab vno capite Christo in se defluentem hac sacra actione testificentur, vnitatémque suam & vinculum charitatis, quo fideles omnes colligari oporter, obsignent.

Eucharistiæ vsus.

1. Cor. 11.

Quod si Apostolus turmatim quosdam hanc Cœnam celebrantes, sed à reliquo tamen corpore Ecclesiæ sese segregantes, acriter obiurgauit, & polluti mysterij Christi grauiter reprehendit, quid putas nunc faceret, dum in omnibus templorum angulis, singulos sacrificos priuatum ientaculum sibi præparantes, & excluſa reliqua turba solos conuiuantes conspiceret? Panis, inquit ille, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, nam omnes ex eodem pane participamus.

1. Cor. 10. 16. & 17.

Priuata cœna iam inde ab initio à Paulo reiecta.

His verò verbis Apostolus omnem priuatarũ Cœnarum vsum manifestè tollit, & nonnisi in cõmuni fidelium societate hæc sacra mysteria peragẽda tradit. Quibuscunque ergo olim veteres adducti rationibus, Sacramenti reliquias domi asseruarũt, vt ægrotis vel pueris exhiberent, nonnisi prauo instituto & inconsiderato zelo, id ab illis factum fuisse

fuisse ipsum Christi institutum redarguit, & consuetudinem male vsurpatam meritò abrogandam docet.

Veterum de asseruandis Cœnæ reliquiis variæ ten.

Neque tamen veterum omnium de reliquiis Sacramenti asseruandis vna & concors sentẽtia fuit, vt alij quidem Eucharistiæ asseruationem intra tridui spatium concluserint, alij ne in crastinum quidem diem asseruandam existimauerint. Origenes autem in Leuiticum scribens, nihil omnino Christum præcepisse dicit de Eucharistia asseruanda, dum primum hanc Cœnam instituere, & cum discipulis suis celebraret. Verum quocunque tandẽ consilio Eucharistiæ asseruationem veteres approbauerint, non in alium tamen finem & vsum eam asseruatã tot exempla declarant, nisi vt illius participatione memoriam redemptionis suæ per mortem Christi acquisitæ recolerent, non autem vt Sacramentum loco Dei erigerent, quod omni diuino cultu honorandum existimarent. Nam si mulierculis etiam in capsulis vel ciſtulis illud asseruare, aut pueris ad ægrotos deferre licuit, vel inde patet, nullum talem apparatum & adorationis cultum, Sacramento fuisse exhibitum, qualem postremo demum seculo infelix Romanorum Pontificũ ambitio inuexit, & nouis subinde accidentibus institutis artolatriam cumulauit. Honorius enim primus de asseruanda honorifice hostia, & ad cultum impiè prostituenda, legẽ tulisse traditur, quẽ nõ lõgo post subsequutus tempore Vrbanus quartus, tãdem festũ illud Corporis Christi instituit, in quo cum magna pompa & veneratione summa crustulum illud albicans panis adorandum omnibus prostituit. Qua idolatria haud scio an magis impium quicquam tota gentium superstitio inuenire potuerit: dum quem honorem & cultum per er-

Vide Turtullianum ad vxor. & Euseb. Hist. lib. 6. cap. 44.

Hoc fuit anno 1264 in gratiã cujusdam Euæ reclusę factum.

rantes agros & vrbiũ plateas, olim Dianæ vel Isidi aut Cereri Ethnici exhibuerunt, hosce omnes ritus ad circumducendum illum suum Deum, & hostiam circumforaneam summis omnibus prosequendam laudibus belli isti Pontifices ab illis mutuati sint. Nam quæ veteres poëtæ de impuris illis sacris & cultu istarum Diuarum scripta reliquerunt, adeò papisticis inuentis omnia consonant, vt ab vnico omnis erroris & mendaciorum magistro vniuersa hæc impietas prognata esse videatur.

Papistica idolatria ethnicæ per omnia similis.

Apuleius quidem totam illam theatricam describens pompam, in qua Ægyptij Dianam vel Isidem omni venerationis cultu prosequuti sunt, nihil omnino proponit, quod non ad amusim huic solennitati, & spectaculo, quod in festo corporis Christi exhibent Papistæ respondeat. Scribit enim Sacerdotes simulachra Deorum, vel exuuias portantes, capillo deraso & vertice prænitentes incedere, & candido linteamine contegi. His attribuit fœminarum turbam, quæ candido itidem splendẽtes amicimine, vario lætantes gestamine, verno florentes coronamine, qua sacer incedit comitatus, solum flõsculis sternunt. Nec deest magnus præterea vtriusque sexus numerus, qui lucernis, tedis, cereis, & alio genere ficti luminis, syderum cælestiũ stirpem propiciant. Symphoniæ dehinc suaues, fistula, tibiáque modulis dulcissimis personant. Eas amœnus lectissimæ iuuentutis, veste niuea & catacliſta prænitens, sequitur chorus, carmen venustum iterantes. Nec mora, inquit, quum Dij dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. Ex his verò omnibus, quæ scribit Apuleius, facilè quisque animaduertere potest, fraude & astu Satanæ vniuersam denuo idolatriam in mundum esse

Isidis Ægyptiæ sacra quo ritu peragebantur, eodẽ Papistici crustuli nũc celebrantur.

Satan quibus artibus idolatriam rursus reuocet.

reuocatam,

reuocatam, quam tamen sub regno Christi aboleri & exterminari oportebat. Nam quæ stolidas olim gentium superstitio occupauerat mentes, vt ficta numina pro vero æternóque colerẽt Deo, nec pio cordis affectu, puritatéque mentis, sed externo corporis habitu, & ludicris cęremoniis Deos venerarentur, hæc nunc omnia in orbem Christianum, non sine summo dolore nostro, introducta conspicimus. Perlustret quisque oculis, aut mentẽ defigat in totum illum religionis apparatum, quo se rite perfungi Romana hodie arbitratur Ecclesia, & nihil inueniet, quod à pura, integra, incorruptáque proficiscatur mente, sed omnia ad demulcẽdos & exhilarãdos corporis sensus magno quodam artificio composita deprehendet. Nam quid aliud sibi vult varius ille & operosus in templis cãtus, quid ille crassorum sacrificorum ruditus, quid tibiarum & tintinabulorum strepitus, quid suffumigationum suauis odor, quid auri, quid argenti, & purpuræ splendor, quid tot facium ac tedarum collucentes flammæ, quam vt mens ab omnibus corporis sensibus distracta securè lasciuiat, & variis perfusa voluptatibus, nec peccati vllo tangatur sensu, neque se Deo humiliet? Ac profecto iusto Dei iudicio hoc mentis stupore homines oppressi sunt, quando commenticia quæ colunt idola, nõ alium etiam quàm vanũ & simulatũ religionis cultum merentur. Nam sicuti quem portant & baiulant Deum, omnibus captum membris, omníque carere sensu apertè demonstrant, sic dulcibus illi cantilenis obstrepentes, variósque odores illi cientes, & flores spargentes, ludibrio illum se habere profitentur, quando surdus, cæcus ac mutus, omnísque motus expers, nullo rerum iucunda rum sensu afficiatur.

Cæremoniæ Papanæ ad delectandos sensus cõpositæ.

Deus Papisticus idolum manu & fragile.

Papistarũ stolida, impiáque de Deo & diuis persuasio.

Quod autem isti nugantur, nõ simulachris, sed eorum prototypis istum venerationis præstari cultum, maiore etiam impietatis scelere se obstringunt, qui Deum aut sanctos eius fallacibus mundi oblectamentis, & euanidis voluptatum illecebris capi vel demulceri sentiunt. Nam si sancti omnẽ huius mundi fastum fortissimè conculcauerunt, si spretis omnibus corporis voluptatibus, facta carnis spiritu mortificauerunt, si per crucem & afflictionem contendendum sibi in patriam illam cœlestem crediderunt, non possunt nũc profecto nisi vehementer hęc abominari, quæ stultorũ saltẽ hominũ mentes titillant, à prudentibus autem semper contemnuntur. Quæ verò prudentium hominum ad virtutem bene informatus animus aspernatur, hæc qui ipsi obtrudunt Deo, aut talibus nugis numen eius placari sentiunt, digni sunt qui mente, omnique iudicio careant. Vnde rectissimè illud scriptum reliquit Lactantius: *vestes, gemmas, & cætera, quæ habentur in precio, si quis putat Deo chara, is plane quid sit Deus nescit, cui putat voluptati eas res esse, quas etiam homo, si quis contempserit, iure laudabitur.* Verùm, vt Papistæ Antichristo, Deóque ipsius Maosim se deseruire testificentur, id factis exprimant oportet, quod Daniel olim fore prædixit, vt adorent Deum Maosim, & Deum quem patres ipsorum ignorauerunt, colant auro & argento & gemmis, aliisque rebus preciosis. Nec leue tanti sui operis, teste eodem Propheta, omnes huius Dei sacerdotes percipiunt præmiũ, qui agnouerit eum, inquit, honoribus augebit, & Dominũ multorũ faciet, & terram precio distribuet.

Lactãtius diuinarũ institutionum li. 6

Daniel 11. v. 38.

Ibidẽ v. 39 Auro Deũ colere Christianos decere.

Quare cũ nihil minus pietati Christianæ cõueniat, quàm vestibus auro & gẽmis nitentibus, tibiisq; ac tympanis cultũ exhibere Deo: Antichristum

stum autem talem venerationis cultum Deo suo exhibiturum vaticinati sint Prophetæ, vel inde omnes sani cognoscãt, quid de illo Deo sentire debeãt, qui tanta põpa, tantóque opũ apparatu circũducitur, & qui in auro & argento miseræ ac stolidæ plebeculæ adorandus proponitur. Ac nisi mentes hominum essent excæcatæ, & penitus à doctrina Euangelica scripturarúmque sanctarum lucidissimis testimoniis auersæ, facilem & expeditam cognoscendi falsi Dei haberent rationem: quando quod corrumpitur, vel in angusto loci spatio concluditur, id ad infinitam Dei potentiam & æternã illius maiestatem extendi nequeat. Neque enim in manufactis templis Deus habitat, neque Deus est, qui muretur, aut corruptioni & interitui subiaceat. Isti autem miseri ac stolidi homines, quem Deum pleno gutture clamitant, in exigua aliqua capsula vel pixide reponunt, & adeo à corruptionis iniuria non vendicant, vt murem etiam exiguum hostem in exitium eius imminentem non sẽper arcere queant. Itaque miserum hoc animal si quando Deum hunc arrodit, aut omnino consumit, crudeliter laniant, & in partes dissectũ flãmis adurunt, in cinerẽsque redactum, in sacrarium recondunt. Hoc enim volunt sibi leges, quas egregij isti ceremoniarum magistri, in Rationalibus diuinorum officiorum descriptas conseruant, & diligẽter exequẽdas demãdant. Si, inquiunt, custodis negligẽtia incuriaue, à muribus aut vermibus alijsq; id genus bestiolis, eo sum sanctificum crustulum aut exesum fuerit, ac deprehendi bestiola poterit, quæ ipsũ eroserit, exederitue, corpus ipsius incidũto, incisæ bestiolæ ore & intestinis diligenter exploratis, si quæ inueniantur cibi reliquiæ, easdem

Act. 7. 48.

Guillielmus Durãdi in Rationali, li. 4. partic. la Canonis 7.

extrahũto, extractas pariter reliquias recolligũto, & in sacrariũ cũ exustæ bestiolę cinere reponũto. Ex his verò tam præclaris legibus attendat obsecro quisque, quidnam huic Deo tribuendum putet, qui vel situ ipso ac vetustate putrescat, vel ab exigua quauis deuoratus bestiola intereat.

Et non pudet vos, Iesuitæ, tantæ impietatis, tantique sacrilegij autores esse, vt rem vilem, atque vsu ipso depereuntem, aut situ in exiguum aliquem puluisculum, vel in tineas redigendam, omni pietatis cultu adorandam, próque Deo ipso, aut sacro Christi corpore credendam præcipiatis? Corpus quidem Christi semel in vtero sanctę virginis, virtute Spiritus sancti conceptum credimus, idque morti traditum & sepultum, sed ne in sepulchro quidem corruptioni obnoxium, vitæ æternæ & immortali restitutum, ac in cœlos receptum profitemur: at quod subinde corrumpitur, aut à bestiolis deuoratur, nihil cum Christi corpore habere commune rectè sentimus. Videte ergo, quam Christo iudici ante tribunal eius rationem sitis reddituri, pro tam immani idolatria, tantáque sanctissimi corporis eius dehonestatione, vt qui illi debebatur cultus, id vos ad murium escam impiè transtuleritis. Experiemini tunc, sed magno vestro malo, quanta Vrbano Pontifici debeatur gratia, qui impij & scelerati inuenti primus author extitit, totúmque veri Dei cultum hoc fœdissimo artolatriæ erecto vexillo penitus sustulit. Cuius impietatis adeò vos Vilnenses Iesuitæ, non piget, vt frequentiori etiam tanti sacrilegij à vobis introducto vsu, maximus ad corroborandam nefandam superstitionem cumulus vobis autoribus accesserit. Nam quam celebritatem pompæ semel in anno peragendam impurus ille instituit Mona-

Corpus Christi verum non ex pane, sed ex matre virgine natum

Vrbano Papæ 4. crustacei Dei & ipsius pompæ inuentori qualis debeatur gratia.

Monachus, vos noui & veteri Monacho prudentiores magistri singulis mensibus hoc ludicrum spectaculum populo Vilnensi exhibetis, & quicunque hæc sacra frequentant, in societatem nescio quam nouam, & prioribus seculis inauditam, fratrum scilicet corporis Christi eos asciscitis.

Annua pompa in menstruã mutata.

Quousque tandem abutemini patientia Dei, iamdiu vos ad pœnitentiam prouocantis, pœnámque pro ingenti misericordia sua, tanto tempore differentis? An parum erat solem orbis sui spatia percurrentem, summæ impietatis vestræ cõscium facere, nisi & Lunam cursu suo confecto, testem contra vos citaretis? Atqui iamdiu astra, cœlúmque ipsum, hanc impiam ludorum vestrorum solennitatem abominantur, dum non raro fit vt grandes tempestates commoueant, turbinibúsque ac procellis phalanges vestras, per vicos vrbis ocioſè oberrantes, dissiciant. Cui forsan periculo occurrentes, parúmque propicium solem vobis putantes, menstruam hanc pompam pro annua feciſtis, neque iam sub dio, sed sub obscuris templorum tectis hæc orgia vestra celebratis. Verum quibuscunque tandem nominibus ac titulis hanc peruersam, Deóque exosam religionem exornatis, vt commendabilem populo à vobis dementato reddatis, magno opere verendum vobis est, ne ille vnius & eiusdem spectaculi satietate defessus, tandem nauseet, & contemptim reiiciat. Hactenus enim augustiorem illum Deum, qui semel in anno apparere solebat, opinabatur imperita multitudo, quàm vt illi simplices ac nudi, neque tanto auri fulgore in Missa coruscantes Dij, ei comparari possint. At nunc nimia eius familiaritas, & creber iste in vulgum processus, contemptum

Cœlum ipsum ido lolatrię Papanæ infensum.

Vaticinium hoc certo certius implebitur.

pariet, neque dissimilem illi, qui toties in Missa spectatur, omnibus ostendet. Ac propterea sicut iam ferè soli astant ad aras sacrifici, nullos fabulæ suæ habentes spectatores, eueniet proculdubio, vt in simili ludo omni destituantur comitatu, neque sint habituri emptores, quibus suas pulchras quidem, sed veneno illitas venditent merces. Faxit autem Deus omnipotens, vt tandem populi sui misertus, illum Satanæ fallaciis ludificari amplius non sinat, & à vanis huius mundi idolis, ad se vnicum opificem, & creatorem rerum omnium colendum retrahat.

Missæ papisticæ vi les factæ contemnuntur.

Sed mira est Satanæ versutia, & in leuanda tam atroci idololatriæ culpa ingenium nimio plus facundum. Scribit enim Scarga, Christum se in Eucharistia adorare, quem cum verum Deum recognoscat, ab omni vtique idololatriæ crimine, & se & vniuersam Romanam Ecclesiam procul distare securè prædicat. Atqui Christum sic in Eucharistia adorandum, attestante scriptura sancta, omnique pura antiquitate ostendimus, vt externis quidem elementis nullum diuinum cultum exhibendum esse, fidem autem solam in cœlum erigendam, vt illic Christum apprehendat, & vitam ex eo cœlestem hauriat, sanctè, piéque credamus. Hæc enim est vnica ac legitima adorandi in Sacramento Christi ratio, vt sensus quidem externi externa percipiant elementa, sola autem fides Christum mortis ac inferni victorem, regnantem in cœlo conspiciat, seque cum eo, tanquam vitæ fonte coniungat. Vos autem, Iesuitæ, adeò Christum ab externis & visibilibus signis non distinguitis, vt signa ipsa in Christum stolidè & impiè permutata reputantes, iam pro ipso Christo adoretis, neque panem, qui manibus sacrifici portatur,

Christus quomodo adorãdus.

Iesuitæ Christum in panem verti docent, ideóque canũt Non.

tur, sed Deum esse, proh dolor! clamitetis. Fingãtes ergo nouum vobis ex pane Christum, & flatu sacrifici quinqueuerbio creatum, non verum vtique Christum, qui vnicus & integer permanet in cœlo, sed idolum sceleste à vobis excogitatum, non sine summo sacrilegio & nominis diuini dehonestatione adoratis.

Vide ergo Petre, num alium ego, quod tu falsò mihi obiicis, an verò tu, Christum prædices, præter illum, qui manifestatus est in carne, prædicatus gentibus, creditus in mundo. Quia enim verus est Christus ille, quem semel manifestatum in carne testatur Apostolus, falsum vtique Christum oportet esse, quem Scarga subinde manifestari in pane fingit. Si verus ille est Christus, qui prędicatus est gentibus, ex vtero virginis conceptus, & verus homo semel natus, & post mortem deuictam in cœlum eleuatus, nec inde rediturus, donec venerit viuos & mortuos iudicaturus, profectò non verum Christum esse necesse est, qui singulis diebus in manu sacrificis ex pane creatur, qui toties denuo pro peccatis immolatur, qui subinde è cœlo in panem euocatur, ac toties in cœlum, post fractam dentibus hostiam, sicut stolidè somniatis, rapitur. Nullo ergo pacto culpam idololatriæ effugere potestis, qui extraneum quendam, & Apostolis, totique priscæ antiquitati ignotum Christum vobis fingentes, omni venerationis cultu prosequendum atque adorandum putatis. Nisi fortè antiquam illam Iudæorum gentem, omni crimine idololatriæ liberare velitis, eo quod quem formauerunt vitulum Deum illum esse, qui eos ex seruitute Ægypti eduxit, pleno ore clamitauerint. Verùm sicut abominandum, Deóque omnipotẽti exosum fuit illud idolũ,

Christum non esse verũ qui à sacrificulis Papæ creetur.

Idolum Israelitarũ ob nomen Dei sibi inditum, non desiit esse idolum: sic neque Papisticũ desinet.

& atroci pœna vindicatum, tametsi nomine Dei insignitum: ita quocunque titulo panis ille à vobis exornetur, & siue corporis Christi, siue Dei ipsius nomine à vobis vocetur, nihil aliud tamen in conspectu Dei viuentis est, quàm horrendum idolum, non minore etiam pœna tempore suo vindicandum. Nam quemadmodum omnem illum cultum & honorem, Deus meritò repudiauit, quem tamen illi se exhibere Iudæi stultè putabant, sic neque hunc non auersari potest, qui non ex ipsius præscripto, sed ex temerario hominum inuento & beneplacito impiè vsurpatur. Dominus enim ita in Sacramento panis, corpus, & in Sacramento vini, sanguinem suum commendauit, vt ad perpetuam redemptionis humanæ memoriam, his vesci ac potari fideles voluerit: non autem, vt remoto omni vsu & potu, homines sibi idola fabricarent, & per agros ac vrbes portantes adoranda ostentarent.

Recentes idolatrias Scarga vetustatis ri tulovestit

Quæ quidem omnia cum noua & recentia sint hominum maleferiatorum instituta, cum ab omni doctrina & traditione Apostolica sint aliena, tamen Scarga omni exuto pudore, hæc antiquitatis nomine commendare nobis non erubescit, & tanquam perpetua successionis serie, pérque manus Apostolorum tradita, ad nos peruenerint, liberé profitetur. An verò quia simplicem, & omnis vetustatis plerunque ignarum popellum decipitis, cui magno vestro quæstu istas nugas venditaris prudentibus etiam & cautis fucum vos facturos creditis: vt minimè attendant, quibus temporibus, aut à quibus hominibus, hæ inanes tricæ & traditionum ineptarum quisquiliæ sint in mundum introductæ? Quocunque ergo precio hæc deliramenta vos digna reputetis, quibuscunque elogiis

elogiis & verborum fucis, hæc illustrare studeatis, ipsa tamen piorum & prudentum hominum Idola Papistica indies vilescere. ludibriis exposita, subinde vilescunt, neque iam diutius à vobis, vtcunque connitentibus, ac laborantibus, vel si medij rumpamini, retineri possunt Non patietur enim Dominus amplius populum suum ludificari, & quia iudex omnis humanæ creaturæ præ foribus est, iam tandem filium peccati, & omnis nequitiæ ac fraudis parentem, vt Spiritu oris sui interficiat, oportet.

Quæcunque ergo à Pontificibus Romanis, ad nouam & Apostolicis temporibus incognitam Artolatriam stabiliendam sunt introducta, quæ nouis subinde sanctionibus & decretis confirmata, iam in maxima orbis Christiani parte abolita, atque extincta conspiciuntur. Quod autem piorum omnium mentes incredibili quadam perfundit lætitia, Deus ipse vnicus & æternus Pater, cum Filio suo vnigenito, Spiritúque sancto, debito fidei & inuocationis cultu adoratur, solúsque & vitæ huius caducæ, & illius immortalis, ac omnium beneficiorum, quibus vniuersa fruitur creatura, cognoscitur author & largitor. Non possumus ergo non detestari, simúlque deplorare, tam insignem, Iesuitæ, mentium vestrarum cœcitatem, qui ab vnico totius boni fonte Deo auersi, Iesuitæ vnius Dei veri desertores. ad creaturas eius confugitis, & confidentes in hominibus, æternæ maledictioni vltro vos obnoxios redditis. Annon enim solus Deus vitam & mortem in manu sua repositam testatur? Annon ipse est, qui dat escam omni carni, omnéque animal implet benedictione? Vt quid ergo hæc quæ solus per manum filij sui dilecti largitur Deus à creaturis eius exposcitis, tótque Deos vobis secunda-

rios, defraudantes vnicum honore suo Deum, constituitis?

Papistæ cultores Mariæ & serui.

At enim Scarga calumniosa quadam iniuria Ecclesiam suam à nobis affici perhibet, qui honorare se quidem Mariam, omnibus angelicis spiritibus eminentiorem, heram suam & Dominam, eiúsque pro se preces humili exposcere corde profitetur, neque tamen illi cultum vel reliquis creaturis se tribuere, qui soli Deo est proprius, recognoscit. Vtinam quidem, Petre, quod ore promittis, id pectore quoque conditum haberetis, & in hac veritate asserenda, quæ nolentibus etiam per pios erumpit, constantem, & immobilem animum ad extremum vsque retineretis. Sed quid attinet verbo negare quod re ipsa præstes? téque ipsum factis à sermone diserepantibus mendacij conuincas? Primùm enim quo iure quæso, aut qua scripturæ sanctæ authoritate, sanctam quidem virginem, sed creaturam tamen, Dominam esse tuam, omniúmque fidelium vocare præsumis? Nam etsi sint Dij multi, Apostolo teste, ad Dominium multi; vnum tamen ille Deum nobis esse Patrem, & vnum Dominum nostrum Iesum Christum prædicat, vt ne alios nobis constituentes Dominos, ipsum debita honoris gloria spoliemus, & sacrilegi deprehendamur. Ac ne quid in ipso vocabulo subsit fraudis, & ne tu æquiuocatione me falli clamites, non est obscurum, quo sensu hunc vos titulum Virgini sanctæ tribuitis, cum ipsam Dominam cœli & terræ clamitatis, totámque hanc vniuersi molem ab ea gubernari & administrari impiè fingitis. Hæc enim authoribus vobis luctantes ventos, tempestatésque sonoras sedat, hæc nauigantes à naufragio tutos ac incolumes inuocata conseruat, hæc omnibus

Scarga quod re ipsa præstat, ore negat.

Christianis vnum esse Deũ, nempe Patrẽ: vnum quoque Dominũ nimirum Iesum Christum 1. Cor. 8. 6.

Papistis multis dij & Domini dominæque multæ.

nibus afflictis subitum vbique affert præsidium. Nec mirum quãdo hoc imperium in Filium suum à vobis habet tributum, vt rogare quidẽ patrem, iubere autem natum possit. Quamuis ne Patrem quidem, ac nec Spiritum sanctum imperio suo omnino exemptos habere videatur, ac superior quodammodo illis constituatur. Rogatur enim à vobis per Patrem, per Filium, & per Spiritum paracletum, vt adsit ad vestrum obitum, détque ex hac vita felicem vobis exitum. Ita verò totum vnici Mediatoris nostri Iesu Christi officium, in Mariam translatum est, vt cum illa vitia & peccata hominum, confitentibus vobis, deleat, portam etiam paradisi, & ianuam regni cælestis aperiat. Quæ stulta persuasio, & pestilentissima doctrina, adeò in mentibus hominum altè radices defixit, vt postilarij istorum, virtutem ac potentiam Diuę genitricis Mariæ in saluandis hominibus extollentes, eos homines, qui in extremam prolapsi impietatem, Deum ipsum abnegarent, vitam æternã nihilominus consequutos scripserint, eo quod à Satana ad abnegandam Mariam impelli non potuerint. Hoc verò si non est Deum ipsum ex solio diuinæ maiestatis deturbare, inque eius loco creaturam constituere, omnes qui vel micã sanæ mentis habent, iudicent.

Maria iuxta Papistas ipso Deo potentior.

Talibus autem in Deum blasphemiis, cum omnes istorum referti sint libri, & cum vocibus impiis omnia personent templa: tamen Scarga nequaquam Ecclesiam sanctam Romanam, hunc laudis & honoris cultum, qui soli debetur Deo, ad creaturas transferre impudenter vociferatur. Ostende ergo, Scarga, præter fidei & inuocationis cultum, aliquid sublimius à nobis creatori omnĩ Deo tribui posse, aut si nihil amplius in toto cor-

Vide hasce blasphemias in discipulo, & a libi passim inficiatur.

Scarga in ipso facti legio deprehensus.

dis receſſu peccator habet, quod omnipotenti Deo offerat, hæc te ſceleratè & impiè creaturis vendicare, quod ſolius creatoris eſt, negare noli. Vellem quidem mitius ſcribere, téque blandioribus verbis compellare, ſed pertinax iſta tua obſtinatio, & in fucando tam euidenti mendacio verſutia, iuſtam mihi bilem ſubinde mouet, hocque vel inuito extorquet, vt tanquam cum profeſſo diuinæ veritatis hoſte tecum agere cogar. Nam ſi quid candoris in animo tuo reſideret, ſaltem grande hoc & palpabile in Eccleſia veſtra erratum agnoſceres, ac potius de exterminando, non autem fucatis verborum coloribus oblinendo, cum tuis iſtis ſociis laborares. Decreto enim cuiuſdam Concilij iam antea iſtud ſancitum fuiſſe debebas meminiſſe, vt ne in ſanctis pro auxilio implorandis, alia fundatur oratio, præter eam, quę ſtatis quoque temporibus à vobis vſurpatur, Ora pro nobis. Quæ tametſi ſua impietate non vacat, neque citra contumeliam nominis Chriſti rectè vſurpari poteſt: tamen quod iſtos terminos vobis poſitos perruperitis, neque hoc ſaltem fræno audaciam veſtram coercueritis, tot impiæ & blaſphemæ in omnibus veſtris Breuiariis, Legendis, Hortulis, aliiſque ſcriptorum portentis teſtantur preces, in quibus non iam pro interceſſoribus diui à vobis interpellantur, ſed tanquam dij, bonorum omnium, adeóque vitæ ipſius æternæ largitores ſecurè inuocantur. Ad tantum tamen dignitatis & potentiæ apicem Mariam potiſsimum Virginem euehendam duxiſtis, dum ſcilicet præ omnibus Angelicis etiam ſpiritibus maiori honore dignam reputantes, illam omnia eadem bona, quæ à ſolo promanare Deo tota ſcriptura ſancta teſtatur, diſpenſare liberè prædicatis.

Scarga extremè obſtinatus.

Papiſtas ne ſuorũ quidem Concilio rum Canones obſeruare.

Eius monetæ eſt illud ad Mariam: Tu nos ab hoſte protege, in hora mortis ſuſcipe

Itaque

Itaque te non pudet antiphonam illam blaſphemam, Salue Regina, à Monacho quodam Hermanno impiè excogitatam, & à Gregorio nono approbatam defendere: vt nimirum eadem opera diuinum inſtitutum eiuſdem Gregorij approbare poſsis, qui ad eleuationem corporis & ſanguinis Chriſti campanis pulſare primus inſtituit. Sed ſicut pudendo antiphona illa non vacat ſacrilegio, ſic neque tintinabulorum ſonitus in alium finem videtur eſſe inſtitutus, quàm vt ad corroborãdam impietatem, acrem ſtupidis ſtimulum addat. In illo enim vulgari & conſueto papiſtarum cantico, quod non ritè occini, niſi genibus in terram proſtratis putant, nihil omnino diuæ virgini tribuitur, quod non Deo ipſi ereptum, & ad creaturam impiè tranſlatum, omnes pij agnoſcant: Crepitaculorum autem ſonitus, ad adorandos, qui in hortis naſcuntur, & auido ſacrificorum gutture deglutiuntur Deos, obtuſa hominum corda ſolicitant. Quæ omnia ab impiis Ethnicorum ſacris accepta, & in Eccleſiam Dei impiè introducta, nemo eſt qui non videat, qui modo veterum poetarum ſcripta non incognita habeat. Iſti enim impios gentium deſcribentes ritus, & omnem illum monſtroſum, quem idolis deferebant cultum, percuſſum æs Dodonæum, peluéſque & tintinabula pulſata commemorant, vt gens ſtolida & pauore ſimul, & ſtupore attonita, deos eſſe crederet, quos tamen truncos arte humana ad aliquam animantis effigiem elaboratos cernebat.

Papiſtarũ ritus ab ethnicis mutuati.

Hæc verò paſsim nunc ſub tyrannide Antichriſti viget impietas, quando quod omni ſenſu carere conſpicitur, & manibus hominum circumfertur, numen eſſe tamen, propter nolarum, cymbalorum, & campanarum ſtrepitus, ab attonita &

Papistæ stolida plebecula creditur. Non solum enim iam diuos ipsos adorant, & ab illis animæ corporisque salutem exposcunt, sed ad Idola eorum etiam, longo terrarum spatio dissita, confugiunt, ipsáque viuere, & preces inuocata exaudire stolidè putãt. Nam etsi Concilium illud secundum Nicænum, sub Irene celebratum, adorationem, quæ exhibetur imaginibus, non ad ipsas imagines, sed ad prototypa referendam esse determinauit, adeò tamen nihil hæc sua cautione profecit, vt homines prototyporum immemores, imaginibus ipsis tãquam præsentibus Diuis supplicent, votáque illis nuncupata, vel in morbis, vel in bellorum ac nauigationum periculis, cupidè persoluant. Nam quid aliud sibi volunt tabellæ illæ pictæ, quæ Czestochouiæ in Polonia apud imaginem Mariæ à Luca scilicet Euangelista depictam, conspiciuntur, nisi quod nimirum Maria illius loci inuocata, aliquod subito periculum depulit, aut à graui aliquo morbo releuauit? Nec sola Polonia fœdissimæ huius Idololatriæ locuples testis est, sed & Roma, ac Loretum in Italia, vbi similes imagines à Luca eodé Euangelista habere se pictas impia sacrificiorum turba, magnum ex his nugis faciens quæstum, comminiscitur. Itaque nulla omnium promiscuè ordinum in tota Italia precatio vsitatior esse perhibetur quàm vt omnium votis Maria de Loreto, ad quoduis auxilium ferendum inuocetur.

Papistæ non solũ homines vita defunctos, sed & eorum simulachra adorant.

Czestochouiense in Polonia minore idolum celebre.

Italiæ Idololatria.

Ac profectò humana impietas hac iusta Dei vindicta digna fuit, vt quia ab vnico totius præsidij fonte Deo, se ad creaturas auertit, stipites etiã & arborum truncos, opera manuum hominum, pro Deo ipso adorauerit. Nullam enim subesse video causam, cur maiore sacrilegio obstringi debeant, qui imagines adorant, quàm hi, qui prototypa

typa sola in eis adorãda statuũt. Nam si nulla creatura citra impietatẽ adorari potest, tam grauiter peccãt, qui Mariã omni adorationis prosequũtur cultu, quàm qui in locum Mariæ idolum aut signũ eius aliquod erigunt, vt illi vota faciant, salutémque suam illi acceptam referant. Vnde facilè animaduerti potest, Concilium illud Nicænum magno quodam errore fuisse lapsum, quod in imaginibus prototypa etiam ipsa adoranda decreuit; nisi forsan hæc mẽs ipsius fuisset, vt sicut solus Deus est adorandus, ita soli Deo imagines statuendas esse iudicasset. Verùm cùm Deus ipse id fieri prohibuerit, neque vlla similitudine rerum creatarum se exprimi mandauerit, vanum omnino totum hoc & impium ipso rei exitu, quod Nicæna decreuit synodus, fuisse constat. Miror itaque, Scarga, quibus coniecturis, mouearis, vt me tantæ impietatis fautorem arbitreris, æquiorémque nunc imaginibus, quàm fuerim antè, ac synceram Ecclesiæ Romanæ, alienámque ab omni idololatria de imaginibus doctrinam me agnoscere putes.

Nicæni Concilii secũdum iconolatricum.

Nam quod decretum Nicænæ Synodi allegaui, non de imaginibus ipsis, sed de prototypis earum adorandis, non eo consilio feci, vt iniquo decreto subscriberem, sed vt stoliditatem hominum notarem, si se saltem intra ipsos limites continerent, & cum signum crucis in die parasceues adorant, ipsum etiam Christum in cruce pendentem localiter in ipso includi signo crederent. Agnosco enim, quod iam admonui, legem hanc ab iconolatris illis Nicænis impiè promulgatam, quamuis metam ab illis positam homines non transilirent, ac saltem prototypa in imaginibus adorarent. Nã cum in vniuerso Papatu, sanctorum imagines potissimum prostituantur ad cultum, nemo sanè, nisi

Volanus quo consilio impium iconolatrarum decretum citarit.

impius, prototypa in eis adoret, vel si à crassiore illo idololatriæ crimine, non ipsis imaginibus sed prototypis deseruiens, sit alienus. Verùm si in vna illa specie crucis Christi adorandæ nulla se impietate aliquis contaminari putet, eò quod Christum ipsum æternum Dei filium tanquam prototypon in cruce, non autem ipsam crucem adoret, ille sanè non est quod existimet, sanctos illos & veteres Patres in tam crassa sententia fuisse, vt quia Christum in Sacramento adorandum docent, ipsa Sacramenta, tanquam localiter Christum inclusum habentia, adoranda præcipiant. Quàm procul enim ab ista distarent opinione, vel ex vno Augusti no discere poteras, cuius clarissimam de sacris signis siue sacramentis venerandis produxeram sententiam, in quibus ille Christum sic adorandũ docet, vt nullo modo in Sacramento localiter illum includi sentiat. Sic enim in libro de doctrina Christiana tertio scribit: *Eum qui operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim & significationem intelligit, non illud veneratur quod videtur & transit, sed illud potius, quo talia referenda sunt.* Et quid clarius desideres, Petre, ad cognoscendam antiquorum Patrum de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sententiam, vt si quid mentis haberes, signa deinceps à rebus signatis discerneres, nec Sacramentis hũc adorationis cultum, qui in Romana impiè præstatur Ecclesia, sed Christo in cælo regnãti, suáque iustitia & sanctitate cœlitus nos profundenti, exhiberes?

Augustini de adorãdo Christo in Sacramẽto, sententia

Verùm à pura & prisca illa antiquitate adeo te alienum esse ostendis, vt nisi Sacramenta localiter Christum inclusum haberent, prorsus inutilia & superuacanea tibi viderentur, neque tam efficaciter

caciter Christum nobis contemplandum, sicut imagines, proponerent. Scribere enim te non pudet, si Sacramenta nullum reale & præsens cæleste donum ex se conferunt, & in se continent, imaginibus sunt multo viliora: quia, inquis, per eas ceu quandam prædicationem longè apertius excitatur fides, quàm per panem & vinum. Ideo enim Christum in imagine te adorare, & sanctos venerari prædicas, quia imago mox animum ad contemplationem prototypi transferat, nec vllum aliud sua naturaquam significandi habeat officium. At panem & vinum nec ex se referre Christum, nec ad significandum, sed ad comedendum potius sua natura producta esse perhibes. Quæ quidem omnia tu dicendo, nihil aliud præ te ferre videris, quàm omnia hominum figmenta, instinctúque Satanæ excogitata, in maiore te pretio habere, quàm sacra rerum cœlestium signa, ab ipso Christo instituta. Nam quod obsecro Spiritus sancti oraculum te docuit, imagines, vel idola ad significandũ Christum erigere, vt non ritè Christum te adorare posse putes, nisi ex contemplatione imaginis mox animum ad contemplationẽ prototypi trãsferas? An verò tanta beneficiorum, morte & sanguine Christi partorum, obliuio vos tenet, vt sine imaginum adiumento, oculis & animis vestris perpetuò illa obuersari nequeũt, & ad debitam Christi adorationem, gratiarúmque actionem vos excitare non possunt? Atqui Petrus Apostolus ad contemplandam Christi faciem, adeò sensum oculorum non requirit, vt oculos mentis & fidei nostræ deprædicans, quos in Christum defigimus, cum inenarrabili lætitia, finem fidei nostræ nos reportare, salutem scilicet animarum nostrarum securè profiteatur.

Scargæ blasphemia sententia.

Scarga in stitutum Christi conuellit

1. Petr. 1. 8. 9.

Vanum ergo totum hoc & impium ac cõmenticium, quod vos in imaginibus sectamini, eadem sententia coarguit & homines carnales, sensuúmque iudicio omnem religionem metientes, à vera autem fide alienos conuincit. Quamuis diuersa rerum experientia, ne id quidem quod iactatis, vos obseruare, aliud factis ipsis præstare, quam verbis profitemini, manifestè testatur. In quo enim obsecro orbis angulo imago Christi tam celebris constitura est, vt ex variis regionum partibus numerosa hominum multitudo ad eam confluat, Christóque Deo vota se facere ac persoluere testificetur? At verò imaginibus Mariæ non solum regna & vrbes, sed templa quoque sunt referta, quibus solis cærei accenduntur, thura adolentur, omnis cultus & adoratio exhibetur. Quod autem non prototypa sed idola ipsa adorentur, vel inde patet, quod multis similibus imaginibus domi neglectis, stolida plebecula in longinquas regiones excurrat, & quam diuiniorem, maioribúsque edendis miraculis celebriorem credit imaginem, hanc maiore deuotionis cultu honorandam putet. Nam, si quod tu scribis, nullum aliud imago natura sua quam significandi haberet officium, vt nimirum imagine inspecta, mens prototypum concipiat, non profectò tantis laboribus se homines fatigarent, vt quem fructum ex domestica imagine consequi possent, huius adipiscendi gratia longum plerunque & periculosum iter conficerent. Sed excæcata vana superstitione hominum mens, nihil de prototypo cogitat, & in idolum quod conspicit, omni affectu propendet, illúdque sensu precum suarum affici stolidè putat. Vnde enim imago illa Czestochouiana mentientibus Monachis, in omnes partes oculos conuertere

Imago ipsius Christi tarissimè celebris, Mariæ verò frequens.

Idola Papistica alia aliis præstare.

Czestochouianũ idolum viuere creditum

tere dicitur, núncque seuero, nunc hilari homines inspicere vultu, nisi vt illam viuere, & vota hominum exaudire dementatæ à se turbæ persuadeant? Omitto alia infinita similis dementiæ exempla, quæ in omnibus passim regionibus edi isti adeò non dissimulant, vt publicis etiam postillarum scriptis, quasdam imagines flentes, quasdã loquentes, quasdam ambulantes, & loca mutantes, mentiri non erubescant.

Hunc verò impietatis & insaniæ fructum, præclara illa Synodus Nicæna, quam tantopere Scarga deprædicat, nobis peperit, vt profligato vero ac legitimo Dei cultu, antiqua gentiũ idololatria recreuerit, & in Ecclesia Christi, proh dolor! sedẽ suam fixerit. Ita enim illi suas Iunones, Dianas, Veneres, Palladas colebant, vt quæ in clarissimis earum idola extarent vrbibus, deas ipsas illic certam sedem ac stationem sibi delegisse indubiè affirmarent. Quare cum Romani Veiis expugnatis, ad idolum Iunonis asportandum, & Romã transferendum accessissent, interrogatam Deam à quodam Liuius commemorat, an Romam ire vellet, eam verò annuisse, vocem quoque dicentis, velle, audiuisse cæteri conclamauerunt. Et ne de certa eius voluntate dubitarent, motam sede sua scribit Historicus, parui molimenti adminiculis, ac sequentis modo, leuem ac facilem translatu fuisse, integrámque in Auctinum æternam sedem suam, quò votis Romani Dictatoris vocata fuerat perlatam, templúmque ab eodem Dictatore illi dedicatum. Nihil autem in hac fabula auditur, quod non religionis Christianæ euersores Monachi, imitandũ sibi proponerẽt, idolisq; suis attribuerẽt. Hæc enim omnia de imagine Mariæ quæ Czestochouiæ summis omnibus colitur honoribus, ab i-

Nicæna Synodus secunda idololatriæ restauratrix

T. Liuius Primæ Dec. lib. 5

Fabulade Czestochouiano idolo à Papistis conficta.

ignauis istis vētribus finguntur. Nā quod hanc solam sedē sibi delegerit, hicq; potissimū coli & adorari voluerit, certissimis rerū experimentis testatū effecisse prædicatur, cū multa boū iuga curruì, in quo portabatur, iuncta illam loco mouere, alióque deportare, præter voluntatē eius, minimè potuerint. Ac verò si ita res se habet, vtquid nunc Monachi tot diuinis honoribus cultæ, multísque gemmis & auro ornatæ diffidunt, eámque tot repagulis valuas habentes clausas custodiunt, vt ne

Idolum Czestochouianū cur diligenter recludatur.

effugiat, aut ne à furibus se asportari sinat? Venter nimirum & ingluuies tam diligentes efficit, vt ne quid de solito quæstu decedat, plébsq; falsa religione fascinata, vt semper omni eorum intemperantiæ instrumenta suppeditet. Adeò enim nihil inde honoris aut gloriæ sanctissimæ virgini accedit, vt nullo maiore probro aut contumelia affici possit, quàm quod sub nominis eius prætextu, nefanda quædā facinora scelesti homines patrent, & ex perpetuo otio & ingurgitatione nonnisi fœdissimis libidinibus vacent, à nullóq; flagitio corpus cohibeant. Nihil enim hic simulo aut fingo, nihil dico, quod non omnibus pateat, & quod non omnium eorum, qui illa loca inuisunt, conscientia constructum teneatur.

Sed non mirum est, omnes sacrorum istorum mystas in omnia scelera effrenes ruere, quando tantam vim & potentiam in saluandis hominibus Mariæ tribuere istos non pudet, vt homines omnibus flagitiis coopertos, & qui nihil vnquā boni in vita gesserunt, salutem tamen consequutos liberè prædicent, eo quod singulis diebus Aue Maria, aut Salue Regina dixerint. Nihilque tam aut fœdum auditu, aut obscœnum factu excogitari potest, quod non patrocinante Maria coram

Papistarū ad salutē compendium.

iudicio

iudicio Dei abolitum isti nebulones impudentissimè mentiantur. Ego quidem cum in hæc fædissima Papatus stercora incido, legens promptuaria exemplorum de beata virgine, quæ in sermonibus discipuli de tempore, & in aliis sordidis istorum scriptis proponuntur, & corpore & animo perhorresco, tantúmque in excæcandis hominibus potuisse Satanam deploro, vt vel fingere, vel credere tam nefanda potuerint. Illud enim omnē humanam audaciam superat, quod perdita quadā libidine, aut insana nescio qua cupiditate exæstuantes quidam proponuntur Monachi, vel Clerici, qui vt pulchritudinem virginis Mariæ videre possent, oculis etiam orbari ab ea expetiuerint, dum modo voti sui compotes effecti, ista se voluptate satiarent. Atque vt dignum habeat patella operculum, tam festiuam fabellam, ridiculo Anselmi cuiusdam claudunt epiphonemate: Pulchra es, inquit, Maria ad intuendū, amabilis ad amplexādum, delectabilis ad videndum. Putásne petulātius Phædriam à sua Thaide aliquid petiturum, atque isti furciferi à sacratissima virgine postulare non dubitarunt? Talibus verò & infinitis, multóque obscœnioribus omnis spurcitiæ & impietatis exemplis cum omnes istorum scateant libri, tamen eos iniquos laudum virginis Mariæ osores Scarga prædicat, suam autem Ecclesiam debitis honoribus eam celebrantem extollit.

Libri Papani qualem pietatem spirent.

Monachos à virgine sancta petere, quod nemo sanus à muliere honesta postularet.

At qui vos miseri ac deplorati homines, gloriā Dei, quam ille se nemini daturum testatur, creaturæ vendicantes, & fautricem ac patronam omnis nequitiæ Mariam improbè fingentes, & Deum ipsum, & sanctam hanc virginem omni contumelia afficitis, iustámque omnipotentis Dei iram subinde in vos prouocatis. Nos autem in gratia

Gloria soli Deo cōpetēs nulli creaturæ tribuenda. Isa. 42. 8.

Maria imitanda, non adoranda.

veræ fidei & tolerãtiæ, ac omnium virtutum, quarum nomine in ſcripturis ſancta hæc Virgo commendatur, prædicatione acquieſcentes, eáſque ad imitationem nobis proponentes, ſatis eam à nobis honorari putamus, hiſque elogiis, quæ ſoli omnipotenti & æterno competunt Deo, eam exornare nefas ducimus. Ita enim ſummam bonitatem & miſericordiam pro beneficiis ſibi præſtitis immortalis & vnici Dei prædicans, & cum ſumma Spiritus ſui lætitia nomen ſanctum eius celebrãs, exemplo ſuo nos docuit, in cuius laudibus nos perpetuò perſeuerare, & cui ſalutem ac vitam noſtram omniáque beneficia accepta referre debeamus. Neq; verò nobis aduocatam ad placandã iram Dei ſtatuimus, contenti vnico illo Mediatore Dei & hominum Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui iuramento etiam interpoſito, Patrem ſuum cœleſtem daturum nobis promiſit, quicquid in nomine eius petierimus. Nam cum nulla ſit creatura, quæ cum potentia & charitate filij Dei erga nos ſit comparanda, vtrunque hi tollere videntur, qui Chriſto poſthabito, alios mediatores quærũt, ac pro ſe deprecatores Deo obtrudunt.

Luc. 1 34. 35. &c.

Vnus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. 1. Tim. 2 5

Quod autem mortuorum animas vbique præſentes adeſſe fingunt, aut ſi ſint abſentes, omnium cordis noſtri arcanorum conſcias faciunt, magnã in eo ſuam impietatem produnt, qui quod ſoli competit Deo, id creaturis tribuere, non reformidant. Solus enim Deus eſt, qui ſcrutatur corda & renes, & in cuius conſpectu, id quod in profundo mentis humanæ latet receſſu, non eſt abſconditũ. Nec mouent nos grauium iſtorum Theologorum inanes argutiæ, qui in neſcio quo Trinitatis ſpeculo, res omnes humanas oculis cælicolarum expoſitas comminiſcuntur.

Sol Deus cordium ſcrutator Pſal. 7. 10.

Nam

Nam quod nulla ſanctarum ſcripturarum authoritate comprobatum affirmare non dubitat humana præſumptio, in eo nullam omnino fidem meretur, & iudicio piorum omnium meritò eſt repudianda. Verùm quicunque ſanctorum in cœlo degentium ſit ſtatus, aut quacunque charitate ſint erga nos affecti, vt inquirere non neceſſarium nobis ducimus, ita de amore erga nos Chriſti & potentia eius bene perſuaſi per eum ſolum in Spiritu ſancto, omnes preces noſtras coram Deo patre effundere nõ dubitamus: certam ſpem ſalutis, omniúmque beneficiorum ab eo omni tempore expectantes, vt nullos præterea mediatores requiramus.

Status diuorum poſt eorũ obitum non inquirẽdus.

Nec vero propterea aliquo veterno ſpiritus hominum mortuorum oppreſſos, quod Scarga falsò colligit, exiſtimamus, aut omni ſenſu cœleſtis & immortalis vitæ illos priuamus, vt quamprimum ſoluti ſunt à corpore, in cœleſte ſacrarium ab ipſo recipi Chriſto, tot manifeſtis Spiritus ſancti oraculis edocti, liberè profiteamur. Si qui ergo ſunt, qui diuerſum ſentiunt, illos ſane Scarga condemnet, vel ſi libet, bellum apertum illis denunciet, nos verò inſontes, alienæ culpæ crimine ne fruſtra oneret. Non obſcura enim ſunt, quæ inſignes illi & diuini Eccleſiarum noſtrarum ſcriptores in eo argumento, contra eius ſententiæ aſſertores expli canda ſibi ſumpſerunt, vt vel vnica illa ſancti & æterna memoria digniſsimi viri Iohannis Caluini Pſychopannychia, locupletiſſimũ eius rei omnib. teſtimonium præbeat. Neque enim nos per mendacia veritatem aſtruimus, ſed ſolidis ſcripturę teſtimoniis illam contra omnes hoſtes defendimus, vt ad refellendam ſanctorũ inuocationẽ, nõ vanis coniecturis, & futilibus argumentis, ſed ipſiſſima

Pſychopãnychia Caluini.

Dei voce instructi, in hanc arenam prodeamus: Ac quod in omnibus religionis Christianæ cõtrouersiis explicandis semper præstamus, in statuarum certè & imaginum impia per vos introducta adoratione, tanta scripturarum sanctarum authoritate vos obruimus, vt nisi præfracta malitia, & supinus quidam vocis diuinæ contemptus vos excæcaret, vos ipsi vltro manus admoueretis, & tandem hæc idola ab altaribus & templorum parietibus reuulsa, in ignem coniecta, perpetua obliuione sepeliretis.

Iesuitæ cur manifestos, crassosque errores non abiiciant.

Miror itaque, Petre, cur tu in illa disceptatione de abusu imaginum mihi cum quodam vestri ordinis suscepta, & scriptis vtrinque commissa, silẽtium meum in eam partem interpreteris, vt nimirum inuicta socij tui argumẽta, méque conuictũ, ob non redditum responsum, glorieris. Tam solide enim fædã hanc idololatriã in scripto meo confutasse mihi videor, vt quæ contrà tuus edidit socius, ne responsione quidem digna iudicauerim. Sed age fac vtraque typis excusa in lucẽ prodeat, nec te ira & odio exæstuantem iudicem, sed reliquos à perturbatione mentis liberos homines iudices sortiantur: agnosces proculdubio Thrasonicam istam victoriam in fumum tibi abiturã, plúsq; externa specie ostentare, quàm viribus valere. Si tamen adeò tibi inuicta ista vidẽtur, vt nouis meis armis opus habeant, dabo operã, vt te voti tui cõpotẽ efficiã, & quàm primùm per otium potero, istas etiã nugas diluendas suscipiã, háncq; falsæ gloriolæ opinionem ex animo tuo eximam. Sed quia, de quo in hoc libro potissimum controuertitur, iã superius sufficienter demonstratum esse puto, quæ & qualis corporis & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ statuenda sit præsentia, nunc

Volani cũ Iesuita de abusu imaginum disceptatio.

nunc quod vltimum restat, de manducatione etiã infidelium paucis perstringam, & quàm verè sit à te demonstratum, non solùm bonos sed malos etiam in Ecclesia reuera corporis & sanguinis Dominici, & non solius tãtum Sacramenti fieri participes, Deo ipso adiuuante aperiam.

Defensionis Cœnæ Domini libri secundi finis.

QVOD INFIDELES CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI minime sint participes, tametsi Sacramentis communicent,

LIBER TERTIVS.

CVM in prioris libri tractatu abundè sit comprobatum, Christum æterni Dei filium, ita à Deo patre donari Ecclesiæ suæ in salutem, vt hi soli, qui spiritu Dei aguntur, & quorum ille corda aperit, Christum apprehẽdant, iustitiéque & sanctificationis eius participes facti, vera illius membra, ac propterea filij adoptionis censeantur, necessariò inde consequi ostendimus, omnes eos, quicunque à spiritu Dei non sunt regeniti, ideóque vera fide ac pœnitentia vacui, non participare corpori & sanguini Christi, tametsi cum reliquis Ecclesiæ membris Sacramenta percipiant. Scarga autem vt Christũ promiscuè tam à nobis quam à bonis percipi demõ-

Quod corpus Christi etiam à malis manducetur. Scargana argumẽta

stret, in tribus maximè probandis insistit. Primò, quod mali non nomine tantùm, sed reipsa etiam Ecclesiæ membra, tametsi arida & sterilia verè cẽseantur. Secundò, quod, fidẽ Catholicã, qua abinfidelibus & Hæreticis secernuntur, quãuis mortuã neque charitate viuidã habeãt. Tertiò, quod vera & integra, tametsi sine fructu, sacramẽta percipiãt.

Ac quod ad primum attinet, multis scripturæ, & veterum Patrum testimoniis ostendit, vno Ecclesiæ complexu tam bonos quàm malos contineri, neque tritico paleas permixtas in area Domini esse, vt nonnisi in fine seculi sint segreganda. Hæc verò de re nescio quis sit, qui illi litem moueat, vt in re tam certa & euidenti demonstranda, inanem operam desumpsisse videatur. Scimus enim & certis scripturæ sanctæ oraculis, & perpetua rerum experientia edocti, non omnes ita efficaciter in Ecclesiam à Deo vocari, vt in numero ouium Christi non plurimi hædi reperiantur, tametsi vno ouili sub nomine ouium, & vnius ac eiusdem pastoris censeantur. Concedimus ergo tibi libenter, Petre, sic in omnes viarum exitus præcones à Domino emitti, vt sine discrimine vllo tam sani quam cæci & claudi in domum Domini inuitentur, & eiusdẽ mensæ ac conuiuij participes efficiantur. Sed quia multi sunt ex hac domo iusto Dei iudicio tempore suo eiiciendi, ne hęreditatẽ cũ filio Dei sortiantur, aduenæ & inquilini ac hospites, non aũt domestici Ecclesiæ Dei, ipso exitu rei fuisse deprehendẽtur. Agnosce ergo nomine tantum, & non re ipsa, sicut falso putas, inter mẽbra Ecclesiæ Dei reputari, qui natura hædi, sub nomine ouiũ Christi ingrege eius occultantur.

Scarga quod nullus impugnat prognare.

In Ecclesia nunc esse pios & hypocritas.

Sed enim inquis, ne nomen quidem Ecclesiæ me concedere malis ac sceleratis vtcunque hoc

hoc illi titulo se venditent, & inter membra Ecclesiæ censeri velint. Hæc enim verba mea recitas, & tanquam hæresin Donatistarum & Pelagianorum sapiant, acerbè perstringis. Ego verò cum omnibus Hęreticis iusto Ecclesiæ Dei iudicio condemnatis, nihil cõmune mihi esse sentio, & quod Ecclesiam, nomine tamen indignos, qui omnibus sceleribus sese polluunt, rectè reputem, veram sententiæ meæ rationem constare mihi puto. Nam si vniuersam hominum multitudinem per totum orbem diffusam consideremus, quæ vna fidei confessione, æternum Deum Patrem cum filio spiritúque eius sancto celebrat, & Sacramentis diuinitus institutis fidem suam obsignat, tum sanè Ecclesiæ nomen omnibus inuicem competere, tam bonis quàm malis, negare non possum. At verò si Ecclesię nomine, quod toties scriptura loquitur, hi saltem intelligantur, qui ex regeneratione & sanctificatione sancti Spiritus, Christi capiti suo, tanquam vera ac viua membra coniunguntur, tum sanè omnes eos Ecclesiæ nomine censeri indignum est, qui in interiori homine non renouati, neque regeniti, titulum quidem & speciem Ecclesiæ retinent, re autem ipsa à sancta membrorum Christi communione alieni sunt.

Regenerationis expertes Ecclesiæ mẽbra non esse.

Verum hoc pacto, inquis, me omnino inuisibilem, & quæ sub sensus hominum non cadit, statuere Ecclesiam, vt vbi sit veritas inquirenda, sciri omnino nequeat. Ego verò quod ad cognitionem Dei attinet, qui solus, teste Paulo, nouit, qui sui sunt, eatenus nobis inuisibilem rectè prædico: quatenus autem certis & euidentibus notis ac signis vniuersam Ecclesiæ communitatem Deus conspicuam reddere voluit, adeò oculis & sensibus hominum expositam agnosco, vt in eius gremio ac

2. Timot. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia vbi loco sum sit.

complexu me quoque contineri gaudeam. Vbicunque enim doctrina Prophetarum & Apostolorum viget, vbi vna & eadem fidei confessione, ac Sacramentorum participatione, salutis ab vnico capite Christo in omnia eius membra profluentis obsignatur certitudo, ibi veram Ecclesiam Christi, neque alibi, in hac quidem terra, consistere profiteor. Vide ergo, Petre, quàm iuste mihi hęc abs te obiiciantur, quæ tu plenis buccis in me detonas, nunc in profundam diuinæ prædestinationis scientiam perrumpentem, nunc in intimas hominum mentes & corda penetrantem importunè clamitans. Sed hęc tua est consuetudo, verba inutilia in aërem spargere, & in his confutandis, de quibus nullam tibi controuersiam moueo, non ne cessariam operam plærunque desumere.

Postquam ergo prolixis scripturæ Patrúmque testimoniis nihil aliud effeciſti, nisi quod omnes ex omnibus orbis partibus in vnam Christianę religionis professionem homines aggregati communi Ecclesiæ nomine censentur, neque tamen omnes hæreditatem regni cœlestis, solis Dei filiis debitam, consequuntur, ideóque vana & inutili Ecclesię larua sese contegere meritò sunt iudicandi.

Altera Scargæ propositio

Restat alterum illud, vt vanum quoque esse demonstrem, fide nimirum malos cum bonis omnibus communi præditos esse, & quia tamen à spe salutis excidunt, ideò fidem in Christum ad salutem consequendam non sufficere. Verùm ne in hac quidem reprobanda prolixius iam insistendum mihi puto, quando quę ex professo ad argumentum hoc illustrandum in priori libro à me tractata fuerunt, adeò omnia hæc nugacia esse, quæ vos de fide informi fingitis, clarè demonstrauerunt, vt fętum hunc informem, nonnisi à capite Sophi-

Fides informis, Sophistarum delirium.

Sophistarum malesano procreatum, omnes pij recognoscant. Clariora enim totius scripturę sanctę testimonia sunt, quæ fidei iustificationem nostri, & pacem ac tranquillitatem conscienti ę coram Deo, in vna morte & satisfactione filij Dei fundatam tribuunt, quàm vt omnibus semipelagianorum istorum cauillis vel eludi, vel obscurari possint.

Fides impiis quare & qualis interdum tribuatur

Quod autem fides aliquando in scripturis hominibus malis tribuitur, quorum tamen cor non rectum neque sincerum sit coram Domino, id quidem ad labefactandam veram & germanam, solisque filiis Dei peculiarem fidem nihil facit, quæ vt his solis gratuito Dei munere datur, ita eos à filiis tenebrarum semper distinguit. Credunt enim non solùm isti, sed dæmones quoque dum vi veritatis diuinæ victi, & gratiam in Christo recipiendo expositam agnoscunt, & iram & vindictam in eo repudiando exhorrescunt. Sed quia Spiritu promissionis sancto obsignati non sunt, qui Apostolo teste, solus est arrhabo in cordibus hęreditatis nostrę, ideo certitudinem illam fidei indubitatam, qua sola in vitam æternam obtinetur Christus, minimè assequuntur. Hęc enim vnica & sola vera fides est, quæ diuinę bonitatis thesauros in Christo apertos, tanta animi constantia amplectitur, vt veritatem Dei omni sua immundicia superiorem agnoscat, & in Christi iustitia securè conquiescat. Non habent ergò, Petre, fidem, vt tu falsò credis, veram, sed fictam & simulatam, qui gustum gratię Dei in mentibus suis ita concipiũt, vt vel complementum iustitiæ in se ipsis requirant, vel diffidentes bonitati diuinę perpetuo horore diuini iudicij contabescant. Fideles autem non accipiunt, Apostolo teste, Spiritum mundi

Arrhabo hęreditatis nostræ est S. spirit' in cordib nostris Rom 8. 15. Galat. 4 6.

1. Cor 2. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius, sed spiritum qui ex Deo est: quo docente sciunt quæ à Deo illis donata sunt, vt qui reddit testimonium spiritui illorum, quod filij Dei sint.

Simoni Mago veram fidē Scaga stolidè tribuit.

Vide ergo quàm verè tu Simoni Mago veram fidem tribuas, qui virtute miraculorum in nomine Christi editorum obstupefactus, credidisse quidem, & baptizatus esse dicitur, sed quia non rectum cor in conspectu Dei habere ab Apostolo redarguitur, non vera vtique & germana illa fide, quam solis electis suis in salutem largitur Deus, præditus fuisse exitu ipso ostenditur. Nam qui Spiritus sancti gratiam pecunia vendibilem esse putabat, vacuum cor suum Spiritu sanctificationis ostendit, qui testimonium tam excellentis doni in se ipso non agnouit: sed prophanus homo argenti pretio comparari illud posse stolidè existimauit. Matth. 7. 2. 23. Non dissimilis & illorum ratio est, quos Dominus minimè se pro suis agniturum profitetur, etsi illi in nomine eius se dæmonia eiecisse, & virtutes Fides vera nusquam damnatur multas fecisse iactabunt. Non enim fidem, vt tu falsò putas, in eis damnat, sed hypocrisin, & exter nam saltem veræ religionis professionem taxat, quæ adeò nullo æstimatur à Christo pretio, vt in quorum cordibus per fidem ille non habitat, omnem illorum oris confessionem, & inanem linguę strepitum, pro nihilo sit reputaturus.

Apostolorum sentētiæ perperam à Scaga citantur. 1. Cor. 13. 8. Iacobi 2. 17. 20.

Verùm Apostoli Pauli sententiam producis, atque item Iacobi, qui fidem sine charitate haberi posse docent: ac propterea impios ab eius possessione excludere minimè videntur. Ille enim sic scribit: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & charitatem non habuero, nihil sum. Iacobus autem, sicut corpus, inquit, sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Atqui Petre diuersa & varia vocabuli significatio, quæ toties in scripturis occurrit, te decipit, & sine vlla causa te errare compellit. Toties enim fidem vsurpari videas pro particulari Dei dono, & facultate edendorum miraculorum, qua cum impij etiam pollere possint, aliam omnino esse fidem demonstrant, per quam corda purificari testatur Apostolus, eáque hominem iustificari sine operibus legis contendit. Neque Iacobus de ea verba facit, cum fidem sine operibus mortuam prædicat, sed nudam illam & simplicem Dei notitiam, minimè ad salutem sufficere ostendit, quam cum dæmones etiam, non solum homines impij, iactare possunt, in Christi certè corpus, vt spiritu eius vegetentur nullos inserit, nisi qui illa vera & solida fide à Deo donati sint, vt Christo spirituique illius sancto simul participent. Hac verò fide destituti & illi fuerunt, qui credidisse ab Ioanne dicūtur, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt ne è synagoga eiicerentur. Ipsa quidem Dei veritas extorquebat hoc ab eis, vt doctrinæ Christi assensum præberent, sed quia spiritu fortitudinis & constantiæ armati non erant, quo omnia mundi obstacula perrumpentes, Christum intrepidè prędicarent, non veram vtique & viuam illam fidem in cordibus suis vigere demonstrant, quę nemini vnquam à Deo datur, quin palam & liberè omni metu postposito Christum celebret, Dominúmque & saluatorem suum securè profiteatur. Corde enim, vt loquitur Apostolus, creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.

Fides pluta significat. Acto. 15. 9. Iacobus de qua fide loquatur. Iohan. 12. 42. Verę fidei effectus. Rom. 10. 10.

Ita verò, ne quid erres, Petre, semper illa vera & genuina electorum distinguitur fides à temporanea & imbecillare proborum fide, quæ tam leuiter ac frigidè corda tangit, vt fructum solidæ

Atqui

confessionis in salutem non proferat. In hunc autem ordinem & virgines illas fatuas reponimus, quæ describuntur à Matthæo,& qui adCœnam vocati veste nuptiali reperiuntur destituti, vt fide quidem in Christum minimè eòs spoliemus, sed viuam illam & germanam fidem,quæ spiritum sanctificationis comitem semper habet,minimè illis concedamus. Hoc verò modo palmites infructuosi in Christo, tanquam in vite hærere dicuntur, qui externa quidem fidei professione, se pro membris corporis Christi censeri volunt,& vana pietatis specie oculos hominum perstringunt,sed quia in radice ipsa fundati non sunt, vt vitalem succum percipiant, tempore suo, fonte Spiritus sancti non irrigati,exarescant oportet. Nec verò Cyrillus hunc explicans locum aliud sentit, qui palmites quidem eos esse, sed infructuosos asserit, qui per fidem solummodo Christo coniunguntur,sola ili confessione inhærentes,nec charitatis vimine se colligantes. Adeò enim externa Christi confessio,quæ fidei nomine etiam insignitur in Christum ipsum radices suas non defigit,vt nisi ipsa viua fides se cum illo coniungat, & ex eo rigorem salutaris vitæ percipiat,omne id infrugiferum & ariditate sua emortuum sit futurum, quamuis palmites suos diffundere, & in speciem florere videatur. Dignatur enim Dominus toties apud Prophetas populũ Israël nomine vineæ suæ, quæ tamen cum radices suas in Domino non egerit,conculcanda & excidenda meritò prædicitur. Sic nimirum fidem illam non agnoscit Dominus, quæ externa quidem professione, se in Christo tanquam in vitæ palmitem hærere demonstrat, sed sanctificationis nullos proferens fructus,nunquam verò in Christo fundata fuisse perspicitur.

Matth.25.
Ibidem 22 11.12.

Iohan 15. 4.5.

Cyrillus in Iohannem.

Vinea Domini domꝰ Israel Esa.5.7.

Hanc

Hanc verò malis Catholicis tribuit Augustinus,vt vera eos quidem credere perhibeat,neque tamen ita viuere,vt credant. Neque enim, sicut tu falsò putas, viuam illlam fidem illis assignat, quæ qui donati sunt,ideóque ex Deo, sicut testatur Apostolus,nati peccatum non committunt, sed fidem temporaneam,& veritati diuinæ ita subscribentem,vt quæ ex ore Christi prolata vera esse agnoscit, quia tamen in Spiritu regenerationis fixas non habet radices, de his opere explẽdis non sit solicita. Nam quæ de fide corda purificante, tradit idem Augustinus, aliam omnino & diuersam ab ea statuit esse,qua mali Catholici gloriantur,vt spiritu tamen adoptionis sancto,indulgentes vitiis & peccatis,se minimè regenitos esse testentur. Sic enim contra cœlestium & Pelagium, inter cetera scribit Augustinus,demonstrans omnes etiam illos sub Lege Patres per Dei gratiam iustificatos,& fide in Christum à peccatis mundatos. *Et ipsorum enim*, inquit, *corda eadem mundabãtur fide mediatoris, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum sanctum, qui vbi vult spirat, non merita sequens,sed ipsa etiam merita faciens. Non enim Dei gratia erit vllo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.*

1.Iohan.3. 9.

Augustinus lib.7 cõtra Cœlest.& Pelagium.

Agnosce aliquando,Petre,hanc sanam & salutarem de fide & gratia iustificante, vt scriptis Prophetarum &Apostolorum traditam,ita contra hæreticos ab antiquis & sanctis Patribus diu defensam in Ecclesia doctrinam, vt quas semipelagiani scholastici tam claræ luci offuderunt tenebras, tandemdepellas,istúmque veternũ,ab oculis tuis excutias. Fides enim sola est,quæ nullo operum respectu,in possessionem iustitiæChristi omnes fideles inducit, ac simul Spiritus sancti participes

Apostrophe parænetica ad Scargam.

efficit, vt perpetuum peccati odium in illis ingeneret, & amorem iustitiæ excitet. Perperam ergo facitis, qui fidem hominibus ita tribuitis, vt eam sine operibus bonis retineri posse credatis. Verùm ne temerè id tu facere videaris, exemplum Dauidis mihi proponis, qui perpetrato homicidio & adulterio, non tamen fidelis esse desiit. Fides quidem, fateor, electis semel adeò concessa nunquam tollitur, sed vitio carnis lasciuientis multoties sic depressa ac obruta conspicitur, vt quantum ad homines attinet, tam graui & crimine obstringant, quàm si vltro fidem & gratiam Spiritus sancti excusserint: sed quoniam firmum Domini est de suis seruandis decretum, efficit hoc immensa Dei bonitas, vt qui per Spiritum sanctum sunt regeniti, nunquam veram religionem & pietatem deserant, neque sic penitus in corde suo fidei scintillam extinguant, quæ nouo dein de Spiritus sancti afflatu accensa, in flammam erumpat.

Electi lapsi num fidem amittant?

Reproborum & electorum discrimen

Hoc enim discrimine electi à reprobis distant, vt hi quamuis, Apostolo teste, fuerunt semel illuminati, gustauerúntque donum cœleste, & participes facti fuerunt Spiritus sancti, nunquam tamen tam altè radices in Christo defixas habent, quin ab ipso deficiant, & derelicta via iustitiæ, tam quam sus ad volutabrum cœni redeuntes, se omnibus peccatorum sordibus inquinent. Electi autem, quamuis aliquando prolabuntur, & à recto iusticiæ tramite deflectunt, nunquam tamen bonum illud semen in animis latens, tam penitus obruunt, vt non aliqua Dei ferula castigati ad melior em mentem redeant, & subacta carnis ferocia, inconstanti veræ pietatis professione ad extremum vsque perseuerent. Huius autem rei illustre

Ebreor. 6. 4.5.

2.Pet.2.22

Electi lapsi resurgunt.

Prouerb. 4.16.

in eodem

in eodem Dauide propositum habemus exẽplum, qui à Propheta Domini correptus, & peccati sui conuictus, tam subitò in viam reuocatur, vt & sceleris suum agnoscat, & ex animo illud detestetur. Maior enim vis & potẽtia Spiritus sancti est, quo tãquam arrhabone in spem futuræ hereditatis fideles obsignantur, quàm vt vitium carnis virtutem eius excutiat, aut aliquod impedimentum æternæ Dei electioni afferre possit. Nam quos Dominus elegit, hos vocat, iustificat, sanctificat, & glorificat, vt aberrare quidem aliquando illi possint, ruere certe, potenti manu Dei suffulti, in præcipitium extremæ impietatis & condemnationis nequeant.

Dauid à Nathane admonitus, cõfestim resipiscit. 2. Sam. 12. 13.

Rom. 8. 30.

Vnde in expendendo tam insigni Dei beneficio tuam istam oscitantiam, seu potius ignorãtiam Petre, satis demirari non possum, qui fidem à Spiritu sancto cordibus piorum impressam, non alio pretio æstimare videris, quàm naturales illas animis hominum insculptas notiones, quæ quid rectum & honestum sit, cuiuis ostendat, neque tamen omnes in officio retineant. Fidem enim notionum illarum naturalium instar perhibes esse, & lumen quoddam intellectus quæ credere & videre quæ sancta sunt, potest, quamuis voluntate omnia iniqua & legi Dei contraria sectetur. Nam quæ maximo inter se distant interuallo, tu nimis imperitè coniungis, & paria quodammodo facere videris, vt nullum omnino discrimen inter animalem & spiritualem hominem constituas. Animalis enim homo, quamdiu à Spiritu sancto non est regenitus, & in veram boni intelligendi ac consequendi notitiam, facultatémque deductus, ita omnes animæ qualitates corruptas ac peccato mancipatas habet, vt quod ad res diuinas ac cœ-

Scarga res discernẽdas temere miscet.

Homo animalis non percipit ea quæ sunt spiritus. 1. Cor. 2. 14.

leſtes intelligendas attinet, ſumma cæcitate & ignorantia ſit circumſeptus, voluntate autem ab appetẽdo bono tam penitus auerſus, vt imperium rationis ſubinde excutiat, nec ſe ab eo qualicunque cognoſcendi veri duce regi permittat. At verò ſpiritualis homo, non quæ caro & ſanguis reuelat, ſed quæ Spiritus ſanctus de redemptione & æterna vita per Chriſtum parta cordi illius imprimit, adeò vera eſſe cognoſcit, & in promiſſione gratuiti beneficij non fluctuat, vt vltro vitam in Chriſto ſibi oblatam apprehendat, & certus ſalutis æternæ ſecurè in eo conquieſcat. Hæc enim Petre filiorum Dei fides eſt, qua Chriſtum in vitam æternam nobis donari ſcriptura ſancta teſtatur, non autem ſimplex illa notitia, ipſis etiam dæmonibus communis, per quam vera quidem eſſe, quæ in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum traduntur, aliquis cognoſcat, omnia tamen iniqua, ſicut tu loqueris, & contraria legi Dei ſectetur. Nam qui Chriſto per fidem inſiti ſunt, non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulant, & alacres ac prompti, quamuis ſubinde imbecillitate carnis victi ruentes, in obſequium diuinæ legis feruntur. Neque ſic tamen à peccatorum mole depreſſi ruunt, quin magno conatu aſſurgant, & de certa victoria confiſi, in gratia Dei per Ieſum Chriſtum facta, qui eos liberabit de corpore morti obnoxio, intrepidi recumbant.

Spiritualis ſeu regenitus homo omnia diiudicat. ibi dẽ verſ. 15.

Fideles Chriſti ne quaquam ſecũdum carnẽ viuunt: Ro. 8. 1.

Diſce ergo poſthac germanam filiorum lucis fidem, ab adulterina fide diſcernere, & quæ tam clarè in ſcripturis ſanctis diſtincta proponuntur, tu ne, putida ſcholaſticorum tuorum ſequens placita, confunde. Verùm tu ſi fidem non agnoſcas, niſi quæ ſanctos bonorum operum fructus proferat,

Scargam diſcrimen veræ & adulterinæ fidei ignorare.

rat, ingens periculum more tuo trepidans, vbi timor non eſt, extimeſcis, meque Anabaptiſtis arma fabricare prædicas, quibus illi ſcilicet freti, omne iugum magiſtratus excutiant. Hanc enim per animos iſtorum opinionem peruaſiſſe putas, vt ſi quem Eccleſiaſtica aliqua vel ciuili dignitate fungentem, in crimen & peccatum aliquod incurriſſe ſuſpicantur, iam illum deſtitui fide ſtatuant, omníque iure gerendi ac retinendi magiſtratus ſpoliatum eſſe concludunt, Ego verò quæ ſint Anabaptiſtarum myſteria, vt cognoſcere minimè laboro, ita eo dementiæ aliquem ex his progreſſum ſuſpicari nequeo, vt tam abſurdæ opinionis quempiam participem fieri putem. Verùm vt in ea ſint iſti ſententia, nihil tamen inde euincere poſſunt, quo imperium magiſtratui abrogẽt, quando Apoſtolus non ſolum bonis, ſed diſcolis quoque principibus omnes parere iubeat, & Chriſtus ipſe Saluator Ethnico etiam Cæſari reddere quæ ſunt Cæſaris, non ambiguè mandet, Nihil ergo, nihil aliud agis Petre, qui culpam Anabaptiſti corum errorum toties in nos ſine omni ratione deriuas, niſi .. te falſo calumniandi ſtudio impenſè oblectari demonſtres.

Dominis etiã peſſimis parendum. 1. Per. 2. 18. Matth. 22. 21.

Tertia propoſitio Scargana.

Hæc verò ineptè nugatus, ad tertium illud, idque poſtremum tandem accedis, vt te ex ſcriptura ſancta, & ex vetuſtiſſimorum Patrum doctrina id approbaturum profitearis, quod nimirum non ſolum pij & fideles, ſed infideles quoque ita Sacramenta percipiunt, vt non ſolum externis elementis ac viſibilibus ſignis, ſed rebus etiam ipſis internis & ſpiritualibus, quamuis diuerſo fructu, verè fruantur. Citatur autem abs te ſententia Apoſtoli Pauli, omnes Patres noſtros in nube & mari baptizatos, omnéſque eandem eſcam ſpiri-

Primum argumentum Scarganum, ex 1. Cor. 10.

tualem manducasse, & omnes eundem spiritualem potum bibisse, neque tamen in pluribus beneplacitum esse Deo, vt qui in deserto prostrati sint. Inde verò tu colligis non alia pro bonis, alia pro malis instituta fuisse Sacramenta, sed communia & eadem vtrisque, vt qui non diuersam, sed eandem manducauerint escam. Quod autem de Sacramentis noui Testamenti idem sit sentiendum, Dominicam illam de Cœna parabolam declarare affirmas, vt pote ad quam & boni & mali simul fuerint vocati. Nec Augustinum aliter sentire perhibes, qui in pluribus scriptorum suorum locis, bonos cum malis diuina communicare Sacramenta tradit, non deberéque eos intra Ecclesiam Catholicam constitutos, nisi operum dissimilitudine separari, vt boni scilicet non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia.

Secũdum ex Matth. 22.

Scarganorum argumentorũ refutatio.

Ego verò, Petre, minimè nego malos cum bonis, quamdiu in hoc mundo durabit Ecclesia, vt commune nomen Ecclesiæ retenturos, ita in communibus percipiendis Sacramentis socios sibi semper futuros. Sed quod omnes ex æquo rerum diuinarum & cælestium efficiantur participes, quæ externis Sacramentorum figurantur notis, id vt sentiam, nulla me ratio cogit. Ita enim Christus cum omni donorum cœlestium affluentia in Sacramentis percipiendus proponitur, vt qui vera fide, veráque pœnitentia vacui Sacramenta attingunt, rem quidem externam & visibilem percipiant, at rei ipsius cælestis, hoc est, Christi, paruli salutaris & viuifici, compotes minimè existant. Quare quod discrimen statuit inter bonos & malos Augustinus, dum iisdem sacramentis eos communicare scribit, vel inde discere debebas, vt ali-

Impij & hypocritę Sacramentorum, nõ autẽ rerũ quas Sacramenta repræsentãt fiunt participes.

vt aliquando hoc quo teneris errore, mẽtem tuam liberare posses. Ille enim hunc locum ex Apostolo abs te citatum explicans, ita scriptum reliquit: *Nolo*, inquit, *vos ignorare, fratres, Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualẽ manducauerunt, spiritualem quidem eandem, nam corporalẽ alteram quia illi manna, nos aliud: spiritualem quidem eandem quàm nos. Sed Patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt.* Et alio in loco clarius idem edisserit: *Quicunque in Manna Christum intellexerunt, eundem quem nos cibum spiritualem manducauerunt. Quicunque autem de Manna solam saturitatem quæsiuerunt, Patres infidelium manducauerunt, & mortui sunt. Sic etiam eundem potum, petra enim Christus. Eundem ergo potum, quem nos, sed spiritualem: id est qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur.*

Augustinus tractatu in Iohan. 26.

An lucidius obsecro, Petre, quicquam proferri potuit, ad falsam opinionem ex animo tuo euellẽdam, qui inter bonos & malos adeò nullum discrimen statuis, vt vtrosque non solum Sacramentorum, sed rerum etiam cœlestium compotes facere non dubites? At vero fidem requirit Augustinus, qua Christus in salutem apprehendatur, vt qui illa destitutus sacramenta percipiat, escam saltẽ corporalem, & eam in certum exitiũ assumat. *Manducauit Mamma*, inquit, Augustinus, *& Moses, mãducauit Manna & Aarõ, manducauit Mãna Phinees, manducauerunt ibi & multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt. Quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur.*

Scarga Augustino cõtrarius.

Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum. Sed aliud est Sacramentum, & aliud virtus Sacramenti, quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Discе ergo, Petre, posthac Sacramentum, ab ipsa virtute Sacramenti discernere, vt ne falsò existimes ab omnibus percipi Christum quicunque percipiunt Sacramentum. Offert enim Dominus vtrunque, vt nihil externa sensibus humanis repræsentent symbola, quod non interiori homini pascendo Deus exhibeat: sed peccatoris & impij hominis efficit incredulitas, vt rem oblatam non admittat, & proinde, ficut loquitur Auguſtinus, plus illi cibus ore, quàm Christus in corde sapiat. Ea enim est, quod toties admoneo, Sacramentorũ & rerum quæ his significantur, coniunctio, vt non naturalis aliqua rerum istarum intercedat commistio, vel alterius in alteram permutatio, sed quæ sit tota mystica, & procul ab omni aut naturali aut artificiali concretione aliena. Quam dum vos non expenditis, & in crassa transubstantiationis imagine defixi, tanquam in luto hæretis, fieri nequit, vt ad lucem veræ intelligentiæ hauriendam mentis oculos aliquando attollatis.

Dominus cum Sacramento etiam rem Sacramenti exhibet.

Transubstantiatio in Papistis cæcitatis causa.

Quod autem tu hæreticos verum & sanctum baptismum habere dicis, neque tamen vtilem quamdiu ad Ecclesiam non redierint, vt inde euincas, malos non priuari veris sacramentis, tametsi fructum salutis ex eis non percipiant, aperta quadam contradictione non vacat, vt qui pugnantia inter se & quæ simul consistere nequeunt, coniungere videris. Ea enim vis Baptismi est, vt in quocunque hominum genere secundũ institutũ Christi, in nomen videlicet Patris, & filij, & Spiritus sancti vsurpetur, semper habeat annexam pro-

promissionem de remissione peccatorum, & participatione Christi, ac propterea fructu suo carere nequeat. Quod si qui sunt extra Ecclesiam hæretici, aut in sinu ipso Ecclesiæ homines mali, qui gratuitam gratiæ Dei promissionẽ respuunt, aut Christum vera fide, prout in salutem offertur à Patre, non amplectuntur, ipsi quidem fructu se salutis priuant, promissionem tamen Dei minimè irritam faciunt, quin semel in Baptismo oblatam, quocũque tempore ad Dominum conuersi fuerint, semper obuiam & expositam habeant. Ita verò nulla hominum efficit indignitas, quin Sacramẽta à Domino instituta semper sint sancta, ac quod ad Deũ pertinet authorem, qui ipsissima est veritas, nec fallere nouit, salutem obsignantia. Neque ego sic vnquam, quod falsò tu mihi tribuis, argumentatus fui, vt quia mali salutem non referunt ex sacramentis, ideo vera negem ab illis percipi sacramenta. Vera enim semper sunt, nec fallacibus notis saluté in Christo expositam testificantur. Sed efficit hominum impietas, vt Christum in penetralia cordis sui non admittant, ideóque ab omni fructu salutis excidant. Tam enim firmo nexu Christo salus, vitáque æterna cohæret, vt nemo particeps illius esse queat, quin simul v ita æterna potiatur, nec vitæ compos quisquam existat, qui non Christo cõmunicet. In alijs tu, Petre, rebus rem ab ipso rei vsu & effectu discernas licet, vt quæ hic de medicina ab infirmo percepta, nec semper tamẽ sanãte producis exempla, id vere dicere possis, sed Christus Dei filius tam firma & efficax animæ peccatorum vulneribus sauciatæ est medicina, vt quemcunque ille carne sua pascit, & sanguine potat, semper illi certum & indubium salutis afferat remedium. Vana ergo & impia, in filiúmque Dei contumelíosa

Baptismo nullis peccatis tolli tur quin sit perpetuum fœdus.

Sacramenta vera im pij sumũt sed non rem Sacramentorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opinio vestra est, qui Christum ab impijs etiam percipi alseueratis, dum tamen vitæ & salutis participes eos diffiteri cogamini.

2. Corin. 2. 16. Sed enim, inquis, Christũ ab Apostolo alijs odorem ad vitam prædicari, alijs verò odorem in mortem & ruinã. Recte sanè prædicat Apostolus filium 2 Corint. 4. 4. Dei impijs odorem esse ad mortem, sed non quia ab illis recipitur, verùm quod Deus huius seculi, eodem Apostolo teste, excecat mẽtes infidelium, vt ne eos irradiet lumen Euangelij Christi, qui est imago Dei. Non ergo Christus receptus, sed spretus & reiectus, causam affert impijs interitus & exitij. Verissimè ergo loquitur Augustinus. *Sacramentum*, inquit, *sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res vero Sacramenti omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.* Apertissimè enim his verbis docet Augustinus, non posse quenquam cõdemnari, & vita æterna priuari, quicunque corporis Christi particeps factus fuerit, vt qui Sacramentum ad exitium percipiunt, externi quidem & visibilis elementi participes fieri posse, rei autem ipsius, quæ sacramẽto significatur, hoc est corporis Christi, compotes esse non posse clarè ostendat.

August. contra Cresconium, cap 25.

Hoc autem tam clarum & perspicuum Augustini testimonium, cum in oculos omnium incurrat, & vltrò mentibus hominum, vt aliter intelligi nequeat, sese ingerat, tamẽ quæ vestra est malicia, & in corrumpẽda veritate audacia, istud etiam adulterare, & in diuersum torquere sensum non vereamini. Pro re enim Sacramenti non ipsum corpus Christi, sed fructum & finem ab Augustino vsurpari contendis, vt nimirum malos etiam corporis Christi participes fieri euincas, tametsi fructum,

Scarga & sui complices claram Augustini sententiam obscurant & corrumpunt.

ctum, qui ex corpore Christi prouenit, non consequatur. At verò præterquam quod impium & stolidum est, Christum à Spiritu suo separare, aut vitam & salutem à corpore Christi diuellere, Augustinus etiam quid nomine rei Sacramenti intelligat, seipsum explicat, nullumque hic dubitandi cuiquam locum relinquit. Scribit enim alio in loco, quod & superius admonuimus, sacrificium Ecclesiæ constare ex visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, ex Sacramento & re Sacramenti, vt rem Sacramenti, non fructum aut finem, sicut tu falsò cõminisceris, sed ipsum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguinem nuncupet. Huic ergo mẽtem suam expliçanti fidem adhibendam esse censeo: tibi autem quiduis comminiscenti, & quod nusquam loquitur ille, liberè fingenti, nihil omnino credo. Quamuis ne perfricuisse frontem omnino videare, negare non audes Augustinum in eo loco rem Sacramenti pro corpore Christi vsurpare, in superiori autem, vbi rem Sacramenti omni homini ad vitam, nihil ad exitium dari pronunciat, pro fructu & effectu Sacramenti, non pro corpore Christi ipsum intelligere comminiscaris. Ac ne id temerè facere videaris, figmentum etiam quoddam tibi, sed quod in mentem Augustino aliquando venisse demonstrare non potes, tibi excudis. Rem enim Sacramenti, quoties confertur cum signis, pro parte cælesti, hoc est pro corpore Christi ab Augustino accipi perhibes. Quoties autem Sacramentum cum fructu confertur, tam rem Sacramenti, pro fructu & fine sacramenti ab eo intelligi dicis.

Sacramẽtũ quoduis duplici re constare.

Scarga dũ transubstantiationem stabilire cupit seipsũ in omnes formas transformat.

Tu verò ista tibi, quando libet, somnia finge, téque ipsum volés ac sciens decipe, at qui tecum

delirare velit, vltróque in tanta luce tecum cæcutire, neminem te nisi tui similem habiturum scito. Quare vt impudenter vos mentiri, & sententiam Augustini affectata malicia corrumpere omnibus innotescat. Turrianus patronus tuus fraudem tuam detegit, & quod ad veritatem opprimẽdam vtrique conspiraueritis, apertè docet. Aliter enim hunc Augustini locum ille deprauat, & rem Sacramenti non pro corpore Christi, sed pro ipso Christo ab Augustino vsurpari fingit. Ridiculè quidem hæc ac stolidè, sicuti superius id à me sufficienter demonstratum esse puto, sed sic tamen, vt ex ea opinionum inter vos discrepantia, facilè quiuis malam vestram fidem in interpretandis Patrum scriptis subodorari possit. Rogo itaque æquum lectorem, vt expensa hac effrẽni istorũ quiuis figendi ac comminiscendi licentia, tandem Sinones istos agnoscat, & ex paucis his, reliquos omnes verba nobis vbiq; dantes perdiscat. Quicquid enim garriant isti, sic à veteribus & ab Augustino, Sacramentũ ex duabus rebus, terrena visibili, & cælesti inuisibili cõstare dicitur, vt quod in Sacramento inuisibile est, & quod à solis bonis ac fidelibus percipitur, corpus nimirum Domini nostri Iesu Christi, id illi rem Sacramenti, vel gratiã, vel virtutem, vel veritatem, ac fructum Sacramenti multoties vocent. Nunquam enim illi virtutem & fructum corporis Christi, ab ipso corpore separant, vt quicunque huius particeps fiat, simul remissionem peccatorum, vitámque ac salutem hauriat. Et quod mali corpore Christi non fruantur, sed saltem visibili Sacramento, idem Augustinus lib. 1. contra Petilianum, cap. 104. docet. Visibile enim Sacramentum in bonis & malis esse posse testatur, inuisibilem verò charitatis vnctionem propriam

Turrianus dum Scargæ auxiliari studet, fraudẽ ipsius prodit.

Augustini clarissima sententia.

propriam esse bonis, cumautem vel iudicio vestrõ id quod inuisibile est in Sacramento, corpus Christi esse negare nequeatis, solos igitur bonos corpori Christi participare concedatis oportet.

Verùm quia tu, Petre, diuersum ex verbis Apostoli te colligere putas, hunc ergo quantum tibi suffragetur, audiamus. Qui manducat, inquit 1. Cor. 11. & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Inde verò apertissimè id docentem Apostolum ostendis, quod possint mali corpus Domini manducare indignè. Atqui longè aliud est, diiudicare corpus Domini, & manducare corpus Domini, si tu forsan putas, cum Apostolus Corinthios admonet, vt seipsos diiudicent, id eum velle, vt seipsos manducent. Nihil enim aliud est in percipiendo Sacramento diiudicare corpus Domini, quàm à communi pane & prophano cibo illud discernere, vt sicut in mortem pro nobis est traditum, & ad expianda peccata nostra cruci affixum, ita id vera fide & sincera charitate percipiamus, tantíque beneficij memoriam, debitis laudibus & prædicatione nostra recolamus. Nam qui sic manducant panem Domini, & calicem eius bibunt, verè corpori & sanguini Domini participant, ideóque iudicium & mortem æternam effugiunt. At qui ad istas epulas accedunt, vt corpus Domini non diiudicent, panem quidem Domini manducant, & poculum bibunt indignè, cum corpore autem Domini sancto nullum habent commercium, ideóque eo carentes. in quo solo vita est, iudicium sibi manducant & bibunt. Nam qui tantam Domini gratiam respuunt, vt certam animæ salutem in mysterio oblatã agnoscere nolint, aut tantam cordis peruersitatem & mentis impuritatem afferunt, vt ardenti desideriohunc sacrum

Diiudicare Scargæ quid sit, nota lector & risum tene

Diiudicare corpus Christi piis quid sit.

& salutarem cibum complecti recusent, bonitati quidem illius nihil derogant, nec malum causari possunt, sed iustam condemnationis materiam, dū ad eum percipiendum fauces cordis non aperiūt, in seipsis inueniunt.

Hoc verò Augustinus in iis quos citasti locis clarè edisserit, vt non tuæ patrocinari causæ, sed eam oppugnare maximè videatur. *Sicut Iudas*, inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in diabolo permisit, sic indignè quisque Dominicum sumens Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus etiam erat illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Nihil enim aliud his verbis innuit Augustinus, quàm quod Sacramētum, prout à Domino ad obsignandam salutem omnium recipientium est institutum, semper sit sanctum & bonum, vt quo verè Dominus carnem suam manducandam, & sanguinem bibendum omnibus offerat, sed indignitas accipientium hoc efficit, quod accidit & Iudæ vt non Christo, sed diabolo locum in se permittant, ideóque Christi corpori non cōmunicantes, ab omni spe salutis excidant. Quare quod in alio quē producis loco, idem Augustinus *Iudam proditorem, bonum Christi corpus percepisse, sed quia bono benevsus non sit, deletum esse dicit*, non ita accipiendum est, vt reuera corporis Christi participem eum factum fuisse doceat, sed quatenus Sacramentum siue visibile signum corporis Christi accipit nomen, & promiscuè tam à bonis, quàm à malis comeditur, qui Sacramento tenus, scilicet, vt alibi explicat Augustinus,

Augustinus de Baptismo lib. 5. ca. 8.

Augustini sententiæ explicatio.

stinus, non reuera corpus Christi percipiunt. Neque enim tam obliuiosus aut incogitans fuit Augustinus, vt cum in multis scriptorum suorum locis, nemini corpus Christi ad exitium dare testetur, idem sui oblitus, à malis etiam corpus Christi percipi posse doceat.

Sed quia sententiæ Augustini nemo fidelior interpres esse potest, atque ipse suæ, audiamus quid in eum sensum alibi scribat: *Illud etiā quod ait, qui manducat carnem meam & bibit sanguinē meum, in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus ait Apostolus, Qui iudicium sibi manducant & bibunt? Nunquid & Iudas Magistri venditor & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus suis confectum Sacramentum carnis & sanguinis eius, cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, comederet & biberet, mānsit in Christo aut Christus in eo? Multi denique vel corde ficto carnem illam mā-ducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducauerunt, apostatæ fiunt. Nunquid manent isti in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi carnem illam, & bibendi illum sanguinem, quomodo qui manducauerit & biberit, in Christo manet & Christus in eo. Nō ergo quocunque modo quis manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quodammodo, quem modum vtique ipse videbat, quando ista dicebat.* Ex his autem Augustini verbis nihil aliud colligere possumus, quàm duplicem carnis Christi manducationem ab eo statui, vnam quidem

Augustinus de verbis Domini.

Carnis Christi manducatio duplex.

quæ tam bonis quàm malis communis est, sacramentalem nimirum, secundum quam mali etiam dicuntur corpus Christi manducare & sanguinem bibere, eo quod cum Iuda proditore non reuera corpus Christi, sed Sacramentum carnis & sanguinis, quod suo modo, hoc est improprio & figurato modo, dicitur corpus & sanguis Christi, percipiunt. Alteram vero solis bonis & fidelibus propriam, qua non Sacramento tenus, sed reuera, spiritualiter per fidem boni carnem & sanguinem Christi percipiunt, vt reuera participes Christi facti, & in illa maneant, & illum in se manentem sentiant. Hæc est vera & genuina, Petre, de hoc Sacramento Augustini sententia, quam quibuscunque tu cauillis aut commentis tuis eludere studeas, illa tamen stat inuicta, nec se loco moueri sustinet.

Ad Origenem autem quod attinet, idem omnino quod Augustinus pronunciat, & sicut carnem Christi omnibus qui illam percipiunt, viuificam esse testatur, ita omnes malos ab eius manducatione excludit. Apertè enim scribit: *Multa porro & de ipso verbo dici possent, quod factum est caro, verúsque cibus: quem qui comederit, omnino viuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, vt qui adhuc malus perseuerat, edat verbum factum carnem, cum sit verbum & panis viuus, nequaquam scriptum fuisset: Qui ederit panem hunc, viuet in æternum.* Verùm hunc locum ita tu, Petre, intelligendum putas, vt Origenem de sola spirituali & fructuosa manducatione verba facere iudices, quæ quidem sicut solis bonis & fidelibus est propria, ita solis his vitam æternam tribuit. De manducatione autem illa, quæ in Sacramento est, prorsus hic tacere Origenem statuis, vt

Origenes in Matt cap. 15.

Scarga Origenicæ sententiæ impudẽs depraua-tor.

manducari nihilominus à malis carnem Christi asseueres, sed quæ nullum his fructum conferat. Ego verò vltro tibi istud concedo, vt malos in Sacramento corpus Christi manducare non denegem, sed secundum eam dicendi rationem, qua externum & visibile elementum rei ipsius significatæ accipit nomen, non autẽ quod reuera corporis Christi participes malos esse statuam. Nam cum cáro Christi, ipso Christo teste, nunquã manducetur, nisi in vitam æternam, mali ergo à vera eius cõmunione excidunt, vt qui vitæ æternæ hæredes esse nequeunt.

Ne ergo Origenes in re tam plana ac manifesta dissidere secum ipse videatur, Dominum, alibi, dum sanctum illud & incorruptum accipitur epulum, etiam sub tectum hominis indigni ingredi testatur, sed non alio modo, nisi quod externis & visibilibus vescatur signis, quæ sacramentali modo & figurata dicendi ratione ipso corporis Christi nomine cẽsentur. Neque enim nouum & inusitatũ est, dum scriptores antiqui de Sacramentis loquuntur, multoties eos id tribuere signo quod nonnisi rei signatæ cõpetit, & vicissim corpori Christi vendicare quod soli conuenit Sacramento, siue externo ac visibili signo. Nam sic multoties vitam immortalem & incorruptibilem tribuere accipienti panis dicitur, cum hoc officium non panis, sed corpus ipsum Christi præstat & corpus ipsum Christi frangi, aut dentibus malorum etiam atteri, vel ore accipi, aut in corpus eorum ingredi, cum tamen id solis externis conueniat signis. Quod autem ad veram corporis Christi mãducationem pertinet, quæ visibilibus repræsentatur signis, hoc quidẽ vt sub nullos hominum cadit sensus, neq; vlli fractioni obnoxium est, ita sẽ

Origenes Homilia in diuersos 5.

Veteres id signo tribuere quod signato cõpetit, & contra, quod signi est, rei signatæ ascribere.

lo spiritu ac mẽte, fidéque hominis pij & per grãtiam Christi Iesu iustificati percipitur, non autem cuiusquam faucibus apprehenditur.

Hieronymus in Esai cap. 66 lib. 18.

Negat ergo diuus Hieronymus omnes voluptatis magis amatores, quam amatores Dei, manducare carnem Iesu & bibere sanguinem eius, quando non sancti corpore, neque Spiritu, manducare nequeant, Christo ipso testante: Qui manducat carnem meam, habet vitam æternã, &c. Tu verò, Petre, semper eandem cantilenam nobis occinẽs, siue potius eadem chorda semper oberrans, Hieronymum negas excludere à manducatione carnis Christi homines malos, sed saltem à vita æterna, vt manducent illi quidẽ, sed non ad vitã æternam. Atqui manifestũ te falsariũ contraria Hieronymi verba, & testimoniũ Christi, quod ab eo citatur redarguunt. Omnibus enim carnẽ suam mãducantibus & sanguinem bibentibus, Christus promittit vitam æternã, vt Hieronymus ex necessario consequenti, neget propterea homines sceleslos carnis & sanguinis Christi participes fieri posse, cum vitam æternam minimè consequantur. Verùm tu vt contrarium, ex scriptis Hieronymi ostendas, producis eius sententiam, ex capite in Malachiam primo. Ibi enim pollui panem scribit Hieronymus, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus mensa Domini despecta est. Atqui scribens ea Hieronymus minimè secum pugnat, neque priori suæ sententiæ contradicit, vt cum semel negauerit carnem Christi ab indignis manducari posse, nunc è contrario illos carnis & sanguinis Christi participes statuere velit. Panem ergo, qui Sacramentum corporis Christi est, vel quo, vt idem Hieronymus scribit in Mat

Iesuita Hieronymi sentẽtiæ effrõs corruptor

Hieronymus secũdum Scargam sibi non constans.

thæum cap. 26. repræsentatur corpus Domini, & vino sanguis, perceptum ab indignis pollui testatur Hieronymus, vt Sacramenta illi quidem percipiant ad interitum, eò quod ipsa violantes, Dominum, cuius sunt Sacramenta, violent, neque tamen corpori aut sanguini Christi communicent. Hoc enim ipse explicat Hieronymus, scribens in illa Malachiæ verba. Vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: Dominum ipsum indignè à malis tractari perhibens, quando eius contaminant Sacramenta. Nec ab eo dissentit Cyrillus, qui scribens in Iohannem lib. 2. cap. 14. Eum qui Regis alicuius terreni statuas euerterit, perinde puniri affirmans, atque si regem ipsum contempsisset. Dicuntur ergo homines impij siue mali, corpus Christi manducare & sanguinem bibere, non quod reuera manducent, aut bibant, sed quia Sacramenta rerum istarum cœlestium percipiunt, quæ consueta sermonis figura id esse dicuntur, quod non fallaciter significant ac repræsentant. Nam quod soli fideles & homines pij ita Sacramẽta percipiũt, vt simul & rerum cœlestium participes efficiantur, id Hieronymus ipse scribens in Hoseam diserte testatur. *Isti hæretici*, inquit, *multas immolant hostias, & comedunt carnes earum, vnam Christi hostiam deferentes, nec comedentes eius carnem, cuius caro cibus credentium est.* Si ergo caro Christi Hieronymo teste cibus credentium est, non profectò hunc cibum attingunt, neque eo vescuntur, qui fide carent, & in impœnitentia perseuerantes Sacramenta percipiunt.

Mala. 1. 6.

Cyrillus sacramẽta signis comparat.

Hieron. in Hoseæ caput. 8. lib. 2.

Vana ergo, Petre, & fallax opinio tua est, qui omnes sine discrimine Sacramentis vescẽtes corporis & sanguinis Christi participes fieri doces, hac sola differentia posita, quod mali ore tantum,

& in exitium, boni autem spiritualiter, & in vitam æternam percipiunt. Nam quia sola sincera fides est, qua tam salutaris & viuificus cibus apprehenditur, & nunquam in exitium, sed semper in salutem, falsissima profectò tua sententia esse deprehenditur, qui carnaliter & ore corpus etiam Christi, aut in interitum manducari confidenter asseueras. Nam quæ huc abs te Augustini producuntur sententiæ, tanquã huic errori tuo patrocinãtes, illæ verò vel sole ipso clarius demonstrant, carnaliter quidem & visibiliter externa corporis & sanguinis Christi percipi posse signa ab impiis, carnem verò Christi manducari non posse, vt quę tantum spiritualiter, nunquam autem carnaliter ac visibiliter à quoquã percipiatur. Tu verò quod vim apertam sententiis Augustini facias, vel Turrianus patronus tuus te docere potuit, qui in explicandis eisdem sententiis, diuersum à te sequitur sensum, vt certum scilicet omnibus exhibeat documentum, vnicum quidem mentiendi propositum vobis esse scopum, sed in tanta opinionum varietate, procul ab omni veritate aberrare, nec satis cautè dolum vos celare. Hoc verò tam planè superius à me demonstratum esse puto, vt qui deinceps laqueis vestris se capi patiatur, dignus sit, qui vel in plano impingat.

Corpus Christi sumptum vnicuiq; vitam largitur.

Turrian' Scarganus hypaspistes fit ipsius proditor

Vna adhuc, eáque certissima omnium, nempe Christi ipsius Domini restat sententia, quam tu, sed frustra, conuellere tentasti. Qui manducat, inquit Christus, carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Inde verò necessariò ego colligo, quod & Augustinus docet, malos ideo non manducare carnem Christi, quia non manent in Christo. Tu verò vt firmissimum hoc & inuictum argumentum eludas, vnam me

Scarga quàm impiè Christi verba corrumpat.

vocem ignorasse dicis, quam Apostolus scilicet quasi per interpretationem adiunxit: Dignè videlicet & indignè. Qui enim, inquis, dignè mãducat corpus Domini, sicut ipse Dominus instituit & voluit, is manet in Christo, & Christum in se manentem habet. Mali autem, dicis, ideo non manent in Christo, quia manducant quidem corpus Christi, sed indignè. Atqui tua hæc sunt, Petre, somnia, inque tuo cerebro nata phantasmata, quæ vt à mente Christi sunt aliena, ita nunquam ab eo fuerunt prolata. Carnem enim suam Christus verè esse cibum pronunciat, & sanguinẽ verè potum, vt nimirum tantã sacri huius agnoscamus energiam, quæ nunquam percipientibus infructuosa esse queat. Tu verò qui malis hanc escam proponis, eáque sic illos vesci affirmas, vt nonnisi toxicum & venenum animæ inde referant, annon Christo ipsi contradicis, eúmque vanitatis redarguis, qui id cibum verè esse affirmet, quod tamen animam non nutriat, sed morte potius absumat? Christus, inquit, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Scarga autem Christo sese opponit, & manducari à multis carnem Christi perhibet, quibus tamen spem æternæ vitæ adimit.

1. Cor. 11.

Corpus Christi nunquã sine accipientis fructu sumitur.

Scargam Christo ipsi contradicere

Agnosce, Petre, in quæ te absurda, seu in quam potius impietatem compellit pertinax hæc tua in mala causa vincendi libido, vt Christo etiam, quantum in te est, mendacij crimen impingere non erubescas. Nam quod errori tuo in Apostolo patrocinium quæris, ille te nihil subleuat, procúlque ab ista tua opinione distat. Neque enim ille corpus aut sanguinem Domini indignè manducari posse asserit, sed panem & poculum Domini vt qui illa malo profanat vsu, corpori & sanguini

Christi contumeliam irrogat, ideóque non corpus & sanguinem Christi, quæ vitam æternam, Christo teste, semper secum ferunt, sed condénationem manducet & bibat. Christus enim quod iam admonui non receptus, sed per incredulitaté excluſus, & odor est mortis in mortem & petra scandali. Quicunque enim fide eum recipiunt, vitæ & salutis participes effecti, de morte & Satana triumphant, & à metu condemnationis æternæ securi, intrepidè in eo conquiescunt. At verò qui hunc lapidem angularem reprobant, ipsi ab omni spe salutis excidentes, vltro sibi exitium accersunt, vt qui solem iustitiæ repellentes, in perpetuis peccatorum tenebris oberrant. Ita verò in Christo tanquã vnico omnis vitæ & salutis fonte, nullavnquã condemnationis materia deprehéditur, sed omnis culpa in homine ipso residet, qui cæcitate mentis laborans, vltro oblatũ sibi lumen repellit. Verissimum enim est, quod Propheta populo rebelli, & gratiam Dei proteruè respuéti occinit: Perditio tua ex te est Israel, in me auxilium.

Christus ipse nulli infidelitũ materia perditionis.

Hoseę 13. 9.

Rom. 7. 12

Itaque quem tu hic, Petre, Apostoli citasti locum de lege Dei disputantis, quam quidem ille dicit sanctam, & mandatum Dei sanctum & bonum, operari tamen homini per bonum mortem, illa verò Apostoli sententia teipsum constringit, & quod non corpus Christi, vt tu existimas indignè sumptũ, sed indignè potius reiectũ occasioné interitus homini affert, perspicuè docet. Neque enim lex Dei sancta, seruata & adimpleta, materiam condemnationis præbet, sed natura hominis deprauata, omnem mortis reatum sustinet, vt quæ Dei legi reluctatur, & in res prohibitas toto impetu fertur. Ita verò non qui Christũ recipiũt, sed qui sibi, siue per verbũ, siue per Sacramẽta oblatũ repu-

repudiant, mortem & interitum, dum vitæ & saluti communicare nolunt, sibi volentes accersunt. Nam si Christum reciperent, vitam profectò, quæ cum corpore Christi tanquam lux cum suo sole semper coniuncta est, non amitterent, neque in condemnationem mortis incurrerent. Hanc enim hi soli sustinent, qui Christo vacui, membra sua domicilium Satanæ exhibent, & in omnem fœditatem patrandam se ab eo impelli permittunt. vnde cum absurditatem illam meritò reprehendendam iudicarem, Christi participes eos à vobis statui, in quibus tamen Satan tanquam in filiis incredulitatis & inobedientiæ operatur, tu vt societatem hanc optimè conuenire demonstres, ita in Christum & Satanam partiris, vt ficut mali & ad Deum ex parte creationis & naturæ, quæ bona est, & ad diabolum ex parte peccati pertinent, ita nimirum & membra quædam mystici Christi corporis in Ecclesia hac militante, membra etiam Satanæ, sed diuersa connexionis ratione, dici posse perhibeas. Quia enim, inquis, fide, quæ bona est, & Dei donum, Sacramentorúmque communione cum Christi mystico corpore coniunguntur, ad membra eius in hac vita pertinere eos, quia verò cum Satana societate coniunguntur membra etiam eius esse assueueras. Sic verò Iudam Diabolum vocatum, & eundem tamen Apostolum Christi fuisse negari non posse contendis.

Coloss. 5. 6.

Scarga oblitus illius, nulla conuẽtio Christi cũ Belial, temerè hæc opposita miscet.

At verò vehementer falleris, qui homines malos & societati peccati cum Satana coniunctos, inter membra Ecclesiæ Dei reputas, quando inter membra corporis Christi nemo verè censetur, nisi qui Christo capiti per fidem cohæret, & per gratiam adoptionis ac Spiritus sanctificationem ius hæreditatis filiorum Dei consequitur. Nam etsi

Reprobis nihil prodest in sinu Ecclesiæ contineri.

sunt, qui per externam fidei confessionem, & Sacramentorum participationem in sinu Ecclesiæ continentur, non tamen vera fide & solis Dei filiis peculiari donantur, nec ex Sacramentis fructum sanctificationis assequuntur, externis nimirum elementis ac signis communicantes, rerum autem internarum & cœlestium participes minimè facti. Et quia nulla ingenij aut iudicij humani acies adeò perspicax est, quæ quid in occulto cordis recessu lateat, perscrutari possit, plurimi autem Hypocritæ bonis in Ecclesia permixti, externam sanctimoniæ speciem venditant, qua populo Dei atque adeò pastoribus ipsis imponunt, ideo fit, vt quod sanctum canibus dare, & margaritas porcis obiicere vetantur, multoties ignari of ferant, & Sacramenta æquè bonis ac malis dispen

Sanctum canibus dari Christus vetat Matt. 7.6. ergo nec ipse dat corpus suũ iisdem.

sent. Indubia tamen ac certa Domini voluntas in talibus à communione sanctorum, qui modo humano agnosci possunt iudicio arcendis, satis euidenter docet, quod sicut solis filiis Dei, ad obsignandam illorum salutem Sacramenta à Domino sunt instituta, ita qui illa indignè vsurpant, certo se ipsi exitio deuouent, dum Christum non appre hendentes, à vita & salute excidunt. Nec quia Iudæ muneris Apostolici functio à Domino commissa fuit, & miraculorum edendorum potestas, ideò ex numero electorum, & ad vitam æternam

Iudas licet Apostoli munere fungeretur, non tamẽ electus erat.

prædestinatorum fuisse cognoscitur, quando perfidia sua & scelere hoc effecit, vt sacro etiam mensæ Domini conuiuio admotus, non tamen vitam ex Christo hauriret, sed Satanæ mancipium effectus, se in æternum exitium præcipitaret. Ita verò euidentissimis omnibus demonstrationibus & argumentis adducti, infallibiliter concludimus, pra uam imprimis & erroneam, ac cum scripturis sanctis

sanctis pugnantem sententiam vestram esse, qui externa Sacramentorum elemẽta in corpus ipsum & sanguinem Christi substantialiter transmutari creditis, aut sic res istas cœlestes ac diuinas in visibilibus signis, tanquam aurum in scrinio localiter contineri putatis, vt quicunque his vescuntur siue sint homines mali & impij, siue bestiæ rationis vsu carentes, corporis etiam & sanguinis Christi facere participes non dubitetis.

De sacrificio missatico.

Quare cum nihil omnino firmi ac solidi afferre Petre potuisti, quo tam crassum, & palpabilem errorem tuum confirmares, vnum adhuc telum, idque vltimum in medium affers, quo tanquam arie te arcem veritatis munitissimam te expugnaturum existimas. Nam vt omnibus persuadeas, reuera corpus Christi sub accidentibus panis conti neri, & promiscuè tam à bonis quàm malis carnaliter ore manducari, agnitum semper & prædicatum in nouo Testamento corporis Christi sacrificium fuisse contendis, quod quidem ritè peragi non posset, nisi reipsa præsens in altari aut manibus sacerdotis existeret. Egregiam verò argumentandi rationem, vt quod dubium & incertum est, id te per multo iucertius comprobaturum putes. Quæso enim, Petre, vt vel vnicum ex scriptura sancta apiculum nobis proferas, qui sacrificandi aut offerendi corporis Christi pro peccatis viuorum & mortuorum institutum commemoret. Scriptura quidem testatur vniuersa, Christum in fine seculi pro peccatis omnium seipsum semel in ara crucis obtulisse Deo, & æterna redemptione parta, consedisse in cœlis à dexteris Dei, vt appareat in conspectu Dei pro nobis. At verò huius sacrificij repetendi, aut alterius in locum eius surrogandi nullam vnquam mentionem facit. Nec

Iesuiticæ demõstrationes.

Christus seipsum in sacrificiũ semel obtulit. Ebr. 9. 25.

verò Christus in extrema sua Cœna aliquod nobis sacrificium Deo offerendum, Sed Sacramẽtum corporis sui manducandi pro nobis oblati, & sanguinis sui bibendi pro nobis effusi constituit, vt nimirum corpus eius manducantes, & sanguinem bibẽtes, memoriam mortis eius, quam in expiationem peccatorum nostrorum semel subiuit, perpetuò recolamus, tantúmque beneficium debitis laudum præconiis, & iusta gratiarum actione prædicemus. Vos autem qui tam clarum Domini institutum in diuersum habitum transformastis, & pro communi omnium fidelium mensa, priuatum quoddam vni homini epulum instituistis, vt nimirum sine vocatione vlla, sine vllo præscripto Dei mandato, corporis Christi pro peccatis omnium offerendi partes sibi suscipiat, atque ita se superiorem Christo constituat, magna quadam contumelia mortem Christi afficitis, & violati fœderis nunquam interrumpendi vos reos esse factis ipsis testamini.

Sacramentum non sacrificiũ Christum instituisse.

Papanos pro cõmuni mysterio priuatum sacrificiũ substituisse.

Scimus quidem ipsis etiam Apostolorum temporibus id Satanam fuisse molitum, vt sacram Domini institutionem conspurcaret, & dignitatem tanti mysterij, eam cum prophanis miscens epulis, contaminaret. Sed Apostolo Paulo à tanta profanatione omnes reuocante, & ordinationem Dei ob omnium oculos ponente, multis post in Ecclesia seculis, non alio ritu hanc sacram Domini actionem celebratam nouimus, nisi vt omnes ex vno pane ederent, & vno calice biberent, atque sic sacrificij semel in cruce peracti vera fide participes effecti, de morte & Satana debellatis triumpharent, ac pro tam immenso Dei beneficio sacrificium laudis & gratiarum actionis ipsi offerrent. Hanc autem sic tractatæ Cœnæ Dominicæ cum

Cœna Dominica ad huc Apostolorum ætate insidiis à Satana cœpta.

cum vetustissimi quique scriptores Ecclesiastici nobis proponant in libris suis imaginem, omnem illum antiquum & simplicem sacri huius conuiuij celebrati describentes ritum, tamen quę vestra est impudentia, totam illam vetustatem sanctam omnibus his erroribus sacrificij peragendi, quale hodie in Ecclesia Romana conspicitur, affinem facere non dubitatis, & quasi ea sacra per manus antiquitatis vobis tradita essent, fingere non erubescitis. Nam quæ eorum à vobis citantur dicta, & vafrè ad stabiliendum hunc errorem torquẽtur, illi verò planissimis scriptorum suorum sententiis hanc suspicionem vbique à se remouent, & quod nullas priuatas celebrauerint missas, sed omnibus exæquo, sanctam Domini administrauerint Cœnam, clarissime testantur.

Quod si quid vitij ex humana præsumptione huic sacræ actioni per illos admixtum esset, non ego id contemnere, & pro nihilo reputare dubitarem, quando cum, teste Cypriano, solus Christus sit audiendus, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Verumtamen cum nulla sit particula missæ, quæ non ad autorem suum certi temporis referatur, vt fœdissimum etiam Canonem illum, qui tamen totius missæ basis est & columen, multis post Apostolorum tempora seculis, Gregorius à scholastico quodam obscuro conscriptum testetur, quamuis Innocentius autorem eius Gelasium Papam tradit, nihil tamen certi affirmans, sed autoritati etiam Gregorij cedens, inde verò facile quisque æstimare potest, omnino id totum falsum & commentitium esse, quod Cretenses isti

Veterum Ecclesiasticorum vitia tollenda, nõ autẽ pro lege arripienda. Cyprian. ad Cecilium lib. 2. epistol 3.

Canon Missę quẽ authorem habeat.

sanctis illis patribus antiquis tribuunt, vt sacrificium hoc missæ ab illis vsurpatum prædicent. Sed quid non auderent isti, qui adeò frontem perfricuerunt, vt Iacobum etiam Apostolum, fratrémque Domini primum missæ autorem fingere non reformidarint, sed omnem Historię memoriam ex animis hominũ istos delere oporteret, vt id quod volunt, obtinere possent. Hoc autem cum fieri nequeat, quid restat aliud, nisi vt summamistorum impudentiam deploremus, & in manifesto deprehensos mendacio, meritò contemnamus. Quare quæcunque, Petre, & ex patrum sententiis iniquè detortis, & ex incertis rerum coniecturis depromis, vt sacrificium hoc tuum quomodocunque stabilias, illa verò omnia tanquam fragili fundamento superstructa, vltro corruunt, vt non magnopere operam impulsúmque meum requirant. Nec verò actum agere volo, rem nimirum eam confutãdam suscipere, quæ ab eximiis seculi nostri scriptoribus, tot solidis argumentis & certissimis scripturarum sanctarum testimoniis confossa ac depressa est, vt qui contra obganiunt, vano & irrito conatu prælium, toties cæsi ac fugati, restaurare videantur. Neque ego ad conuincendum errorem tuum noua subinde promere arma necesse habeo, quando vnicum transubstantiationis commentum labefactatum, omne id vanum & futile esse quicquid de sacrificio missæ commenti estis, planè coarguit.

Iesuiticæ structuræ suapte spõte corruũt

Nunc autem ad ea quæ tu, vt videri vis, zelo ductus, mihi expendenda, & paulò diligentius cõsideranda proponis, paucis tibi respondeo. Non agnosco, Petre, eum me esse, qui suasoribus vel Doctoribus Helueticis, vt vocas magistris, derelicta vera

vera & sincera Christi fide, aliquod ab eis falsę doctrinæ propinatum venenum hauserim, aut vni alicui apostatæ nouum in Ecclesia dogma suscitanti me fascinãdum præbuerim. Isti enim quos commemoras, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Martyr, tantum abest, vt alicuius erronei & hæretici dogmatis autores fuerint, vt è contra in repurganda Ecclesia Dei ab omnibus hæresibus & doctrinæ corruptelis fortes & inuictos Christi athletas sese exhibuerint. Scimus enim omnes, quicunque memoria vetera repetimus, & eorum qui ætatem nostram anteceſſerũt doctorum virorum scripta euoluimus, extitisse semper doctrina & pietate singulari pręstantes homines, qui deformatam multis modis Ecclesiam Christi deplorarent, & deuastatam Domini vineam ab apro siluestri & immundo liberè quererentur. Huius autem vastitatis & ruinæ certissima vbique extabant documenta, dum homines ab vnico vitę & salutis auersi fonte, Deo ipso rerum omniũ fabricatore, in creaturis & infirmis huius mundi elemẽtis totam spem salutis suæ collocabant, totque deos tutellares, quot haberent templa & aras, in præsidium totius vitæ inuocabant, Christi autem tenuem quandam notitiam in mentibus hominum fuisse relictam, tot salutis noua media adinuenta, & in dies cumulata apertè testabantur, vt ore quidem Saluator diceretur, sed corde & mente falsis opinionibus dementatæ plebeculæ, non agnosceretur. Sacramenta verò varijs hominũ traditionibus & inuentis conspurcata, omnem suam ferè natiuam speciem amiserant, & nouis alijs hominum arbitrio introductis sacramentis, velut in turba aliorum, obscura quodammodo latebant. Quid dicam nunc de regimine ipso Ecclesiæ, vbi qui præesse doctrina, vi-

Helueticí Doctores inuicti Christi athletæ.

Corruptelarum doctrinæ nunquam defuerũt fidi impugnatores.

Doctrinæ Apostolicæ corruptelæ.

Disciplina

Christiana per Antichristū sublata.

tæque exemplo pastores debebant populo Christi: & sublato omni legitimæ vocationis ordine & præscripto ex verbo Dei ac vetustis canonibus examine prorsus abolito, passim homines indocti & flagitiosi Ecclesiis præficiuntur, passim per vim & fraudem, vel simoniam, aliasque improbas & iniustas artes inuitis ouibus obtruduntur. Itaque non de docendo, aut salutari cibi cœlestis pabulo reficiendo solicite populo; sed quærendis & per omnem luxum ac intemperantiam profundendis intenti opibus; inanes & inutiles residentlaruæ, siue potius sub pastorum titulo, atroces & nonnisi gregi suo insidiantes lupi.

Sacerdotū Papæ studia & mores.

Hanc verò Ecclesię miseram dissipationem, cùm multis retro ante seculis passim homines pij deplorauerint, & debita remedia tot lethalibus morbis postulauerint, nostro demum seculo magno Dei beneficio factum agnoscimus, vt excitauerit eos homines, & virtute spiritus sui armauerit, qui veram salutis viam omnibus demonstrarent, & ab errore diuturno in certam veritatis semitam reuocarent. Eos autem cum tu vocas hæreticos, & falsorum in Ecclesia dogmatum authores, teipsum ex numero luporum esse profiteris, qui adeò nulla salutis ouium afficiuntur cura, vt ereptas ex faucibus orci, vitæque restitutas, vehementer ingemiscant. Nam quæ obsecro spes salutis eorum esse poterat, in tanta totius doctrinæ Euangelicæ deprauatione, in tam nefaria Sacramentorum profanatione, in tam crudeli conscientiarum carnificina, quas isti belli pastores quibusuis legum vinculis, omni erepta libertate, constrictas & irretitas perpetuò vexabant? Nunc ergo sanctorum istorum virorum opera, verus vnici Dei cultus ita feliciter restitutus est, vt solus æternus Deus in spiritu & veritate

ritate adoretur, vt cum pura & tranquilla conscientia, tanquam solus vitæ, bonorumque omnium author, inuocetur. Quibus autem laqueis mentes hominum tenebantur implicitæ, & perpetuis tormentis excruciatæ, eorum nunc iugo excusso, in vnico Christo saluatore, tanquam solo & vnico salutis fonte, suauiter conquiescunt. Atque ad testādam tam singularem Dei omnipotentis benignitatem, & confirmandam veram in vna morte & sanguine filij Dei fiduciam, toties vero ac salutari corporis & sanguinis Christi fideles se reficiunt cibo, non quidem inaniter alijs epulantibus oculos pascentes, aut ventrem & fauces tanquam ad corporalem aliquem cibum præparantes, sed solas animas iustitiæ Christi sitientes & auidas, ad percipiendam hanc cœlestem escam aperientes. Et quia solis filijs Dei, sanguine Christi emundatis, hunc cibum nouerunt esse ordinatum, ideo sedulò cauent, ne flagitijs & sceleribus polluti, ne peccatorum contagione fædati, hæc sacra mysteria attingant, quæ indignè percepta non possunt esse nisi exitiosa.

Cultus Dei verus nunc tandem restitutus.

Cœnę Dominicæ vsus.

Hæc verò cūcta in Ecclesijs nostris peragi conspicientes, & expressam Apostolici temporis, ac puræ illius antiquitatis imaginem vbique cernentes, quonam iure, Petre, hæretici vocamur? quo iure à communione sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ abscisi pronunciamur? quo iure æternæ condemnationi à vobis adiudicamur? At verò iustam excommunicationis tibi videmur sustinere pœnam, qui ab vno Christi ouium pastore, Papa scilicet vestro defecimus, qui sacerdotes institutis eius & mandatis instructos non audimus. Verùm hunc non pastorem, sed filium illum perditum in

Scarga Apostolicæ doctrinæ persecutor.

templo Dei sedentem, cunctaque Christi instituta conuellentem, sacra pandunt oracula, ac tantus doctorum, piorumque omnium & antiqui & nostri seculi consensus testatur. Audi enim quid tui, ante istos exortos, quos vocas, hæreticos, de hoc Pastore scripserint Catholici, vt vel tuorum iudicio conuictus, tandem ad meliorem mentem redeas, istudque idolum non pastorem adorare desinas. Paucos autem ex infinita hominum multitudine deligam, eosque nominis Italici viros, vt magna fæditate ac turpitudine sanctissimi huius pastoris vestri offensi, nullum etiam periculum vitæ extimuerint, quin libere calamum suum contra eum stringerent.

Papa Romanus Dei aduersarius, homo peccati, filius perditionis 2. The. 2.

Primus autem occurrit Franciscus Petrarcha, vir, vt scripta eius testantur, exquisite doctus & eloquens. Hic quidem curiã Papæ Babylonem vocat, & meretricem Babyloniam super aquas sedentem, matrem omniũ idololatriarum, & scortationum, cum qua fornicati sunt Principes & Reges terræ, & alia plurima in eam sententiam scribit, vt non obscurè significet Papam esse Antichristum.

Fran. Petrarcha vir eloquentissimus, Papismi obliquus impugnator, anno 1370.

Laurẽtius autẽ Valla ciuis Romanus, donationem illam Constantini, qua Papa primatũ super omnes Ecclesias à Constantino sibi concessum, Imperatoriáque ornamenta & dignitatem, postremò & totius Occidentis imperium gloriatur, acriter redarguit, & scelerate confictam ac nunquam ab Imperatore factam, certissimis argumentis demonstrat. Idem accusat Papam & sacerdotes eius, de plurimis mendaciis in regione impiè confectis, deque polluta falsitatibus Christiana pietate. Platina verò vitas Pontificum describẽs, etsi plurima scelera & impietatem dissimulat, tamen multoties magnitudine flagitiorum victus, tãtopere prauam religionem & simulatam potius quàm veram, & Pontificum & sacerdotum detestatur, eoque impietatem eorum excreuisse clamitat, vt vix misericordiæ locum apud Deum reliquerint. Hieronymus quidẽ Sauanarola summa doctrina & pietate præditus Ecclesiastes, Florentiæ exustus est, eo quod contra primatum Papę publicè declamitauerit, & ab eo tanquam Antichristo, veram religionis doctrinam traditionibus deprauatam doceuerit. Hunc verò præclarus ille heros Franciscus Picus Mirandulanus, insignis simul theologus & philosophus, prophetam sanctum appellat, & quod impiè pro hæretico condemnatus atque exustus sit, demonstrat. Plurima autem vitia doctrinæ Pontificiæ idem Mirandulanus aperit, vt Maximilianum Imperatorem ad seriam Ecclesiæ reformationem adhortatus, inter cætera hoc scriptum reliquerit. *Reliquum est, maxime Cæsar, qua te fide & pietate possum, deprecer, vt sanctissimum illud propositum tuum vindicandæ in pristinam libertatem Reipub. Christianæ, quamcitius fieri possit, adimpleas, Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & IESV Christi Domini nostri sanguine circumseptum & cõsecratum ouile, peiora multa perpessum est, indiesque patitur, lupis magis sub ouina quã propria pelle grassãtibus.* Sed neque tantum ocij nec temporis mihi suppeteret, vt omnia persequi possem, quæ clarissimi isti viri, eorumque similes, contra istos omnis veræ pietatis & religionis euersores vehementissime declamant.

Platina Paparum assentator claruit anno 1480.

Porrò cum tam ardentem in hominibus piis pro gloria Dei zelum cupidè amplectimur, cum inuictam hanc animi magnitudinem summis quibusque laudibus dignam reputemus, an verò eos,

Hierony. Sauaranola, Dominicaster, Florentiæ à Papa martyriũ subiit, anno 1496. Picus Mirandulæ & Concordiæ Dominus.

qui se tyrannidi Pontificiæ palam opposuerunt, qui piis & sanctis laboribus vineam Domini ab omnibus falsæ doctrinæ sentibus repurgatam nobis reddiderunt, falsò hæreseos aspergi crimine ab istis lupis, ouinam speciem ostentantibus, æquo animo patiemur? At verò diuina istorum hominum scripta, & summæ doctrinæ ac pietatis præclara monumenta, vltrò istam calumniam repellunt, neque hunc venenatum morsum extimescunt. Quæ enim doctrinæ Christianæ, ac totius religionis nostræ pars est, quam illi non fidelissimè explicant? quid tam abditum, & obscurum in diuinis mysteriis, quod non illi cum summa perspicuitate elucidauerint? Hæreticos autē eos quis nisi homo impudentissimus vocauerit, quorū perpetui & indefessi labores, tam eorum qui in Domino obdormierunt, quàm eorum qui supersunt, hoc vnum testantur, nihil illis magis propositum esse, quàm vt omnes hæreses iusto sanctæ Ecclesiæ iudicio iam olim damnatas, excitari ab orco non sinant, & excitatas fortissimè prosternant? Ac proinde Scarga cum nullum prorsus hæreseos crimen inueniret, quod merito illis impingere posset, hoc vnum reperit, vt Zuinglianos vocet, doctrinam videlicet de Sacramento corporis & sanguinis Christi nouam, & veteri illi, sanctæque Ecclesiæ incognitam à Zuinglio promulgatam asserens, quam isti nullo veteris Ecclesiæ exemplo sequentes, & à primo eius authore denominati meritò hæretici vocentur.

Theologi Euangelici quales sint.

Orthodoxi Scargæ Zuingliani.

Verùm tot, tantaque totius antiquæ Ecclesiæ testimonia perspicuè demonstrant, nihil istos de venerando Eucharistiæ Sacramento, qui Zuingliani vocantur, proponere, nisi quod magno consensu tota illa sancta docuit vetustas.

Ponti-

Pontifex autem Romanus omnis diuini & humani iuris oppressor, multis nequitiæ & impietatis satellitibus instructus, dum per tyranidem Ecclesiam occupauit, séque Principem & Dominum in ea constituit, omnem Christianæ religionis doctrinam violauit, omnem sinceritatem doctrinæ Apostolicæ fermento traditionum humanarum inquinauit, totam verò actionem sacræ Domini Cœnæ in nouum quendam & monstrosum habitum, ac veteri Ecclesiæ incognitum, primus transformauit. Postquàm enim commentus est, ab eo quem ipse inaugurat sacerdote, Christum ex pane creari, saluis tamen omnibus panis accidentibus, hæc iam accidentia sine omni subiecto in aëre fundata, pro Deo ipso adoranda, hæc in sacrificium pro peccatis populi offerenda docuit. Inde verò sacrificium Missæ inuctum, rectè quidem hoc nomine dictum, quod in omnes mundi opes, huius sacri operatores immiserit, & latis fundorum ac prædiorum possessionibus ditauerit. Hæc enim sola Missa est, quę istos cœli & inferni constituit Dominos, vt per quam magno ęre redemptam ianuam cœli aperiunt, contemptam verò & spretam in orcum detrudunt. Hæc istos Romanos fecit rerum Dominos, gentémque togatam. Quæ quidem toga, & tranquillo beatę vitę ocio Scarga cum suis socijs lętus, & nullo labore quæsitas possidens opes, non est mirum, si Missam hanc saluam & incolumen cupiat, si qui eam infringunt, & fundamenta eius subruunt, sceleratos vocet hæreticos, omnibúsque pœnis dignos clamitet.

Papa Romanus qualis sit Pastor.

Papa pro Cœna Christi idolum erexit.

Missa vnde dicatur.

Sed bona tamen spe subnixus minime hanc ruinam reformidare videtur, vt qui Zuinglij, Caluini, Martyris, & reliquorum istorum, vt vocat, hæreticorum, nomina vilescere, memoriámque illorum

Scarga Papatū crescere fimulat.

iam fere extinctam hoc nostro seculo secure prædicat, ideoque sanctam Romanam Ecclesiam ab istis oppugnatam stare inuictam, & indies illustriorem effici gloriatur. Et quæ Vilnæ est, Romani Pontificis instituta sequens, Ecclesia, hâc diuino ait erectam præsidio, quam scilicet nos paulò ante prostratam putabamus. At verò Petre, non alium huius Ecclesiæ vestræ Vilnensis hodie conspicimus statum, nisi quem omni hoc tempore vidimus, ex quo Dominus hanc quoque vrbem, atque adeò vniuersam Lituaniam lucis suæ radijs illustrare cœperat, nisi quod indies numero credentium apponit Dominus, quos ad vitam prędestinauit æternam, vt pauci interim hactenus extiterint, qui ex naufragio prioris cladis emergentes, his denuo Babylonicæ meretricis fluctibus se obrui passi sunt. Itaque quam tu spem vultu simulas, altum interim prę̃mis corde dolorem, & metu rerum tuarum, ne hæc Babylon vobis concidat, dies & noctes cum tuis socijs id vnum studes, idque moliris, vt ne Euangelij vox in hac vrbe personet, & ne vel angustum loci habeant hi spacium, qui Christo nomen dederunt, vbi sacros suos peragere possint conuentus. Vestris enim artibus, vestróque consilio effectum est, vt Templum illud à Clarissimo olim Principe Nicolao Radiuilo, Olycæ & Nesuisij Duce, Palatino Vilnensi, sanctis pietatis Christianæ exercitijs, & veræ religioni promouendæ dicatum, nobis sit ademptum. Et quia qui in dignitatem & pietatem defuncti Principis succesit alter Nicolaus Radiuilus, ad simile templum extruendum animum adiecit, idque feliciter inchoatum propediem absoluturus est, quid non tentastis hactenus, Iesuitæ, quæ

Vilnenses Iesuitæ vix toto decennio aliquot homunciones à Christo retraxere.

Tẽplum Vilnæ à Duce Olyca ædificatũ opera Iesuitarũ Euangelicis adẽptum.

quæ non consilia vestro impulsu à maioribus vestris concocta sunt, vt sanctum piúmque conatum præclari Principis impediretis? Neque his contenti, eò etiam ausu temerario prorupistis, vt occultis quibusdam & obliquis cuniculis Regem sapientissimum nobis nunc fœliciter imperantem aggressi, id importunitate vestra ab eo extorseritis, vt edicto eius interposito, ab omni conatu delubri ædificandi Palatinus Vilnensis desisteret, aut reliquos id tentantes graui proposita mulcta deterreret. Verùm postquam ille Regem, & de iuramento omnibus regni ordinibus præstito, quo pacem inter dissidentes de religione perpetuam fouere ac tueri se obstrinxit, & de magno totius Reipublicæ periculo, à talibus edictis exoriturо, commonefecisset, facilè prudentissimus Princeps iustis monitis & precibus Palatini acquieuit, datáque sibi verba quodammodo ab hoc sacro ordine non obscurè significauit.

Templi alterius ædificationẽ Iesuitæ impedire ne quicquã conati sunt.

Hæc verò, Petre, ideò commemorantur à me, vt quia tanta cura, tantáque solicitudo vos exagitat, ne liberam isti, quos vocatis Zuinglianos, religionis suæ vsurpandæ habeant facultatem, in ea vos omnino sententia esse, idque maximè timere cognoscant omnes, quod vbicunque hæc lux Euangelij splendet, omnes proculdubio errorum ac superstitionum nebulas euanescere oporteat. Hoc semper torsit Satanam, & ad armandos rabie idololatras compulit, vt omni vi externa & barbara quanuis crudelitate in omnes sanctos adhibita, verum Dei cultum opprimere semper conatus fuerit. Ita verò Christus cœlestem Patris sui doctrinam, & vnicam veritatis viam contra Satanæ mendacia asserens, multoties in se furorem impiæ gentis Iudaicæ concitauit, & ad extre-

Satan cur contra pios excitet suos.

mum crudeli mortis genere peremptus, exemplum de se, quæ sit piorum conditio futura, omnibus præbuit. Non dissimilem enim exitum vitæ sortiti sunt Apostoli, atq; adeò omnes sancti Christi Martyres, quorum sanguine gens scelesta & impia, errorúmque tenebris à Satana excæcata, nunquam expleri potuit. Ac profectò inter plurima, eáque indubia veritatis Apostolicæ quam profitemur argumenta, vel hoc magno omnibus documento esse potest, quòd cùm nos nulli ex vobis exitium optamus, nullas insidias vitæ vestræ struimus, nullo violentiæ impetu quenquam opprimimus: vestros econtra furores toties experimur, & tanquam turbine correptos, toties in perniciem nostram præcipites fieri conspicimus.

Ecclesiæ Christi veræ infallibilis nota.

Huius autē rei, ne externa attingamus, domesticum nobis hoc tempore Cracouia exhibuit exèmplum. In hac enim vrbe, quæ in scholis eruditur iuuentus, vt testatum redderet omnibus, ad quam mansuetudinem & pietatem ab egregiis istis Romanę Ecclesię theologis informatur, aliquoties iã armis correptis, & promiscua plebis multitudine concitata, domum hanc in qua nostrorum hominum cætus peraguntur, furenti impetu oppugnauit, & tectis ac parietibus dirutis, multísque hominibus cæsis, ac fortunis spoliatis, scelerato latrocinio conspiçuam se reddidit. Quæ insolens petulantia tametsi à Magistratu esset pœnis coercita, tamen vt Satanæ progeniem agnoscas, quæ ne morte quidem proposita peccare desinit, nouo & horrendo sceleris exemplo, ante paucos hosce dies, cum funus honestæ cuiusdam fœminæ demortuæ duceretur, & quidam è nostris has funeris exequias prosecuti essent, in eos ex improuiso turba scholasticorum furore & amentia præceps

Cracouiensium Scholastiorum cõtra Euangelicos seditio, anno 1574.

Scholastiorum Cracouiensium altera seditio anno 1578. in Iunio.

inuolauit, telorúmque omni genere instructa, totum illum cœtum disturbauit, multósque vulneribus affecit, quendam etiam virum nobilem interfecit. Nec tanto scelere contenta, in ipsum etiam cadauer canina sæuire rabie non exhorruit, vt tumultuariè correptum, & indignis omnibus modis tractatum, ac crebris ictibus, vsque ad cruoris effusionem & cerebri elisionem concussum in flumen tandem abiiceret. Isti verò sunt Ecclesiæ Romanæ fructus, Petre, hæc vestra sunt arma & præsidia, quibus istam Ecclesiam gloriaris stare inuictam, vt impurus Mahometes in propaganda sua religione id vobiscum habeat commune, quod sanguinis cædibus & laniena Christianam pietatem opprimere, vbique studeat.

Papani æque ac Turcæ pios persequũtur.

Cùm autem innocentem Abelem semper impius persequatur Cain, hoc magno est iudicio, nõ operã vos Christo dare, neque gloriã eius promouere, sed Antichristi regnum propagare, quod vt à Satana omnis mendacij & homicidij paréte est introductũ, ita nonnisi dolis & sanguinariis cõsiliis diu conseruari potest. Quare quod, Petre, admones, vt ab hac sancta veræ pietatis professione, quam ex solis scriptis Propheticis & Apostolicis erutam magno consensu tradunt diuini isti seculi nostri scriptores, animum auertam, & ad septa Ecclesiæ Romanę redeam, hunc amorem, hánc que pietatem declarare mihi videris, ac si à certa spe vitæ æternæ me in barathrum condemnationis præcipitare cupias. Imò ego te per viscera misericordiæ Dei, tuósque omnes socios deprecor, vt seriam alquando hanc cogitationem suscipiatis, quisnam ille sit, cui hanc vos operam venditatis, aut quem locum occupet, in quibúsque studiis & occupationibus vitam transigat, vel quæ pietatis

Pia ad Iesuitas authoris cõmonefactio.

incrementa regna eius & vrbes, quibus præsit capiant, vt quem omnibus ætatibus doctrina & pietate illustres viri Antichristum denotauerint, ne soli vos tam cæci ac luscioſi videamini, qui id animaduertere nequeatis. Nolite errare, vósque inanibus istis verbis decipere, rem Pontificis Romani in omnibus orbis Christiani partibus tã fœdè prolapsam rursus erigi ac restaurari posse, vt quicquid ingenij, quicquid doctrinæ, ad eam ornandam & illustrandam confertis, tanto magis fœditatem ac spurcitiam meretricis huius denudetis. Iactate quantum voletis, memoriam Caluini, aut Oecolampadij, aut Martyris obscurari, sed diuersum totus terrarum clamitat orbis. In omnium enim manibus, quicunque aliquem pietatis habent gustum, & doctrina pollent, præclara illorum voluuntur monumenta, & totis recusa, totiéſque distracta, semper tamen expetuntur. In eorum verò locum subinde succedunt milites noui, & tanquam ex equo Troiano præclari profluunt heroes, qui vrbem adulterio pollutam, & omni nequitia atque idololatria inquinatam tandem excindant & incendio Spiritus diuini absumant.

Caluini & omniũ Euangelicorum libros nũquam è manibus piorum excuti posse.

Rupertũ Vilnensem medicum apoplexia sublatum Scarga damnationi deputat.

Nec me, Petre, terret subita illa mors clarissimi viri Ruperti medici Vilnensis, quam tu impudens mihi in exemplum diuinæ vindictæ proponis, tanquam iusto Dei iudicio ad puniendam aliquam eius blasphemiam illi esset à Domino imposita. Scire enim debebas, ô bone Theologe, iustũ, quacunque tandem morte occumbat, in refrigerio esse: si quis autem sit, qui pietati & integritati vitæ, innocentiæque huius viri insultare velit, impudentem virtutis obtrectatorem, & prauæ mentis hominem merito se declararet.

Hic

Hic enim cum ob insignem doctrinam, & excellentem artis medicæ scientiam omnibus esset venerandus; ob fidem autem & insignem beneuolentiam, ac humanitatem, his qui opera eius vtebantur, imprimis charus: à Rege certè Augusto, fœlicis memoriæ Principe nostro, hanc laudem virtutis & fidei suæ, consecutus est, vt in præmium laboris, operæque suæ, quam huic Principi ad extremum vsque eius spiritum nauabat, nobile & opimum prædium sibi, pòsteritatisque suæ ab eo consecutus fuerit. Post mortem autem Principis cum Vilnæ in patria, quod reliquum erat ætatis, agere decreuisset, quæ tum hominis fuerint studia, quæue occupationes, quantáque in hominibus curandis & à variis morbis releuandis sedulitas, vel publico omnes luctu testabantur. Mortis autem eius subitæ causas naturales commemorare nolo, cum in corpusculo macilento, & variis laboribus attrito, multísque tum calamitatibus publicis animo stupenti & attonito, quas eum multoties deplorantem audiui, non mirum esset, hominem facilè extingui. Sed quia Deus omni naturæ cursu superior, cuncta pro nutu & arbitrio suo disponit, mortem quoque eius ad voluntatem supremi huius opificis refero, vt terminum à Domino positum transilire non potuerit, extremúmque suum diem, quando Domino placuit, obierit. Quam tamen mortem non ita ego interpretor, vt ab irato Deo immissam putem, sicut tu existimas, sed tanquam, à clementi & benigno Patre ita dispensatam, vt sine vllo corporis cruciatu hominem pium de hac misera vita tolleret, cœlestíque paradiso inferret. Nam cum in vrbem ex agro, pro more solito, prima luce veniſſet, & post multam operam ægrotis præstitam,

Rupertus omnibus charus & venerandus.

Rupertũ virtũ probum fuisse, publicũ luctum testimonio esse.

Mortem subitã iræ diuinę nõ semper iudicium esse.

domum suam diuertisset, vt rus deinde profectus, corpusculum cibo reficeret, inuitabatur quidem à domus suæ œconomo, vt paululum cibi sumeret, neque se tam longa fame maceraret, sed causatus ille quendam pungentem lateris dolorem, cibum recusauit, séque quietis capiendæ causa in superiorem ædium partem concessurum dixit. Ibi verò vno puero secum assumpto, satis diu orabat, & ex intimo pectore crebrius ingemiscens, preces ad Deum fundebat. Ac deinceps in scamnum recumbens, vt somnum caperet, post horas aliquot expirasse est deprehensus, eo quidem corporis statu, quo puer reliquerat iacentem. Ego igitur non pœnam, sed insignem Dei patris hîc agnosco clementiam, qui mortis horrorem & sæuitiam sic aliquando mitigat, vt pro ingenti dolore & cruciatu tanquam somno sopiti homines pij multoties videantur. Quocirca diuinam illam Erasmi sententiam crebrius mecum recolo, qui in quodam scriptorum suorum loco precationem illam improbat, quam quidam in templis reboant, petentes vt à subitanea morte eos liberet Dominus, cum potius orandum esse iudicet, vt à mala vita liberentur. Neque enim, inquit, mors mala putanda est, quam præcessit vita bona, vt optimè cum his actum esse statuat, qui piè sanctéque viuentes, sic repentè excesserunt è vita, vt mortis horrorem, & omnem sensum doloris, ipsa morien di celeritas illis abstulerit. Vide ergo, Petre, in quam temerarium & peruersum iudicium, inconsideratus tuus zelus, te multoties abripiat, vt condemnare eos non reformides, qui tamen innocentiæ, sanctæque inter homines conuersationis suę, præclarum ab omnibus consecuti sunt testimonium, itaque vixerunt, vt mortis memores, puram con-

Rupertus iam moriturus ad orationē, Christi exemplo confugit.

Erasmi sententia ex Enchirid.

Quælibet mors bona, quam præcessit vita probata.

scientiam & fidem in Christum sinceram omni momento conseruare studuerint. Hoc enim Dominus ipse monet, vt vigilemus, nescientes diem neque horam, qua ipse venturus est, vt muneris, pensíque nobis commissi rationem à nobis requirat. Fac ergo, Petre, vt sepositio in alienos seruos iudicio, qui suo Domino stant aut cadunt, in te potius descendas, tuámque conscientiam excutias, quomodo munus tuum administres, & in cuius pastoris obedientiam oues reuoces: Illiúsne qui omnibus in se credentibus vitam promisit æternam, an verò illius, qui vt se falso mentitur pastorem, sic pro auro & argento promittens vitam, in mortis vòraginem cunctos percipiat.

Matth. 25. 13.

Rom 14. 3.

Defensionis Cœnæ Domini Andreæ Volani ad Petrum Scargam, libri tertij finis.

CHARACTERVM IESVITICORVM CENTVRIA QRARTA, ex D. Augustini scriptis Polemicis collecta.

1 SI quid temporalis molestiæ passi fuerint (*vt de persecutione Anglicana tragicis & famosis libellis passim hodie conqueruntur Iesuitæ*) per certissimum atque rectissimum ordinem potestatum, cum ipsis priuatis furiosorũ agminibus multa grauiora passim atque quotidie, nulla regia, nulla Ecclesiastica lege committant: nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores non vocant, cum priuata licentia corporibus parcant. Sed quia semper per mansuetudinem Christianam multò seuerius oculus iudicatur euulsus in lite, quàm animus excæcatus in schismate, & aduersum nos loquuntur, & nobiscum loquuntur: & cum eos obmutescere compellat veritas, silere non permittit iniquitas, *Lib. 1. contra Epistolam Parmeniani.*

2 Tanto isti amore hominum cœci sunt, & cor de impudico, vt adulteros mentis suæ vni legitimo viro coæquare non dubitent, vt quod de solo Domino Iesu Christo dici potuit, etiã in Donato (*Iesuitæ in Ignatio Loyola suæ sectæ autore, sicut ex vita ipsius nuper edita constat*) perfectum fuisse contendant. *Lib. 2.*

3 Non odio iniquitatum alienarum, sed studio conten-

contentionum suarum infirmas plebes iactantiã sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant, superbia timidi, peruicacia vçsani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere ostendantur, vmbram rigidæ veritatis obtendunt: & quç in scripturis sanctis salua dilectionis sinceritate, & custodita pacis vnitate, ad coercenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem præcisionis vsurpant. *Lib. 3.*

4 Cum multis quidem locis sermonum suorum nihil àliud quàm præsumere intelligantur, aliquando tamen verecundantur, cùm eos veritas vrgere cœperit: quando interrogantur, vtrum non habeant peccatum, vel vtrum non sint peccatores. *Lib. 3.*

5 Omnino nescio quemadmodum credi posset esse in hominibus tanta peruersitas, nisi experimento verborum suorum factorúmque patesceret vsque adeò se clausos habere cordis oculos, vt commemorent sanctę scripturæ testimonia, nec intueantur in factis prophetarum quemadmodum intelligenda sint verba Prophetarum. *Lib. 3.*

6 Eos teneamus interfectores Prophetarum, quos contradictores inuenerimus linguis Prophetarum. *Lib. 2. Contra literas Petiliani, cap. 14.*

7 Nolite dicere, Absit, absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus. Facitis enim vbi potestis, vbi autem non facitis, non potestis, siue legum, siue inuidiæ timore, siue resistentium multitudine. *Lib. 2. cap. 83.*

8 Ita miseris plebibus vos venditatis, vt sine peccato vos esse credant, & peccata sua vestris orationibus purganda committant. Magni homines

vos,excelsi,cæleſtes,diuini,non iam homines ſed Angeli,qui pro plebibus oratis,& pro vobis plebes orare non vultis. *Lib.2.cap.105.*

9 Qui diſputat,verum diſcernit à falſo. Quod qui (*velut Ieſuitæ*)non poſſunt , & tamen Dialectici videri volunt, per inſidioſas interrogationes captant incautorum aſſenſiones, vt ex eorum reſponſionibus concludant,vnde illos vel in aperta falſitate deceptos rideant,vel occultam falſitatem deceptis perſuadeāt,quam plerumque etiam ipſi exiſtimant veritatem.*Contra Creſconium grammatic. Lib.primo,cap.15.*

10 Rectè iſta(de piorum perſecutionibus) dicerentur à vobis quærentibusmartyrum gloriam, ſi haberetis martyrum cauſam. Non enim fælices ait Dominus qui mala patiuntur , ſed qui propter filium hominis patiuntur , qui eſt Chriſtus Ieſus. vos autem non propter ipſum (*hodie in Anglia*) patimini,ſed contra ipſum.Patimini quippe ideo quia non ei creditis,& toleratis ideo ne credatis. Quomodo ergo vos eam fidem tenere iactatis, quam Dominus Chriſtus Apoſtolis dereliquit? An vſque adeo cæcos & ſurdos vultis eſſe homines vt non legant,non audiant Euangelium , vbi nouerint quam fidem de ſua Eccleſia Dominus Chriſtus Apoſtolis dereliquit, ex qua diuiſi atque ſeparati nihil aliud facitis quàm contra verba capitis & corporis rebellatis , & tamen propter filium hominis ac fidem quam reliquit Apoſtolis, vos perſecutionem ſuſtinere iactatis?*Contra ſecundam Gaudentij Epiſtolam,cap.12.lib.2.*

11 Si ad vos putatis hæc iuſtorum verba (Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt , &c.) prius an iuſti ſitis oſtendite.Habetis enim res magnas quas inter iuſtitias veſtras

veſtras ventiletis , diuiſionem Chriſti , reſciſsionem ſacramentorum Chriſti , deſertionem pacis Chriſti,bellum contra membra Chriſti, criminationes in ConiugemChriſti,negationem promiſſorum Chriſti, *cap. 27.lib.2.*

12. Quicunque de ipſo capite ab ſcripturis ſanctis diſſentiunt , etiam ſi in omnibus locis inueniantur in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus quicunque de ipſo capite ſcripturis ſanctis conſentiunt , & vnitati Eccleſiæ non communicant , non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore,quod eſt Eccleſia,ab ipſi⁹ Chriſti teſtificatione diſſentiunt. *Lib.de vnitate Eccleſiæ contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam,cap.4.*

13 Videte quàm facilè ſit vel nobis in eos dicere,vel illis in nos quod ait Domin⁹ ad Phariſæos. Similes eſtis monumētis dealbatis quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſsibus mortuorū & omni ſpurcitia:ſic & vos à foris quidē apparetis hominibus iuſti , intus autem eſtis pleni hypocriſi & iniquitate. Hæc ſiue in illos à nobis , ſiue ab eis in nos dicantur, niſi prius probetur manifeſtis documentis qui ſint,qui cum ſint iniuſti iuſtos ſejpſos confingant conuiciante magis leuitate quàm conuincente veritate dici, quis mediocriter ſanus ignoret? Aliter quippe illa Dominus in Phariſæos dicebat tanquam Dominus,id eſt cognitor cordis & humanorum omnium ſecretorum & teſtis & iudex. Nos autem prius debemus inuenire & oſtendere quid arguamus,ne ipſi potius grauiſsimo crimine inſanæ temeritatis arguamur. Sanè, ſi ante docuerint nos tales eſſe , nequaquam recuſare debemus talibus Sanctarum ſcripturarum verbis nos reprehendi atque contundi. Ita ſi nos eos tales eſſe docueri-

mus,(*vt abundè præstitum est tot libris editis, quibus multiplex hæresis & hypocrisis Iesuitica detegitur*) erit similiter in potestate nostra, quibus Dominicis increpationibus, an demonstratos conuictósque feriamus, *cap.5.*

14 Victi animositate, non vultis vinci veritate. *Paulò post.* Ecce sunt scripturæ quibus credo. Ecce sunt Ecclesiæ quibus communico. Vbi tibi lego nomina earum, ibi mihi lege crimina earum. Si autem aliud declamas vel recitas, nos post vocem pastoris nostri per ora Prophetarum, per os proprium, per ora Euangelistarum nobis apertissimè declaratam, voces vestras non admittimus, non credimus, non accipimus. *cap.* 11.

15 Nisi hoc dicant quod erubescunt si dicant, non habent omnino quod dicant, *cap.* 15.

16 Hæc (i. *priuatorum quorundam scelera*) nos multo probabilius & copiosius eis obiicere possumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis causam nostram constituamus: sed vt eis ostendamus, non ideo nos nolle talibus fidere, quia non inuenimus talia quæ dicamus, sed ne tempus rebus necessariis vtile, in rebus nõ necessariis cõteramus. Quod propterea illi faciunt, quia robusta & firma veritate subnixa documenta, quibus causam suam tueantur, inuenire non possunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubescunt, & inania loqui non erubescunt, *cap.* 16.

17 Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphnorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in Prophe-

Prophetarum prædictis, in psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est in omnib⁹ Canonicis Sãctorum librorum authoritatibus. Nec ita, vt ea colligant & commemorent, quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit interpretetur secũdum sensum suum (*quod ante aliquot annos insigni cum audacia præstitit Franciscus Turrianus, Sophistarum Iesuiticorum facile princeps, vt ex eius libris Christianus lector colligere potest*) talia enim rectè intelligi exponíque non possunt, nisi prius ea quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. *cap.* 16.

18. Omissis morarum tendiculis ostẽdat (*Donatista, Iesuita*) Ecclesiam vel in sola Aphrica (*vel in sola Roma*) perditis tot gentibus retinendã, vel ex Aphrica (*vel ex Roma*) in omnibus gẽtibus reparandam atque adimplendam: & sic ostendat vt non dicat, verum est quia ego hoc dico, aut qui a hoc dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Episcopi, vel clerici, vel laici nostri: aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus (*Ignatius Layola*) vel Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur: aut quia illa & illa ibi continguntaut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portẽta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quę dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus: quod cùm dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces: qui nonnulla signa faciendo, etiam electos si fieri posset fallerent, adiecit vehementer commendans, & ait, Ec-

ce prædixi vobis. Vnde & Apostolus admonens, Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum. Porro si aliquis in hæreticorum memorijs orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderij sui recipit siue malum siue bonum. *Eodem cap.16.*

19. Flagitiosi & facinorosi homines sunt Donatistis (Iesuitis) modestiores: quia cum legibus diuinis & humanis aliquid pœnarū pro suis perditis moribus factisque patiuntur, non se martyres dicunt: isti autem (*Iesuitæ in Angliam excurrentes, Antichristi emissarij*) simul habere volunt & sacrilegorum vitam & innocentium famam, & in sceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis iustis martyrum gloriam: quasi non tantò sit erga illos maior misericordia & patientia Dei, quantò magis eos partibus corripiens dat locum pœnitentiæ, & in hac vita flagella ingeminare non cessat, vt considerantes quæ patiantur, & quare patiantur, aliquando resipiscant. *Lib. 2. de baptism. contra Donatist. cap.10.*

20. Propter hoc eos inimicos habemus, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia cessare ab instantia quantum possumus formidamus, quia obtemperamus apostolo, dicenti, prædica verbū, insta importunè, oportunè, argue, hortare, increpa, sed sicut Euangelium loquitur. Diligunt gloriam hominum magis quàm Dei: & dū reprehendi ad tempus timent, damnari in perpetuum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant, videt non esse quid omnino (verè) respondeant: sed nebulas imperitis offundunt, cùm ipsi viui sorbeantur, id est scientes & agnoscentes intereant. *Eodem*

dem lib. cap.11.

21. Dicunt se nullum præmere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate. *De vtilit. credendi cap.1.*

22. Ipsos animaduerti plus in refellendis alijs disertos & copiosos esse, quàm in suis probandis certos & firmos manere. *Ibid.*

23. Scripturæ legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgo expositas impetum faciunt frustra & inaniter. *Item.* Ea quæ non intelligunt, aut cur, aut omnino qualia sunt, quamuis iacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque diuina, magno impetu orationis maledictisque lacerantes, quia eis imperiti plaudūt, aliquid se proficere existimant. *Cap.6.*

24. Omnes viam Catholicæ disciplinæ profitentur se tenere ac docere, & eis quos illectant rationem se de obscurissimis rebus pollicentur reddituros. *cap.9.*

25. Quid infelicius ista superstitione inueniri potest, quæ non modo non exhibet scientiā quam promittit atque veritatem, sed ea dicit quæ vehementer sunt scientiæ veritatique contraria? *Cōtra epist fundamenti, cap.15.*

26. In quæstionibus fugiendis illi regnare se putant: quasi verò interrogare sit scire. Vtinam id esset, nemo me scientior reperiretur. Sed nescio quomodo sæpe in altercando magnæ quæstionis propositor personam magni doctoris ostentat (*vt inter Iesuitas Hayus & Verro*) plerunque ipso quem terret, in eo de quo terret, indoctior. Itaque isti multitudini se præferendos arbitrantur, quia priores interrogant, quod cum multitudine ignorant. *Lib. de duab. animabus contra Manich. cap.8.*

27. Non sane mihi videtur cogitare cum ho-

minibus se agere, sed prorsus quasi pecora forent, qui eos audirent, vel eorum scripta legerent: sic abusi sunt imperitia suorum & tarditate ingenij, vel potius animi cæcitate. *Contra Adimant. cap. 4.*

28. Quamdiu Scripturam lacerare conantur, nullo modo permittuntur intelligere. *Cap. 12.*

29. Particulas quasdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectêtes quæ supra & infra scripta sunt, ex quibus voluntas & intentio scriptoris possit intelligi. *Cap. 14.*

30. Legunt Scripturas apocryphas, quas etiã incorruptissimas esse dicunt *Cap. 17.*

31. Nos re vera Catholicos nondum perfectos, sed quodammodo semi Christianos, quos fallatis & seducatis vestra peruersitate insectamini. Sed si qui adhuc etiã tales sunt, si vos pseudo-Christianos (pseudo Iesuitas) esse intellexerint, quanuis captiosis quæstionum vestrarum propositionibus, propter id quod eorum fidei deest, respondere non possint: non tamen sequendos, sed deuitandos vos esse cognoscunt. Sicut ergo vestra intentio est semichristianos quos decipiatis inquirere, sic nostra intentio est Pseudochristianos, (pseudo-Iesuitas) vos ostendere, vt non solùm Christiani peritiores vos conuincendo prodant, sed & imperitiores vos cauendo proficiant. *Contra Faustum, lib. 1. cap. 3.*

32. Quomodo persecutiones & odia sustinetis propter iustitiam, quibus sacrilegia prædicare & persuadere iustitia est? *lib. 5. cap. 8.*

33 In vobis qui ficti sunt, mali sunt: & qui ficti non sunt, vani sunt. Vbi enim fides ipsa ficta est, & qui ea simulatè vtitur, fallit: & qui eam verã existimat, fallitur: nec ex ea potest existere bona vita, quia ex amore suo quisque viuit, vel bene vel malè. *Eod. lib. cap. 11.*

34. Qui in Euãgelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quàm Euangelio creditis. *lib. 17. cap. 3.*

35. Christianis, fide non ficta pias mentes mũdantibus, tanquam temerè credulis insultatis. *lib. 20. cap. 9.*

36 Isti, ea quæ non intelligunt reprehendentes, similes sunt hominibus quibus displicent ea quorum non capiunt vtilitatem: velut si surdus videns mouere labia loquentium, tanquam superfluos oris motus deformésque reprehenderet: vel si quisquam cæcus laudata sibi aliqua domo, veller palpando probare quod dicitur: & parietũ leuitatem manu pertractans, in fenestras irrueret, eásque velut inconuenientes illi æqualitati redargueret, cauernásque ruinosas putaret. *lib. 22. ca. 7.*

37. Legunt Scripturas apocryphas, à nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas: quę suorum scriptorum temporibus in authoritatem sanctæ Ecclesię recipi mererentur, si sancti & docti homines, qui tunc in vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. *Eod. lib. cap. 69.*

38. Videtis id vos agere, vt omnis de medio scripturarum auferatur authoritas, & suus cuique animus author sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet: id est, vt non authoritati Scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur: sed ideo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. *lib. 32. cap. 19.*

39. In vobis maximè impletur, quod de seductoribus prædictum est ab Apostolo: prohibent,

inquit,nuptias.Neque enim tam concubitũ quàm nuptias detestamini.*Contra Secundin.Manich.c.21.*

40. Sunt plurimi carnales qui hæreses faciunt, non intelligendo Scripturas. *Contra Aduers. Legis & Propher.cap.17.1.lib.*

41. Isti, literiones potius quàm literati appellandi sunt, qui legendo literas nihil sapere dicerunt. *Eod.lib.124.cap.*

42. Duæ maximæ sunt eorum illecebræ, quibus decipiuntur incauti,vt eos velint habere doctores. Vna,cùm Scripturas reprehendũt,vel quas malè intelligunt, vel quas malè intelligi volunt: altera,cùm vitæ castæ & memorabilis continentię imaginem præferunt. *lib.de moribus Ecclesiæ Catholicæ.cap.1.*

43. Cùm nouerit vestra conscientia eos,quos in sectam vestram introducitis,quum vobis familiariùs iungi cœperunt, multa inuenturos quæ in vobis esse cùm alios accusaretis,nemo suspicabatur:quæ tandem impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quærere,vt inde imperitos auertas,& eam nullo modo apud te iis quos auerteris exhibere? *Eod.lib.35.cap.*

44. Plures sunt in eis(id est,inter eos)qui verum intelligere omnino nequeunt. Scio rursus esse quosdam, qui quanquã bono ingenio vtcunque ista videant,mala tamẽ voluntate, qua ipsum quoque ingeniũ sunt amissuri,pertinaciter agant, & quærant potiùs quid aduersus ista dicant,quod tardis & imbecillis facilè persuadetur, quàm vera esse consentiant. *Lib.de morib.Manichæorum,* cap.2.

45. Tam multa & tam grauia peccata in eorum moribus deprehenduntur, vt si quis accusare velit omnia homo alicuius facultatis, singula vt

vt minimum, singulis voluminibus possit. Si vestram impleretis professionem, nihil vobis esset ineptius,nihil stultius,nihil imperitius. Cùm autem laudatis & docetis ista nec facitis,quid vobis fallacius, quid insidiosius, quid malitiosius dici aut inueniri potest? *Eod.lib.cap.19.*

46. Cùm flagitia vestra sint manifesta, & iis qui scire voluerint cognitu facillima, intelligitur quàm vera dicere soleant, qui hæc vera esse negauerint. Sed aliis defensionibus vtimini quas ego non improbo. Aut enim dicitis aliquos, qui vestra præcepta custodiant, nec eos aliorum criminibus debere perfundi: aut non oportere omnino quæri quales sint homines qui vestram sectam profitentur, sed qualis sit ipsa professio,&c. *Eod.lib.cap.20.*

47. Et doctos literis & indoctos errore suo prosequuntur, & cùm promittũt veritatem à veritate conantur auertere. *Lib.1.de Genes.cont.Manich.cap.1.*

48. Volentes humanis coniecturis iustitiam Dei defendere,& ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt. *Lib.1.de peccat. merit.& remiss.contr.Pelagianos,cap.22.*

49. Idonei sunt his rebus interrogandis, quibus intelligendis non sunt idonei. *Lib.3.cap.8.*

50. Desinant & seipsos & alios fallere, contra gratiam Dei disputando. *De Gratia Christi,contra Pelag.& Celest.lib.1.cap.25.*

51. Liberi arbitrij elati assertores dicũt,quod possumus bene cogitare Dei est,quod autem bene cogitamus, nostrum est: quibus respondent humiles gratiæ prædicatores, Non idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Ibid.*

52. Gratiam qua iustificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, in eorum scriptis quæcunque legere potui, nusquam eos inuenio, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nunquam eos aduerti, sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis. *Eod. lib. cap.* 30.

53. Ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis etiam sanctis, maximè canonicis, aduertere atque agnoscere debuerunt. Sed quia eas secundum sensum suum legunt, profectò in illis nec apertè contuentur. *Cap.* 42. *eiusdem lib.*

54. Disputantes cum Pelagio & eius discipulis, primùm vixisse homines ex natura, deinde sub lege, tertiò sub gratia, à gratia mediatoris iustos excludere conantur antiquos, tanquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus Iesus, &c. *Lib.* 2. *cap.* 20.

55. Noui hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur pusillis & magnis, per Iesum Christum Dominum nostrum, etsi iam cauendi euidentiùs apertiore improbatione monstrantur, non tamen quiescunt scriptis suis minus cautorum vel minus eruditorum corda tentare. *Lib.* 1. *cap.* 1. *ad Bonif. contr.* 2. *epist. Pelagian.*

56. Liberum arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potiùs ad faciendam iustitiã quàm de Domini adiutorio confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino glorietur. *cap.* 2. *eiusd. lib.*

57. Isti elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrij, non ob aliud nobis de gratia Dei differentibus indignantur, nisi quia in Domino gloriari dedi-

dignantur. *cap.* 4. *eiusd. lib.*

58. Istis non immeritò anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ Dei quæ venit per Iesum Christum D.N. vt eam dicant non gratis, sed secundum merita nostra dari, ac sic gratia iam non sit gratia, tantúmque constituunt in libero arbitrio, quò in profundum homo demersus est, vt eo bene vtendo dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illo vti possit, nisi per gratiam, quæ non secundum debitum redditur, sed eo gratis miserante donatur. *Cap.* 23. *eiusd lib.*

59. Manichæi meritis naturæ bonæ: Pelagiani autem (Iesuitæ) meritis voluntatis bonæ perhibẽt diuinitus subueniri. Illi dicunt, debet hoc Deus laboribus membrorum suorum: isti dicunt, debet hoc virtutibus suorum. Vtrisque ergo merces nõ imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. *Lib.* 2. *cap.* 2.

60. Ita-ne verò, filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, noui hæretici, quisquis dicit, gratia Dei omnia hominis bona merita (opera) præueniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur, fatum vobis videtur asserere? *Cap.* 6. *eiusd. lib.*

61. Quis potest bona cogitatione ad bonum cor præparare? Absit vt aliqui sic intelligant, nisi isti superbi sui arbitrij defensores, & fidei catholicæ desertores. *Cap.* 8. *eiusd. lib.*

62. Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus. Quis enim dicat non iustificari eos qui sunt legi obedientes, quando si non iustificarentur, non possent esse obedientes? Sed dicimus lege fieri, vt Deus quid fieri velit, audia-

tur: gratia verò fieri, vt legi obediatur. &c. *Lib. 3. cap. 1.*

63. Aut non valent intelligere aut nolunt aduertere, aut calumniandi studio simulant se scire quod dicimus. Audiant ergo vel ipsi, vel potiùs ij quos idiotas & ineruditos decipere moliuntur. Nostra fides, hoc est catholica fides, iustos ab iniustis, non operum. Sed ipsa fidei lege discernit, quia iustus ex fide viuit. *cap. 5. eiusd. lib.*

64. Noui hæretici Pelagiani (Iesuitæ) religionis amatores & laudatores videntur sibi esse sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ illos fuisse virtutis, cùm hoc confiteatur vas electionis, &c. *Ibid.*

65. Isti non intelligentes, & calumniandi cupiditate cæcati, quàm diuersis modis peccati nomen in Scripturis sanctis poni soleat ignorantes, peccatum Christi (i. Christum peccauisse) affirmare nos iactant. Dicimus itaque Christum, & nullum habuisse peccatum, nec in anima, nec in carne, & suscipiendo carnem in similitudinem carnis peccati, de peccato damnasse peccatum. *Cap. 6.*

66. Quicquid de laude legis & liberi arbitrij dicunt, ad hoc referre conantur, vt gratia non adiuuet nisi meritum, ac sic gratia iam nõ sit gratia. Quicquid de laude sanctorum, adhoc vt vita mortalis in sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum. *Lib. 4. cap. 2.*

67. Non tam contra hæreticos defendunt quàm contra Catholicos extollunt liberum arbitrium. Et, per arbitrij libertatem destruere volunt gratiæ largitorem. *Cap. 6. eiusd. lib.*

68. Ver-

68. Verba vestra quò proficiunt, nisi vt appareat, vel quomodo de fidei causa scire neglexeritis catholicorum sententias sermonésque doctorum, vel si eos nosse curauistis, qua fraude conamini circumuenire nescientes. *Contra Iulianum lib. 1. cap. 2.*

69. Si fideli diligentia quæreretis, nec ea quæ catholicæ fidei veritate atque antiquitate fundata sunt infideli oppugnaretis audacia, in ea quæ absconditа sunt sapientibus & prudẽtibus, & reuelata sunt paruulis, nutriti Christi gratia veniretis. *Lib. 2.*

70. Dolus est in ore vestro, siue peccatores vos esse dicatis, & iustos credi velitis, siue profiteamini perfectionem iustitiæ, quam profectò in vobis non esse sentitis. *Eod. lib.*

71. Vobis si credamus, & dicamus, Orate pro nobis, vt nec nos ista (i. terrenarum illecebras & insultus cupiditatum) patiamur, ita vos inuenimus elatos & alta sapientes, vt respondeatis nobis, non solùm ista vos non pati, verumetiam in hominis esse potestate, ne ista patiatur, nec esse causam cur ad hoc Dei poscatur auxiliũ. *Eod. lib.*

72. Confitetur Dauid peccata iustorum, magis eos asserens in Dei misericordia spem ponere, quàm de iustitia sua fidere, & ideo non est in ore eius dolus, imò in ore illorum omnium, in quibus huius veracis humilitatis, vel humilis veritatis perhibet testimonium. Qui dolus abundat in ore vestro. Vbi enim virtus non est, & tanta iactantia est, hypocrisis est: & vbi hypocrisis vtique dolus: prorsus quantũ sancti de misericordia Dei quæ magna est, tantùm vos de vestra, quæ nulla est virtute præsumitis. Et quantum ipsi aduersus in generata vitia bellũ gerũt, adiuti per Dei gra-

tiam,tantùm vos bellum geritis aduersus ipsam Dei gratiam.*Eod.lib.*

73. Cum in ipso motu pro nostræ voluntatis arbitrio non habeat vllum modum,in effectu autem regeneratus homo non sit moderatus, sed ei modum vigili certamine spiritus honestus imponat,quid est quod laudatis,homines mali (liberi arbitrij patronos intelligit)& ad Deum non clamatis,libera nos à malo?*Lib.3.cap.13.*

74. Nos deprimunt & dicunt, quod dubium non sit euersionem sanctitatis, contaminationem pudiciæ,morum labem nostris conuenire imo inesse dogmatibus:neque nos id esse negaturos,qui ideo,sicut dicunt, in naturæ inuidiam malæ conuersationis sordes refundimus,vt peccãtibus metum demamus,quorum obscœnitatem Apostolorum & sanctorum omnium consolamur iniurijs, eo quod vas aureum Apostolum Paulum sæpe dixisse commemoramus, Non quod volo bonum hoc ago,sed quod odi malum illud facio:& cætera huiusmodi.*Lib.3.26.cap.*

75 O ingrati Deo,ô inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani! Nõne pro suis inimicis orat Ecclesia? quid orat obsecro,si vt eis sanæ voluntatis retribuatur pretiũ,quid eis orat,nisi grãde supplicium? Quod iam contra eos est,non pro eis.Orat autem pro eis.Non ergo quia est illis voluntas bona,sed vt conuertatur in bonam voluntas mala, quoniam præparatur voluntas à Domino.Et Deus est,vt ait Apostolus, qui operatur in vobis & velle.Sed, acerbissimi huius gratiæ inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ solum est naturæ bonũ, licet superstitionibus mãcipatum, qui solis libertatis

tatis ingenitæ viribus & misericordes crebro, & modesti,& casti inueniuntur,& sobrij.*Lib.4.cap.3.*

76. Ab eo dicitis pulsantibus aperiri qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire,vt videlicet intelligamus docentibus vobis ideo nõ omnes saluos fieri,& in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere cùm Deus velit ostendere:nolunt pulsare: cùm Deus velit aperire.Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsa sua taciturnitate conuincunt,qui nec petunt,nec quærunt:nec pulsant,imò etiam cùm baptizantur reclamant,respuunt,reluctantur:accipiunt tamen & inueniunt,pulsant & aperitur eis,& intrant in regnum Dei, vbi sit eis æternitatis salus & agnitio veritatis, longe pluribus infantibus in istam gratiam non adoptãtis ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*Eod.lib.cap.8.*

77. Quando animositatem qua tenentur vicerint, tunc veritatem poterunt tenere qua vincuntur.*Lib.vlt.contra Iulian.cap.13.*

78. Dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur,nos solicitudine respondendi faciunt cautiores: se verò decipiunt,antequam nostrorum valeãt aliquem vulnerare. Cùm enim cæci euacuare thesauros fidei concertant, spe fidei vacuati, faciunt plenitudinem fidei Ecclesiæ, opitulante Dei gratia gloriari: & dum in hypocrisi vigilant nocituri, nos quodammodo excitant dormientes, vt arrepto clypeo veritatis, falsitati eorum corde resistente vigilemus, Euangelica tuba nostris auribus insonante, Vigilate & orate,ne intretis in tentationem.Confidunt ergo hæretici, catholicam fidem impugnantes, in

virtute sua, id est, in audacia cordis sui gratia desolati, & in abundantia diuitiarū suarum, in operibus scilicet voluntatis suæ gloriantes. *Præfatione in lib. hypognosticon, contra Pelag.*

79 Improbatio eorū facit eminere quid Ecclesia Dei sentiat, & quid habeat sana doctrina *Confess. lib. 7. cap. 19.*

80. Propria vocabula, propriósque cōuentus, non in sermone tātùm, sed etiam in superstitione meruerunt. *De vera relig. cap. 5.*

81. Plurimùm prosunt, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spiritales Catholicos. Vtamur igitur eis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiam si eos ad salutem reuocare non possumus. *De vera religione, cap. 8.*

82. Aduersus nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi, ad exercēdam doctrinam sanctæ religionis pullulant. *Epist. 3. ad Volusian.*

83. Non possunt habere martyrum mortem, quia Christianorum non habent vitā (doctrinam) cùm martyrem non faciat pœna, sed causa. *Epist. 61. ad Dulcitium.*

84. Eorum inquietudine, vt scripturas vigilantius perscrutemur, vnde (ne ouili Christi noceant) eis possit occurri, tanquam de somno ignauiæ, nostra excitatur industria. *Epist. 105. ad Sixtum.*

85. Animositas eorum semper inquieta est: & sicut Spiritus Sanctus requiem præstat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduersus immites ac superbos inquietudine exagitat. *Epist. 119. ad Ianuar.*

86. Si diligenter quæ ad Christum Iesum pertinent.

tinent cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud eos, qui tamen se Christianos (*Iesuitas*) vocari volunt: re verò ipsa non est apud eos. *Enchirid. ad Laurent. cap. 5.*

87. Decipiunt eos qui negligētes sunt in Catholica fide, & ipsam fidem suam, quæ in Scripturis manifesta est, nolunt discere. *De agone Christiano, cap. 28.*

88. Scripturas catholicas legunt, & eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum sententiam peruicaciter asserunt. *De Genes. ad lit. cap. 9.*

89. Multi, nomine Christiano animas decipientes, persecutionem patiūtur. Sed ideo excluduntur à mercede, quia non dictum est tantùm, Beati qui persecutionem patiuntur: sed additum est, propter iustitiam. *De Serm. Domini in monte, cap. 9.*

90. Sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ, quasi possent indifferenter sine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis habuit philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes *De Ciuit. Dei lib. 8. cap. 51.*

91. Quantum in ipsis est, destruxerūt laudem quam ex ore infantium & lactantium perfecit Deus, dum quæstionibus vanis & scrupulosis exagitant paruulos, & eos nutriri lacte fidei non sinunt. *In Psal. 10.*

92. Occiduntur, cùm in Scripturarum testimonijs opprimuntur. *Item.* Sibi blandiūtur, quod nullus melius credat illis, & quod nullus vincat populum ipsorum. *Homil. 10, in Apocalyps.*

93. Neque natę sunt hæreses, & quędam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in pro-

fundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ non bene intelliguntur, & quòd in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. *Tractat.18.in Ioann.*

94. Prædicant Christum (Iesum) qualem sibi fingunt, non qualem veritas dicit: nomen habent, rem non habent. Et, quærendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potius quàm congregauerunt. *Tract.45.in Ioann.*

95 Audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, ac occasione euangelicę sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non poteſtis portare modò: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus, *Tract.97.in Ioann.*

96. Iesu Christi non est vera apud eos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude: nam & bonum putant esse quod bonum non est, & Christum (Iesum) putant esse quod Christus (Iesus) non est. *Tract.100.in Ioann.*

97. De furtis Dominicis peculia sibi fecerunt, & greges non Christi, sed suos contra Christum pascere voluerũt. Planè in ipsos depredationibus suis titulum illius (nomen Iesu) posuerunt, vt prędæ ipsorum quasi defenderentur per titulum potentis. *Serm.61.in Ioann.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca